DE ANIMORVM PERTVRBATIONIBVS.



OCTAVII BRANCIFORTII

PHILIPPI QVARTI HISPANIARVM, ET SICILIAE REGIS A CORTINA

DE PONTIFICI SVMMO VRBANO VIII.

ASSISTENTIVM COLLEGIO, IAM CEPHALAEDITANI NVNC CATANENSIS EPISCOPI, COMITIS MASCALARVM & Studiorum Vrbis eiusdem Catanæ, Præfecti Cancellarij.

DE ANIMORVM PERTVRBATIONIBVS SVBSECIVARVM COGITATIONVM.

PARS PRIMA.



IN NOSTRO CATANAE PALATIO,

Per Iosephum Bisagna Typographum Cameralem.

M. DC. XXXXII.

PHILIPPO QVARTO HISPANIARVM, SICILIAE, ET C.

REGI MAXIMO.

DE SEDANDIS animi mei perturbationibus Matriti dum à Cortina tuæ MAIESTATI famulor, REX TER MAXIME opuſculum iuxta vitæ meæ, ſtudiorumque rationem inchoaram; Speculum, & æſtrum ab aſpectu tuo ortum; illud ad moderationem imitandam, hoc ad ſcriptionem meditandam. Abreptum poſtea officia me mea in diuerſum à propoſito diſtraxerunt. & ſcribendi quidem facultate ex parte ſublata memoriam tamen imitandi integram reliquerunt. Quî enim vero tuæ virtutes non ob oculos mihi continenter obuerſarentur, cuius meritis ſpiro? In omnibus officijs meis tua beneficia, in beneficijs te ipſum contemplabar. Ergo quales MAIESTAS tua in Orbe magno regendo, eiuſque ingentibus negotijs gerendis animos geris, talis mihi in me, meaque Prouincia habendus: nimirum ſollicitus, prouidus, beneficus, gratus, infractus, vno verbo, ad Stoicum morem, Sapiens. nec alia lege mihi munera abs te regendi data, niſi vt donantem in eo ipſo ſequerer. hinc ardentior reuocatus ad ſcriptionem ſtylus, & ſcribendi argumentum amplificatum: ille ne immemor, & ingratus; hoc ne ab ijſdem vitæ meæ rationibus deiectus exiſtimarer, & vt moras temporum in lucro ponerem. Igitur laborem de perturbationibus, qui vnus, & indiuiduus erat, adauctum, tres ſum diſpertitus in partes. Primam cauſſæ perturbationum arripuerunt, alteram ipſæmet ſingillatim. Poſtremum earum medicamenta locum cæpere. Iam vero primam operis partem, cum parturirem, inclinabat ex debito animus, vt ad ingentem Magnæ Humanitatis tuæ vmbram, quodcumque id prolis eſt deponerem. Sed exanimatus, MAIESTATE deterrebar, arcebarque, & Mulieris

instar illius mysticæ, cruciabar, vt in tuto parerem. Secessi ad proximam, quam arbor Olea præbebat; neque enim longius ab humanitate tua abscedere poteram. In eius vmbella securus fore videbar. Nescio enim quid inibi tuum spirabat, imo nescio quid non tuum inibi. Igitur vt dixi ad Oliuarium ibam GASPAREM GVSMANVM Comitem Ducem Oliuarensem, sed ille nutu me in gradu stitit, & graui supercilio tacite sic allocutus. Tu ingenti arbore, & venturis etiam seculis factura vmbram relicta, cuius latitudini angustæ Orbis terrarum metæ, cuius vmbra populos longe, lateque dissitos amplectitur, sub qua sedêre cuiuis desiderium, sedenti securitas, quies, opes. cuius folia non decidua, cuius rami non arentes, cuius caudex non succiduus, cuius omnia prospera. Tu, inquam, hac relicta, me nouellam Oleam, ac magnæ termitem oliuæ adis in tui securitatem? Humanus inquies, es, mitis, patiens, moderatus, at ego si quid vireo, inde est, si quid vigeo, ab eo est, vnde tu times. Vbi Maiestati ex æquo Humanitas, societatem, non accessionem facit. Alexander Macedo caput ad dextram, ex vitio forte inclinabat, Nostro Maiestas ad humanitatem, ex virtute. Hoc ergo securus recuba mecum sub tegmine fagi.


Namque hæc nobis Deus otia fecit.

Hi taciti Ducis Oliuarij sermones fateor ex animo stuporem formidinemque excusserunt, & exanimatione depulsa confidentiam tui adeundi REX MAXIME superinduerunt. Pario ad vmbram tuam libellum hunc primogenitum, subseciuas mentis nostræ cogitationes. Partum alligo ad ramos humanissimæ humanitatis tuæ in securitatem. Monimentum grati mei animi perpetuum. Anathema obliuionis. Mnemosinon debiti mei. Nomenclatorem beneficiorum tuorum. Soterion incolumitatis tuæ à me optatæ. Tabellam obtentæ. Votum magnitudinis tuæ in plurimas ætates amplificandæ apertum, ac patens. Catanæ Kalendis Iunij 1642.

Maiestati Tuæ.

Addictissimus, & Humillimus olim à Cortina
Seruus perpetuus
Octauius Brancifortius Episcopus Catanensis.

LECTORI.



NA me, volentem caussa; vt omnino aliquid legendo, commentandoqúe excuderem impulit, tum vero vt circa humanas perturbationes, quamplurimæ vel nolentem coegère. Illa ex otio mihi hispanico, secessuque, quem ex occupationibus meis non infrequentem carpebam. Matriti enim cum ad Cortinam PHILIPPO MAGNO Regi nostro Catholico, pro more, ac munere vices explerem meas, alijsque locum subeuntibus præberem, quid animo dulcius meo esse poterat, quàm recursus ad meas priuatas ædes? Quid statui meo securius, quam vt ab omni tumultu receptui canens mihi ipsi, abderem me, conijceremque fessum in manus musarum mearum?

Scribendi occasio vna otium.
De perturbationibus plures.

Quid verum enimuero ageret aliud homo exterus, in adolescente ætate, ad bonum nomen, & ad honestum suoque dignum sanguine gradum anhelans? studijs à puero deuotus, non multæ valetudinis, nullius vero curiositatis? ergo in otio negotium mihi honestum legendi, commentandique comparaui quàmlibentissimè.

Ad perturbationum verò considerationem illa incitarunt. Primum, quos in Aulæ Regiæ turbinibus animaduertebam, fluctus in animum meum ingruentes, cum enim ibi ea tempestate versarer desideriorum impetu vano sæpe, sæpe etiam sibi aduerso, ac reciproco, & Eurypi instar occursante, eo me adactum sentiebam vt iam iam in scopulos darem.

Prima perturbationes ipsæ in aula Regia me impetentes.

Deinde alios in eadem area, seu potius montis iugo eodem contemplabar saxum spei voluentes cum nisu valido, cum anhelitu, ac suspirio, & cum sudore profluo Sysiphos videre videbar exantlantes laborem, & nihilum quidem per ætates multas proficientes.

Secunda aliorum desideria prolixa & vana.

Demum ipsum hoc, quo de loquor argumentum, quam præclarum, & latè patens est? quanto vsui, ac delectationi futurum studiosis, si studiosè tractetur? Doctorum Virorum lucubrationes variæ in vario genere censentur. quædam hominem docent, quædam iuuant, quædam ad rectum ducunt, nonnulla corporis prosunt valetudini, alia etiam corporibus, animisque nocent. Sermo de perturbationibus hominem suæ conditionis admonet, ipsum componit, ipsum vt se sciat, edocet, vno verbo ex homine virum facit.

Tertia nobilitas latitudo, & vtilitas argumenti.

Varia scribendi genera cum hoc comparantur.

Matriti labor hic inchoatus.

Itaque his adductus rationibus cum Matriti essem, de perturbationibus animi cæpi aliquid à probatissimis auctoribus excerpere, neque enim aliquem, qui hac de re commentarios, librosque edidisset habebam ad manus, quare meo etiam ingenio aliquid commeditari, ac parturire occepi. Iamque opus inchoaueram, cum ex otio illo meo vmbratili deiectus, in lucem prolatus sum verè negotiosam. REGIÆ enim MAIESTATI, ET EXCELLENTISSIMO COMITI DVCI OLIVARENSI, cui regnorum moles incumbunt, Summoque super rebus Italiæ, Siciliæque Concilio visum est Cathedrali me SEDI CEPHALÆDITANÆ ECCLESIÆ tunc vacanti Antistitem sufficere, electumque Romam ad SVMMVM PONTIFICEM, & inde in Siciliam transmittere. Quid ego hic negotiorum molem referam super me repentino ingruentium? Nauis medius fidius, media hyeme, medio mari in summa tempestate, non tot fluctibus iactatur. & in ea ætate eram, qua sufferendis oneribus tum primum assuescebam. nondum enim tertium supra trigesimum annum confeceram quò certior erga me optima optimè Regis nostri voluntas enituit. Transmigratio subeunda fuit, iter adornandum, comitatus, & apparatus conquirendus, supellex antiqua distrahenda, recens ad itinerum, euentuumque oportunitatem comparanda, amici mihi carissimi relinquendi, Proceres, Magnates, & Magistratus sub profectionem salutandi, quorum mihi non solum frequens, sed perpetua vigebit memoria: tantis me meritis, ac beneficijs cumularunt, tum itinera, & itinerum discrimina, nauigationes, & in his frequens nausea, pericula non pauca, fastidia perennia, & super hæc omnia valetudo mea, negotium mihi negotiosissimum faciebat.

Impetitus mea in Episcopum Cephaleditanum electione.

Et negotijs inde emergentibus.

Mea Romam adeundæ cupiditas.

Et Romam quidem alacriter properabam, ferebar enim remigio alarum, quas meis humeris adaptauerant cupiditates meæ, velocissimas. quis enim non eam Vrbem percupidè oculis vniuersam perlegeret, de qua tam magna, tam memorabilia audieram, legeram? Quis SVMMVM PONTIFICEM VRBANVM OCTAVVM dignitate maximum, prudentia incomparabilem, litteris præclarum, oratione lacteum, poesi melleum, non auidissimis luminibus inspectandum accederet?

Tum Summi Pontif. Vrbani VIII. venerandi.

Sed Eminentissimum illum purpuratorum Patrum Cardinalium Senatum, & in his FRANCISCVM BARBERINVM SVMMI PONTIFICIS nepotem, hoc est Atlantis Herculem mihi cum apud Regem meum legati munere fungeretur arctiori quodam beneuolentiæ, atque humanitatis suæ vinculo coniunctum, cur non coram videre, alloqui, salutare, ac reuereri enixissimè percuperem?

Atque Eminentissimi Card. Fräcisci Barberini coram salutandi.

Ro-

Romam igitur ex longo itinere cum attigissem explicare oratione vix possum, quanta fuerim delibutus lætitia, [illegible] tantorum itinerum pretio, tantum exultationis fructum iure emi posse arbitrabar. Animaduertebam enim me inibi amicis, amicitiæque signis maximis, & ex animo profectis excepi, ijs præsertim, quæ ab Eminentissimo Patrono meo FRANCISCO BARBERINO profluebant vberrimè.

Meus Romam appulsus.

Et gaudium ex amicorum conspectu

Interea maior me cura, negotiumque præpediuit, subeundæ enim erant disputationes de rebus Theologicis coram SVMMO PONTIFICE sollemni ritu habendæ, si quis ad Episcopalem gradum prouehendus sit. Enimuerò quis non totis artubus contremiscat, etiam si de doctissimis esset primus, cum se videat coram IESV CHRISTI VICARIO coram salutis hominum damnationisque arbitro, coram cæli, tartarique claues obtinente, coram omnis ingenij acutissimo, sapientissimoque Iudice, rationes studiorum suorum, scientiæque redditurum? Mihi sane sanguis in venis congelauit, & arbitrabar me omnium oblitum, quamuis ex quo ratiocinari natura mihi per ætatem permisit, nihil in manibus, in oculis, in animo habuerim, præter Philosophiæ, ac Theologiæ tractatores. emersus tandem eo sum periculo diuis fauentibus, & quod de hasta Achillis dicitur eamdem scilicet vulnus, opemque tulisse, hoc mihi SVMMI PONTIFICIS præsentia præstitit, vt quæ terreret primum, animaret deinde quam maximè. ita laborum in studijs meorum non pænitendos fructus legimus, quibus tanquam coronidem addidit Sapientissimus VRBANVS cum suis argumentis sanè quam acutis, contra responsiones meas dignatus ingenium meum magis, ac magis excitare.

Ex minis subeundi sollicitudo.

Coram sapientissimo Pōtifice Vrbano.

Cuius tamen præsentia deinde me mirificè animauit

Et ingenium argumentando meũ exacuit.

Consecratus igitur in Episcopum quid facerem aliud, aut quid meditarer, quam quæ essent eius officij partes? quæ onera? quantum à me exposcerent? tum quantum etiam Rex Optimus, quantum Sanctissimi Pontifices imperarent, quantum Ecclesia nobis concredita, Grex commissus expectarent, quantum demum egomet mihi, & Deo meo deberem, satis mihi manifestum erat. quæ quidem non vniuersa solum, sed singula omne sibi tempus surripiebant, & omnem mihi somnum auferebant, & otium, quin & ipsam scribendi voluntatem deterebant.

Consecratum maiores occupãt curę

Inter hæc tamen agmina negotiorum, sæpe ego velut ex vndis caput efferens, videbar mihi tantisper respirare, & furtiuè otium subinde à negotijs vellicans redibam subcesiuis horis ad perturbationes humanas contemplandas, donec in hanc molem commentarium euaderet.


Sed furtim subsecivæ horæ dantur perturbationibus cogitandis.


Cuius

Operis partitio, & series primæ huius partis editę

ciius operis seriem breuibus Tibi Lector beneuole ante oculis ponam. Tres vniuersum opus distribuitur in partes. Prima, quæ nunc typis mandata publico iuri concedit, quatuor libris conflatur de perturbationibus in genere disputatione, continentibus: Quorum primus de efficiente perturbationum caussa agit, alter de forma, Tertius de subiecto, quartus de effectibus. Altera totidem etiam libris constituitur de ijsdem perturbationibus singillatim consideratis. Tertia de earum compescendarum remedijs, curiosè, eleganterque tractabit. qui quidem libri propediem, vt spero germanos suos priores consequentur. Tu interim hoc quale, & quantumcumque est inter varias fortunæ meæ tempestates per ingenij mei tenuitatem exortum boni consule, vt animos nobis augeas ad posteriores edendos. Vale.

Alterius edenda.







LIBER PRIMVS

DE CAVSSA PERTVRBATIONVM EFFICIENTE.

CVRIOSA admodum cunctis, originis rerũ indagatio. Sic in fluminibus, sic in corporis morbis, metallorum venis, maris fluxu, atque refluxu, cæterarumque Naturæ rerum effectibus. At multò in perturbationum caussis præstantior: quo quidèm sanitatis causâ concurritur, non tam voluptatis: cum certâ quadâm animorum nostrorum cognitione, sordes, si non eluantur, cognoscuntur. Igitur in id ipsum primus se noster hic liber, ac labor exerceat.

SECTIO I.

ARGVMENTI HVIVS VTILITAS, AC PRÆSTANTIA.

Scribenti quæ obseruanda. Peruersum quorumdam in scribendo studium, & ex eo damnum. Præclarum scribendi genus, & laudabile. Poetarum ratio an omnino laudanda. Cui similis. Scriptores rerum œconomicarum vti commendandi. Philosophi, & qui rerum naturas contemplantur quo nomine in pretio habendi. Moralis Philosophia riuo similis, aureas arbores & gemiferas irrigans. Princeps pars in homine quæ? eiusq; laudes. Perturbationum animorum cognitio quam vtilis. Authoris mens, in ijs vestigandis hominem meliorem reddere. Liber, speculum comendæ animæ aptissimum.



DVO ei omninò, tanquàm nauiganti Cynosuras, quicunque elaboratum aliquod luci credere in animũ induxerit suum, obseruanda existimo. Primum, vt argumento vtatur non humili, non abiecto; sed nobili, atque illustri; prætereà legentibus fructuoso. Ex illo lucem sibi scriptor, ex hoc fructum lector deriuabit: & vtriusque labor non irritus, sed cum pretio emerget. Sunt enim qui argumenti inertiâ, scribendo risum alijs exci-

Scribẽti quæ obseruanda.

Argumenti nobilitas.

Vtilitas.

Confirmatio à contrario.

citent, & plausum sibi: hi & oleum effudisse, & operam lusisse mihi planè videntur: digni quidem se, & labores istos suos in tenebris apud Cymmerios lugêre, qui diuinâ animi sui particulam de claro die scurram fecerint, & balatronem; quorum studia, & vigiliæ in scenis, ac tabernis inter histriones, & ganeones prostibulârunt; postremò qui imperârunt ipsimet sibi, tam turpiter auribus assentari, & deridicula procudere.

Peruersum quorundam in scribendo studium. Sunt qui, & deteriora perniciosis, scilicet, humanæ, Christianæque Reip. in vulgus operibus promulgandis, o hominum genus vanissimum, & ipsum perditissimum, & alios perditurum; hominũ ne an Excetrarum suo oris veneno fontes inficientium, vndè cum aquis interitus ab incautis epotetur? *Damnum ex hoc scribendi genere.* Certè hi gloriam ex desudati argumenti præstantiâ talem aucupantur, qualem ille, cuius, vt memoria in posteritatẽ deflueret, Templum Dianæ Ephesiæ amẽs cinefecit. Apagè vt quisquam per scelus suum, & per alienam perniciem nomen sibi scribendo in æuum proferat; atque adeò trophæum suæ temeritatis animet interitibus cæterorum. Quemadmodùm sola virtus honoris, & parens, & obstetrix, & nutrix est, & horum diuûm ædes binæ cum sint, vnis tamen constant foribus. *Præclarum scribẽdi genus quale.* Ità scriptoribus, nisi de virtute vel de viris virtute præstantibus, vel de conducentibus ad virtutem pertractent, aut de Deo, diuinisque rebus, vndè omnis homini ad virtutem efficacitas promanat, nisi hoc, inquam, ferrum emolliant, cudantque, nullus vnquam honoris illis exorietur splendor, aut Cynosura promicabit; & istos quidem ignominiæ noctibus obuolui necesse est, ipsorum autem libros, situ. *Obiectio.* Enimuerò hi, inquies, frequentissimè legentium manibus efferuntur. *Dilutio.* Ità est. At ego credo minus dedecoris istarum operarum farcinatoribus, futurum fuisse, si nemo vteretur. Sed quorum nam tandem hominum versantur ad manum? Doctorum ne, ac sapientum? videlicet: si præclaras altissimarũ rerum imagines, quas mente conceptas asseruant, veluti ingenitos nobilitatis testes obducere, ac sordidare ament turpissimis cadauerosarum cogitationum pulueribus, & simulacris; an otiosorum capitum? Et dies per desidiam non ad vmbelicum solum, sed ad imũ vsque vestigiũ comburentium? Præclara sanè scribentium industria, desudasse, esurisse, insomnes traduxisse commentando noctes, arasse, seuisse, occasse, & messuisse perditis profligatisque homuncionibus, & quorum vita ne flocci quidem sit, horum nihilominus captasse rumusculos. Laus nulla est, quæ non à laudato veniat viro; & quod se laudibus minorem pessimè audiendo præstiterit. Laudare aliũ benè etiam loquendo non valet. Cui anima intus putet, malè etiam foris olet.

Alterum scribẽdi genus poeticũ. Est & aliud scriptorum genus, qui solum vel magnâ ex parte ad iucunditatem Lectori conciliandam concertant, & honestatem

mo-

morum, etiam si præcipuè non intendant, & ad turpia quæque veluti pennicillo delineanda accuratius non laborent, atque in lenocinandis auribus auidius studeant, sententias tamen quamplurimas operibus tanquam gemmas interserunt, vndè non modici virtutum igniculi sæpè resplendent. Hi cum ab honesto non aberrent, ferri quidem atque excusari, laudari certè non possunt; ne tempus, quo neque velocius, neque præstantius quicquam inuenitur, in tã leuiora, tantâ ingeniorum iacturâ deteratur. Laudabis enim Romanum illum Imperatorem, curâ orbis terrarum sepositâ, muscas stylo venantem? Sed hos, vt dixi, feramus: quippe defatigatas hominum mentes sui lectione recreant, ac subindè ad meliora, maioraque capessenda, vel prosequenda reficiant. Quorum quidem facultas in eo versatur, vt morum doctrinam, atque instructionem suaui iucundæ narrationis condimento concinnent, & legentium palatum demulceant. His, ego, Poetis in memoriam reuocabo illud Persij, vt sua carmina sint huiusmodi, vt ea legant duo, vel nemo; putentque triste, & miserabile loqui

Grande aliquid quod pulmo animæ prælargus anhelet. — *Persius sat. prima*

Cõtrà alij, quorũ studia in solas hominũ vtilitates, & vsus dirigũtur: nã vel rẽ rusticã, vel vrbanã, vel domesticam tractandam docẽnt, de morbis auerruncandis, aduocandâque valetudine præcipiunt; hos ego ità commendandos censeo, quemadmodum solent Patresfamilias, cum diligentissimos, quos & in officio suo benè accuratos seruos inuenerint, laude aliquã suscipere. — *Aliud œconomicũ*

Reliqui sunt Philosophi, ac Scriptores, quorum pars in rerum naturis contemplandis eorumque principijs, & caussis inquirendis demoratur; Cælestium orbium constitutionem, ornatum, motum, efficientias, virtutesque vestigat; Elementorum pugnas, vires, qualitates, conditionesque perscrutatur; in altissimis semper, vniuersalibusque perquirendis, dies noctesque traducit; in quorum numerum puto optasse Poetam recenseri cum dixit: — *Aliud de rerum naturis.*

Me verò primum dulces ante omnia Musæ, — *Virg. Georg. 2.*
Quarum sacra fero, ingenti percussus amore
Recipiunt, cœlique vias, & sidera monstrant
Defectus Solis varios, Lunæque colores.
Vndè tumor terris, quã ui maria alta tumescunt
Obijcibus ruptis, rursusque in se ipsa residant.
Quid tamen Oceano properent se tingere soles.
Hyberni, vel quæ tardis non noctibus obstet.

Benè est. Laudes suas habeant Philosophi, rerumque à Deo cõditarum acuti contemplatores; modò de his sibi gradum struant ad summa; & inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, sempiterna eius quoque Virtus, & Diuinitas. Nisi enim hæc flagella non attigerint, næ cursus sui palmam coronamue

vnquam de ſcientiæ arbore decerpent.

Commentationes de Philoſophia morali præclariſſimæ.

Reliqua Philoſophorum pars in germanà animi ſcientià eiuſq; conſiderandis facultatibus inſiſtit; & cognitionem eam ad humanos componendos mores deducit, deriuatque velut riuum arbori irrigandæ, queis imbutus præceptis animus,& altas in virtute radices aget, & ſuis etiam ſtudioſarum actionum pomis ornabitur: quod à natura quidem ductum exemplum eſt. Nam ſi talem Philoſophiæ partem arti cuipiam comparandam exiſtimemus, erit hàc cognitione animus,velut Aurificis arte elaborata arbor aurea, quæ ramis ſuis operta candicantibus inter folia margaritis, & varijs micantibus gemmis diſtincta conſpicitur.

Ei cōgruunt quæ obſeruanda ſcriptori hoc eſt.

Argumenti nobilitas, &c:

Atque hæc pars duo illa à me commonſtrata complectitur: in argumento enim deſudat apprimè nobili,quod eſt animæ conſtitutio, facultas atque operatio. Quid enim illuſtrius, quam hominis partem cœterarum omnium imperatricem condocefacere, vt ſe ipsâ,& ſcire,& ſibi imperare condiſcat. Eſt autem hæc eximia illa intelligendi iudicandique facultas, quæ ſui ortus veſtigia eò altius retinet, quò clarius ſcintillantes in eà primi illius purique ignis reliquiæ immortales conſpiciuntur. Premi ſanctior hæc vis poteſt,non opprimi: tegi vrens hæc flamma non extingui; emicat enim ſemper ſubſiliuntque illi igniculi, qui in tenebris illuſtrant, in ambagibus dirigunt, & ad virtutem rectà vià ducunt. Verè dices Heliotropium,vel florem,qui ingenio ſuo ſemper ad ſolem;ità hęc ſanior pars ad Deum ſui originem vſquè obuerſa eſt. Firma immota, vnum idemque verum ſentiens,vnum idemque appetens, aut fugiens, recti conſilij, recti iudicij fons, & ſcaturigo,cui parêre imperare eſt, & ſubijci rebus humanis omnibus preeſſe. Hàc duce in omnibus vitæ labyrinthis tutus eris, & ab errore extricaberis: qui hanc ſequitur, domuiſſe ſe exultantes omnes animi motus cupidineſque exiſtimet. Deus ipſe per hanc ſui imaginem in nos venit;vt rectè quicumque ille:

Amplificatur.

Bona mens ſinè Deo nulla eſt.

Argum. vtilitas.

Quæ cum ità ſint,ſinè quam maximo etiam fructu hæc nequaquam erunt,cum ad mores hominum cicurandos, atque ad virtutem emolliendos noſtra inſtituitur oratio,typiſque mandatur.

Virgilius Georg.

Fœlix,qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus,ſtrepitumque Acherontis auari, &c.

Noſtra cōmētatio

De cultura animi vtiliſſim.,ac præſtantiſſima.

Quarè ſi in hoc ipſum hoc in opere nos cura exerceat,operepretium fiet, & profectò, vt qui Tyrannidem ſublatam à Ciuitate volunt,quam exactiſſimè anteà arces ciuitatis, & muros conſulūt animaduertuntque; ſic nobis,ſi ſeriò ad vitæ trāquillitatem bonis moribus, ac probis inſtitutis pertingere exoptamus, præſtans, & vtiliſſima erit perturbationum cognitio,quarum operà in Tyrani-


nicam captiuitatem redacti, suspensi, semper, queruli, impatientes iracundi, neque agere secundum rectam rationem, neque Deo obsecundare præcipienti, neque rectà libertate vti sciebamus; quìn verò vt nauis vacua, & inanis alto mari circumvagabamur.

Nos profectò hominis animum in manus accipimus, hunc in omnes partes versamus, eius facultates, & affectiones omnes intentà mentis acie contemplamur: & quemadmodum hi qui humana corpora membratim dissecando, eorum structuram cõpositionemque vestigant, vt deindè morbis incidentibus, aut vulneribus aptè possint sua medicamenta comparare; ità à nobis vniuersæ animæ nostræ machina resoluta, & per suas etiam partes perturbationesque perspecta, vt cum morbo quopiam laborârit, facilè sibi ipsi medicinam norit propinare, aut ne morbus ipse irruat prudentius anteuertere. *Explicatio nostri argumenti.*

Quid verò hoc conducibilius, hominem scilicet ità instituere, vt si quandò suarum affectionum impetu abreptus ab se, & veluti amens factus excesserit, artem habeat, quà in viam, atque adeò ad mentem, & consilium suum reuerti sciat, & ab immani belluà in quam exutà humanitate transierat, humanas iterum assumat induuias; certè opus aggredimur, quo, haud vt Perillus Bouem conflans, in quo si quis includeretur igni subiecto mugitu penè bouis edito, in bouem euadere videretur; sed Lectorem nimijs fortasse amoribus irritatum, aut irarum, aut odij, aut desiderij flammis æstuantem, ab homine in aliam rem immutatum in suammet formam traducimus, ac restituimus, vt meliore sanè sensu quam adolescens ille dixerit, dicere ipse queat. *Cũ amplificatione*

Heu quæ mens est hodie, cur eadem non puero fuit. *Horatius.*
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ.

Quod igitur speculum est mulieri se se comẽti atque adornanti, hoc liber noster animo, qui sedandis moderandisque affectionibus lucem præfert. Hieronem Syracusanum illum Tyrannum, rudem sanè, & asperi inamœnique ingenij hominem, cum diù ægrotaret, frequens cum doctis Viris consuetudo, & frequens de animi tranquillitate sermocinatio, in alterum hominem immutauit, vt gratias indè tam diuturno morbo perpetuas haberet. Hoc Socraticum speculum est, quod quotidiè suis consulendum discipulis præcipiebat; multò eò præstantius atque vtilius, in quo cum se aspiceret Diana, tumentibus buccis tibias inflantem, proiectis tibijs suam iterum ad formam se recepit. *A similibus.*



SEC-

SECTIO II.

PERTVRBATIONVM IN HOMINE EXORTVS.

Ingens hominis dignitas præſertim antè lapſum. Imperium eius in cætera cum Deo diuiſum ex Baſilio Seleucienſi. Nulla in ſtatu gratiæ originalis perturbatio ex Chryſoſtomo. Lapſus hominis: hinc miſeriarum, & perturbationum exortus. Homo naufraganti naui ſimilis. Vtrumque graphicè deſcriptum. Malorum in humanum genus propagatio gemino exemplo declarata. Eius reparatio à Chriſto vti peracta ex Stromateo, & Leone PP. Quamgrandis animæ caſus, & reparatio. Affertur Hilarius, & Bernardus.

Hominis dignitas naturalis.

HOmo nobiliſſimum ſanè animal, ac penè diuinum, præclarà quàdam atque eximià à Summo rerũ omnium Opifice Deo conditione creatum, vnum ex tot animantium generibus atque naturis, nedùm figurà corporis, ad tam egregias diuerſaſque operationes habili, tamque varià, tamque iucundà naturæ compoſitione formatum, ac fictum, vt reliquorum uiuẽtium formis antecederet, Sole, & vniuerſo Aſtrorum Siderumque choro, veluti theatro ad delectationem, & ſtudium, terrenis item commodis cunctis tanquam penu ad ſuſtentationem ornatumq; frueretur; ſed tali quoque ingenio celeritateque mentis locupletatum, vt ex vniuerſitatis huius creaturarum omnium contemplatione, varias ſibi ſcientiarum diſciplinas, diuerſas itidem artium habilitates comparârit. Ità demum amplioribus ab eodem donis, ac naturæ ipſius indebitis muneribus cumulatus eſt, ità ipſius inferiores animæ partes, rationi velut dominæ, iuſta imperanti ſubiectas, obtemperanteſque ſuſcepit:

Nemeſius de natura hominis. c.1.

Supernaturalis.

Rectitudo operandi ante peccatum.

Marius Victor li. 1. in Geneſim.

Nec dubium primi, quin delicta antè parentis,
Hîc ſua fixiſſent pariter tentoria ſecum
Gloria, ſimplicitas, ſtudium, ſapientia veri
Diua, tenax prudentia, gratia honorque ſaluſque,
Præclarique animæ effectus, atque inclyta Virtus;
Et quicquid pulchrum Orbis habet. Quid denique paucis
Dinumerare velim quamplurima munera verbis?

Ità beatus vndique, & ad beatam felicemque vitam, omni opimitate affluentem conſtitutus, vt nullà penè re, niſi corporis mole cæleſtibus concederet. Immortalitatis ſiquidem excellentiam in eo quoque ſtatu cum ſupernis ciuibus poſſidebat; & quod illis, ne mori poſſent naturà donatum, huic in ſui conſilij manu, ne mo-

rere-

reretur collocatum est. Igitur in hoc terrarum ambitu, si non Deus; certè quidem Dominus, atque imperator est perpetuus constitutus. *Dominiũ in creaturas.*

Vidit natura, (inquit Basilius Seleuciæ Episcopus) *hominem immortali manu editum, promotice Creatoris manu visum, & Dei digito ex tẽpore perfectum absolutumque simulacrum; vidit simul fictum, simul regem factum, nam præsit inquit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs terræ; in creaturæ manu creaturam ponit, natura conseruum, gratiæ beneficio dominum creat, mare subijcit, continenti seruitutem imponit, aerem donis adscribit, eorum denique homo fit possessor, quorum non fuerat conditor.* Quid? fallor, si non in rerum molitione socium etiam sibi hominem Deus asciuerit, & tanti operis gloriam cum eo diuiserit, *Adduxit* (inquit Scriptura) *Dominus ad Adam cuncta terræ animantia, & volatilia Cæli, vt videret quid vocaret ea*: ad quæ verba subijcit Antistes Seleuciæ: *Esto Adam nominum artifex, quandó rerum esse non potes. Formentur á me nominentur á te, quæ procreata: partiamur fictricis huius solertiæ gloriam, me cognoscant artificem natum lege, te dominum intelligant, appellationis nomine indito nomen quibus ago assentiam.* *Basilius. Orat. in Adam.*

Atque in eo quidem integræ innocentisque naturæ Statu locutiones huiusmodi Theologorum in ore versantur. omnimoda in homine perturbationum tranquillitas, nulla earumdem contrà rationem insurgentium tempestas, quid? quod? suæ vlterioris largitionis ornamentis talem in modnm Deus hominem affluentissque ditauit, vt sibimetipsi nouo quodam agnationis vinculo per sanctificantem gratiam sociârit. Accipe Chrysostomum quam hæc eleganter antè oculos constituat. *Considera quæso eminentem Beatitudinem, quòmodò superiores fuerint omnibus corporalibus necessitatibus, quomodò terram quasi cælum incoluerint, & cùm essent in corpore nihil corporale tulerint, neque tecto, neque veste, neque tali alio opus habentes.* *Perturbat. quies.* *Excellẽtia ex gratia sanctificante.* *Chris. homil. 16. in Genesim.*

Ab his, proh dolor, factum est vt conditionis suæ homo veluti pertæsus, in altioris naturæ rapinam inuehi cupidus, atque insolescens, suæ etiam pulchritudinis, & beneficiorum à Deo susceptorum, tùm diuinæ etiam similitudinis, quam in se gerebat expressam, oblitus, in interdictas sibi dapes coniugis suæ hortamentis, inque omne miseriarum genus, Vir nimis vxorius irrueret, rueretque. Hinc quantò omnes anteierat animantes, tantò in fœdiorẽ ruinam illapsus, miserrimum vitæ genus sudoribus, ærumnisque scatens incidit, seque in libidines, insanias, ingluuies, cæterasq; huiusmodi calamitates, pestesque detrusit. *Casus hominis.* *Inde miseriæ.* *Et Perturbatiõũ exortus.*

His illata dolis, hoc crimine nata subegit
Mens hominem culpa, in cunctos manante minores,
Quæ semel antiqua pulsos virtutis ab arce,
Non vna tantum transfuso errore parentum
Implicuit, sed cum populis nascentibus aucta;

Marius Victor lib. 1. in Genesim.

Mul-

Multiplicem lautà porrexit strage ruinam.

Tum facto hoc veluti naufragio, repentè suis ipsius animæ perturbationibus cæpit miserandam in speciem agitari, cruciarique; quemadmodum cum deprehensa in alto nauis, per fœdam tempestatem vi colluctantium ventorum iactata concutitur, tum si fortè ereptis sideribus ac die, nullus in gubernatore reliquus artis magistræ vsus, & omnis sit nautarum sapientia deuorata, vt loquitur Regius Psaltes, dissolutis repentè armamentis, omnia latè dissipantur, & deturbatis suo loco gubernaculis, nulla eludendorum fluctuum superest via. Remi per transtra, & foros disiecti detergentur, discissæ fulminibus de loco proruentibus antennæ, maliq; & discerpta ventis vela, magnam trementium vectorum partem, de puppi in pontum suo impetu deuoluunt, obruuntque, atque intrà quassatam alueum, dum pleno agmine hostilis imber inuadit, si qui adhûc superstites morti sunt iam iam sub vndas ituri, sorti, mortique luctantur.

Naufraganti naui assimulatur.

Ps.

Ità cum primis hominum satoribus actum est. At quibus hominibus? prudentissimis, ac sui etiam potentissimis, qui tamèn cum Dei manu, & freti, & affatim ditati, atque in amœnissimà Mundi parte collocati fuissent, in scelus tam turpiter prolapsi sunt, vt eos exindè miseros, hæ atque aliæ intrinsecùs implacabiles perturbationes diù noctuque sollicitant; sollicitos extrinseca mala in horas ingruentia contundunt; foris paupertas, atque inimicitiæ, intus pugnæ atque intestina bella grassantur.

Quid verò subitaneos illos rebellantium inopinatò corporis membrorum insultus, quid doloris, iracundiæ, erubescentiæ, timoris fugæ, trepidationis, inconsideratæ spei, atque audaciæ, cæterarumque perturbationum agminatìm, ac veluti ex insidijs irrumpentium, irruentiumque cateruas percenseam? Quæ non in illo quidèm vno tantum homine humani generis capite, veluti in arce substiterunt, sed in Orbem terrarum vniuersum, atque in singula capita, hostilem in modum facto gradu, impetuque peruasêre. Quamobrem quisque hominum nunc flammis amorum acerrimis incenduntur; nunc acerrimos dolorum morsus persentiunt, nunc immoderato gaudio elati desipiunt, nunc etiam metu exanimantur, modò per spem erecti sibi nimiùm confidunt, tùm vanà spe delusi, quantis miseri desperationum angoribus lacerantur.

Malorum in genus humanum propagatio.

Profectò id cum Adami Sobole vniuersà actû esse videtur, quod ex Circæo poculo Vlyssis socijs; qui per exurgentes perturbationes dementati, diuersarum bestiarum facies miserabiliter induerunt.

Homerus Odyss. 1.

Vel quod adolescentibus illis Agrigentinis, qui cum hausto immoderatè vino, de sanitate mentis deijcerentur, in eam deuenêre cogitationem, vt se in cubiculo, tanquam in naui, esse crederent;

&

& magnis,horridiſque æquoris tempeſtatibus agitari. Ergò nauim celeriter prò ſe quiſque exonerare, proiectâ, ſcilicet, per feneſtras domeſticâ ſupellectile, hinc illinc errare, Deos in auxilium inuocare, horrentia maris monſtra horrere, & alia agitare: quæ fuſius apud Athenæum. *Athenæus.*

Verum enimuerò lugubris hæc, & acerba prolapſio, non ſpe ſinè magnâ recuperandæ ſanitatis excipitur. Licet enim mortalis quiſque ad ſuam oculos cladem dimittens, infinitis propemodum generibus ægritudinum diſcruciari corpus, animamque proſpiciat, ac doleat, tamèn haud illum fugit ſummum hominum amatorem Verbum Patris æterni Vnigenitum, noſtræ coniunctum naturæ, hominem in terris exortum, famem, vincula, verbera, cruciatus, mortem denique ſuâ ſpontè paſſum, arentes vt animarum vires beneficiorum ſuorum virore, & fuſi etiam ſanguinis corriuatione reficeret, quò contrà omnes inſurgentium morborum exercitus, nouo ſpiritu confirmatos homines, nouiſque armorum generibus indutos repararet, ac velut de aris Porcorum, vel potius de ſepulchris in nouam lucem rediuiuos ſuæ libertati reſtitueret. Ità prò antiquis olîm naturæ bonis, ac donis, per ſummum nefas deperditis, aptiſſimorum poſthâc multiplicis gratiæ medicamentorum adiumento excitatus homo, iterùm ad ſeſe, & ad immortalitatem facillimis itineribus prò ſuâ virili contendit. Egregiè Clemens Alexãdrinus de Verbo Incarnato loquens: *Solus quidem* certè inquit, *ex his qui vnquàm fuerunt difficillimas feras homines manſuefecit. Volucres quidem eos qui ex his ſunt leues, Serpentes verò eos qui deceptores; & Leones eos qui ſunt animoſi, & ad iram incitati; Sues autem eos, qui ſunt voluptati dediti; Lupos eos, qui ſunt rapaces; Lapides autem & ligna ſunt inſipientes.* Sed libeat mihi Sancti Leonis verbis noſtrã comprobare ſententiam. *Tibi quondam abiecto, tibi abſtruſo à Paradiſi ſedibus, tibi per longa exilia morienti, tibi in puluerem, & cinerem diſſoluto, cui iam non erat ſpes vlla viuendi, per incarnationem Verbi poteſtas data eſt, vt de longinquo ad tuum reuertaris Authorem, recognoſcas Parentem, liber efficiaris ex ſeruo, de extraneo proueharis in filium.*

Horum reparatio à Christo Domino.

Orat. ad gentes.

S. Leo ſerm. 2. de natiuitate.

Enimuerò magna hominis excellentia eſt, quæ etſi ſordidiſſimis obſoleta, atque depreſſa ſqualloribus, ea tamèn tanti Deo fuerit, vt ſe ipſum prò iuſto illius redimendi extollendique pretio, benignus exponeret. Eleganter Hilarius: *Magnum quidèm mihi eſt de Deo, quod eſſe me ſentio opus ſuum, ſed multò plus eſt quod tranſiſſe ipſum video in pretium meum; quandoquidem tam copioſo munere, ipſa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur.* Vbi Hilarius, non tam ex conditoris magnitudine, magnitudinem conditionis humanæ, quam ex eiuſdem Redemptoris liberali ſolutione metitur. Veriſſimè Bernardus: *Magna res anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt; grauis animæ caſus, quæ non niſi Chriſti Cruce potuit reparari.*

Atq; hinc hominis apparet excellentia.

Hilarius Hom. 6. de Paſchate.

Bernard. ep. 54.

SECTIO III.

SOLA NE PERTVRBATIONVM IN HOMINE CAVSSA PECCATVM AN ETIAM ALIQVA ALIA.

Perturbationes an à Peccato originis, vel etiam ex naturali hominis constitutione. Partem posteriorem, quæ rationes confirment. Difficultas discernendi obiecta ab obliquá rerum existimatione. Pronitas sensitiui appetitus, & voluntatis. Vtriusque perturbationes. Dido amoribus æstuans, irretitæ voluntatis imago, graphicè delineata ex Marone. Voluntatis, & appetitus sensitiui conflictatio. Electræ, & Chrysothemidis; Antigones, & Ismenes allegoriæ ex Sophocle. Carnis, & rationis pugna ex Augustino. Virtutis, & voluptatis elogia ex Senecá.

AN humanarum perturbationum caussa vna, peccatum, scilicet, in mortales per originem propagatione transfusũ, ità vt omnis in homine inordinata perturbatio culpæ sit, vel supplicium, vel effectus, an verò etiam ex ipsà naturali hominis compactione dimanet non incuriosè perquirimus.

Solum esse peccatum, opinio quorumdam.

Et quidem, si qui sunt qui primum asserant, hi sanè aut ignorasse, aut parum considerasse videntur; cum corporis humani, tum animæ ipsum informantis conditiones, affectionesque contrarias. Appetituum enîm repugnantia, & fomes, effrænisque cupiditas, multaque huiusmodi, ex naturalibus vtriusque partis inter se vnitæ conditionibus, nisi aliundè sistantur, ità intrinsecè profluunt, quemadmodum ex elementorum commixtione, quibus corpus ipsum constituitur, fames, sitis, & mors ipsa consequitur. Quam quidem corporis constitutionem Nyssenus per vim ex diuersis concretam generibus, atque coactam, violentamque diuersorum generum coniunctionem appellat: & verè quidem.

Confutantur.

Ex naturali hominis cõpactione.

Gregor. Nyssen. orat. pro mortuis.

Amplificatio cõfutationis a difficultate discernẽdi obiecta.

Homo igitur, si culpà omni vacet, & nullà adhuc Dei adiuuantis ope externà, aut internà confirmetur; tamen ne nullis vnquam ignorantiæ tenebris præpeditur, vt ne semel quidem prò pulcherrimo, aut optimo, honestissimoque existimet aliquid, quod vix tale, aut nequaquam tale re verà sit? Id verò quis audeat dicere? vndè enîm tanta homini isti, aut animæ naturaliter innata sapientia, tanta, ac tam perspicax rerum omnium, obiectorumque cognitio? Peccabit igitur quandoque in iudicandis, discernendisque rebus iudicium suâpte natura. Ex hac autem obliqua rerum existimatione, amor in voluntate quidam spontè suà inordinatus exoritur, quo in illud cognitum fertur, trahiturq; arden-

Ortus perturbationũ hominis naturalis.

ardentius, quam pro qualitate oporteret obiecti. Ex hoc amore vehementissimum erumpit eius, quo careat adipiscendi desiderium. Tùm his geminis incensa flammis anima, nisi potiatur, mærore, lacrimisque conficitur; tandem si quod enixè amârit, cupieritque, consequi se nullatenus posse perspiciat, in desperationem dilabitur.

Eleganter Sanctus Prosper. *Ità humana natura*, inquit, *vt in primi hominis præuaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta, & auxilia Dei semper in deteriorem est proclinior voluntatem, cui committi non est aliud, quam dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ quàm virtutum auidior, famæ quàm conscientiæ diligentior, & per omnem sui experientiam miserior fruendo his qui concupierit, quam carendo, nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem, quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tantò citius appropinquat iniquitati, quantò acriùs intenditur actioni*. Iam quid mirum, si voluntas subsidijs destituta diuinis, suas sibi pariat perturbationes tanquam connaturales. S. Prosper. Confirmatiò ex authoritate.

Inter hæc verò, ipsi hominis appetitus sensitiui, partesque etiam animæ inferiores, atque adeò ipsi corporei artus, quantà pronitate, celeritateque voluntati iàm perturbatæ famulantur; quam se perturbatè gerunt; mouent, incitantque. Nam vt semel obiectum aliquod corporeum, inhonestum quidem, sed delectabile; per intellectus, iudicijque deceptionem falsa prò veris, turpia prò pulchris proponentis voluntati, (quæ in abditis animæ rationalis penetralibus habitare, velut Domina, ac Regina, sed cæca tamen perhibetur) se se inseruerit, & in amores voluntatis, deliciasque peruaserit, tum verò necesse est, vt ad amantis dominæ mandatum famulæ omnes obsecundent, eodemque impetu in Reginæ amasium abripiantur, quo amatrix ipsa. Pronitas appetitus ad perturbationes. Præsertim voluntate annuente.

Sed agè dum non iniucundo Didonis exemplo, perturbatæ voluntatis præferentis similitudinem, aliquantulum per otium ea, quæ à nobis dicta sunt illustremus. Vide quemadmodum cum irretitiam Æneæ amoribus Didonem fecit Latinæ poeseos Princeps, vehementius, quam Reginam, quam prudentem fœminam, quam in externum, in naufragũ, in alias subinde quærentem sedes deceret; statîm perturbationibus eã nimijs veluti fluctibus agitatã inducit. Amplificatio per exemplum Didonis. Voluntas in Didone significata, & à pulchro in escata.

Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent? Amans.
Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes? Virg. Aeneid. 4.

Et hæc quidem nocturna terriculamenta, & fluctuantis mentis indicia. quid cum vires cæperit incendium? in ipso aditu, ingressuque hærebat amor, nec dum totus animam occupârat. Audi.

Anna, fatebor enim, miseri post facta Sichæi, Fluctuans perturbationibus.

Solus hic inflexit sensus, animamque labantem
Impulit, agnosco veteris vestigia flammæ.

Resist.t. Luctatur infelix mulier, & amori aditum omnem pertentanti resistit, impellentem repellit, penetrantem reijcit, & seipsam inferis deuouet, si duello cedat.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Antè pudor quam te violem, aut tua iura resoluam.

Tristatur. Sed repulsus amor palam, subsidiariam sibi assumens tristitiam in cor Reginæ clam peruadit: hinc in fletum illa dissoluitur.

Sic effata sinum lacrimis impleuit obortis.

Lacrimatur Regina, amore tamen adhùc recenti, adhùc tenero, adhùc penè extrà arcem pugnante: quid illa cum manus dederit? quid hic, cum adoleuerit? cum vires auxerit? cum se totum in cor demiserit?

est mollis flamma medullas

Amor conceptus vires accipit. *Intereà, & tacitum viuit sub pectore vulnus.*

Æstuat misera, & omnem prudentissimæ Reginæ Maiestatem, omnem castissimæ, ac domi suæ, se cum pudicitià continentis fœminæ, pudorem exuta, victa in triumphum ducitur.

Vritur infelix Dido, totâque vagatur
Vrbe furens.

Scilicet: parum erat amasse, arsisse, vulnus in imo pectore suscepisse; nisi id omne in publicum protulisset, seque palam amantem esse, fecisset.

qualis coniectâ Cerua sagittâ,

Perturbationes cæteræ incenduntur. *Quam procul incautam retia inter cressia fixit*
Pastor, agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius, illa fugà siluas, saltusque peragrat
Dictæos, hæret, lateri letalis arundo.

Et Cerua quidem sagittarum ictibus impetita, in siluas se, ac nemora recurrens, abdit, remedium paratura vulneri, vel in occulto obitura. at Dido.

Nunc medià Aeneam secum per mœnia ducit,
Sidoniasque ostentat opes, Vrbemque paratam.
Incipit effari, mediâque in voce resistit.

Verè amor, & ignis, vt inquit ille, cælari nequeunt. At tu interìm vide, in quantas misella sit perturbationum tempestates deuoluta: vide, vt quæ propria sunt negligat.

Non cæptæ assurgunt turres, non arma iuuentus
Exercet.

Et vt in aliena, atque minimum conuenientia euagetur, & venaturæ incumbat.

Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Massilique ruunt equites, & odora canum uis.

At

At nullæ arctiores retium maculæ, latiore venabula ferro nulla, nulla vis canum sagacior, quam illæ infelicis Reginæ perturbationes, quæ ipsam veluti prædam in medio deprænhensam irretiunt, commordent, atque dilacerant. *Exlaqueāt voluntatem.*

Quid vero intereà famuli? obsequuntur, obsecundant, occurrunt, adiuuant.

It portis, iubare exorto, delecta iuuentus.

Ità sanè est, quicquid voluntas arserit; arridet appetitus, adfamulantur sensus. *Appetitus, & sēsus voluntati obsecundant.*

Atque hæc quidem, cum in idem obiectum voluntas, appetitusque consentiunt, & vno vterque impetu in vnum ambobus iucundùm feruntur, præeunte voluntate, appetitu eam errantem subsequente. *In obiecto vtriq; iucundo.* Quod si quidpiam aliquandò voluntas vt honestum, aut vtile, iucundumque peramauerit, quod sensibus tamen insuaue, incommodum, asperumque videatur: Proh Deum immortalem, quales tunc reciprocationes, & perturbationum impulsus, repulsusque suboriuntur? *Maior perturbationum exortus cū voluntati appetitus aduersatur.* Currit illa incitatis gressibus; sed in ipso cursu præpeditam isti retardant, ac retrahunt; imperat illa, vt se sequantur; imperium hi detrectant, & in diuersa abeunt, & vel ad aliud voluntatem auocare conituntur, vel cum iurgio lenti, desidiosi, morosi, & tanquam contumaces serui, ità se gerunt, vt trahi inuiti potius, quam obsequi libentes, imò trahere ipsi, atq; imperare videantur.

Subscribant his binæ apud Sophoclem sorores: Electra, & Chrysothemis, & illa rectè quidem sapiens, & iustò in matrem Clytemnestram adulteram, atque viricidam, odio exardescens, fratrisq; Orestis absentiam molestè, mortem verò nec opinatò sibi, & ex insidijs, dolo nunciatam molestissimè ferens, patris Agamemnonis vltionem ex matre, Egistoque adulteris, rectæ rationis ductum sequens, quam auidissimè molitur. *Confirmatio ab exemplo Electræ, & Chrysothemidis.* *Voluntas recta in Electra.* At Chrysothemis, sensuum commodis adhærens, sorori, quæ recta sunt omnia dissuadens, en quæ pericula proponit, si in suo proposito perseuêret. *Sensus in Chrisotemide.*

Sophocles in Electra.

Eloquar rem totam, quantum quidem ego scio.
Decreuerunt enim te, si non lugêre desines,
Eò ablegâre, vbi non amplius vnquam
Solis lumen aspicias; viua verò in communito
Aedificio, extrà hanc terram, tuam decantes miseriam.

Hæc est sensuum iucūda sequentium oratio, ad voluntatem recta sequi paratam. Quanta ob oculos pericula? quàm exagerata? quàm distincta? quàm proxima? quæ omnia, ne fortè voluntas recti amans, parum consideret, cautè subditur *Obluctationes vtriusque in diuersa abeuntis.*

Hæc igitur expende, ne me posteá,
Malo accepto, accuses, nunc enim sapere tibi
Opportunum est.

Ad

Ad hæc, Electra velut de periculorum certitudine dubitans dissimulatè respondet.

Serió ne hec de me decreta sunt?

Chrysothemis existimans sororem à rectà ratione labantem, periculorum adaugens certitudinem, excipit.

Planè, & quidem fient, quamprimum Aegistus
Domum redierit.

Electra. *Atque mea caussa, quamprimum reuertatur.*

Chrysot. *Quamobrem hoc misera optas?*

Electra. *Vt veniat, si quid tale in animo habeat.*

Egregius sanè animus, & amans recti, neque diù simulator, & contemptor mortis est; neque à recto se deflecti sinit per iucundorum propositionem.

Chrysot. *An vt aliquid triste patiaris? quid ità mente deerras?*

Quam tristia, aspera, & non amplectenda, sensus in obiecto honesto permiscet, quo voluntatem ab illo deterreat. Quid Electra?

Vt à vobis quam longissimè aufugiam

Paul. ad Rom. c. 3. Eugê Virago omni laude digna: hoc voluntas recta cum sensus experitur aduersantes. Quod illud est, *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Sensus fallens per præsentia delectabilia. At Chrysot. vt sensum ducem sequitur, sola quæ præsentia sunt contemplatur: sic infit.

Nec præsentis vitæ memoria subit tibi?

Electra *Mirum verò, quam nunc suauem vitam agam.*

Chrysot. *Sed ageres quidem, si tu recta sapere didicisses.*

Idipsum in Anna, & Didone. Didoni Reginæ, cuius animus titubabat præsentia ne iucunda, an honesta essent complectenda: Anna eius soror, honestis vt iucunda præferat suadet, sensuum scilicet partes agens.

O luce magis dilecta sorori,
Aeneid. 4. *Sola ne perpetua mærens carpere iuuentâ,*
Nec dulces gnatos, Veneris nec præmia noris?
Id cinerem, aut manes credis curare sepultos?

August. l. 8. confess. c. 11. Hæc profectò illa pugna est, quam fatetur Augustinus in eius pectore à sensu, & voluntate pugnatam: *Retinebant me*, inquit, *nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquę amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant. dimittis ne nos? & à momento isto non erimus tecum vltra in ęternum? & á momento isto non tibi licebit hoc, & illud vltrà in ęternum? Et quę suggerebant in eo, quod dixi, hoc & illud, quę suggerebant? Deus meus auertat ab animà serui tui misericordia tua.* Lege, & oblectare. Nos redeamus ad Electram sensui contradicentem.

Reditus ad Electram præsentia contemnentem.

Ne doce me vt amicis parum fida sim.

Hoc

Hoc eſt, ne ſuadere contendas, vt præſentem iucunditatem ſequens, obliuiſcar honeſti, quod à me poſcit pietas, amicitia, & reuerentia erga patrem, & fratrem.

Chryſothem. *Non hoc doceo, ſed vt potentioribus cedas.*

Id quod timiditatis, aut adulationis eſt, Ægiſto nimirum, & Clytemneſtræ obſequi, Chryſothemis ad prudentiam refert, vt rectam fallat voluntatem; ſed reijcit illam Soror perquam magnanima. *Senſus adulantis rationes.*

Tu illis aſſentâre, alienum hoc à moribus meis. *Voluntas contra ſenſum aſſentâtē.*

Ingenua virtus eſt, & veritatis amans, ſimulare neſcia, multo etiam minus áſſentari; vbi, præſertim, deformiter læditur honeſtas. Peccas nimis, ò Chryſoth. dum in cæde patris tui vera, & fratris, quam veram etiam putas, vultum lætitia obducis, ſed mulier es, cùm ſexu, tùm animo: vnde venia digna nonnulla. *Digreſſiuncula cōtra aſſentationē.*

Peius ille, cuius cum filium, coram, Rex iaculo transfixiſſet, interrogatus, an ſatis certam haberet manum, reſpondit, negans Apollinem certius potuiſſe dimittere. *Dij*, inquit Seneca, *illum malè perdant, animo magis, quam conditione mancipium; eius rei laudator fuit, cuius nimis erat ſpectatorem fuiſſe*. Has artes non edidicit Virtus in Electræ animo, at neque ab his repulſis ſenſus retrocedit, temerariam virtutem appellat, quæ ſe periculis obijciat. Audi vt ſubdolè Chryſothemis. *Seneca l. 3. de ira c. 14.*

Hoc nempe decet temeritate quadam ruere,

Sed hanc, non temeritatem, fortitudinem potius, virtus appellat. Electra. *Ruamus, ſiquidem oportet, modo patris necem vlciſcamur.* Quam rectè cum virtute ſentit Electra. eſt enim illa *altum quiddam, excelſum, regale, inuictum, infatigabile: Voluptas, humile, ſeruile, imbecillum, caducum, cuius ſtatio, ac domicilium fornices, ac popinæ; virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem: puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus*, hæc, & alia in hanc rem Romanus noſter ſapiens. *Senec. de vita beata c. 7.* *Virtutis, & voluptatis oppoſitæ conditiones.*

Atque hæc quidem de recta voluntate cum ſenſibili appetitu pugnante, ſub Electræ, & Chryſothemidis perſonis à Sophocle inductis. Quæ tamen Poetæ inductio ne caſu fortè, ſed ex induſtria conficta eſſe videretur à Poeta; voluit Tragedus iterum illam in Antigone, & Iſmene ſororibus præſtare: quarum illa pietate erga fratrem Polynicem commota, ſepulturæ illum committere omninò, contra Creontis edictum decreuit; hæc futurorum timore, præſentium verò amore ſuperata, ſororem à recto arripiendo deterret. *Sophocles in Electra.* *Id. in Antigon.* *Alterum exēplū.*

Iſmen. *Quid miſera, ſi hæc ita ſe habent, ego*
Soluens, aut ſepeliens queam afficere?

Antigon. *An me velis adiuuare conſidera?*

Iſmane *Quale facinus, vbi mens tua eſt?*

An

An vero cogitas ſepelire prohibitum Vrbi?

Sed modus ſit, namque omnino probatum, non ex ſolo originalis peccati fonte, perturbationes humanas oriri, quandoquidem natura ipſa hominis ex ſe, partes habeat in diuerſa, & contraria ſæpè abeuntes, atque adeò animam perturbantes.

SECTIO IV.

QVA RATIONE, ET MORBI, ET ÆGRITVDINES ANIMORVM PECCATI PENA DICANTVR.

Obiectio contra prædicta. Ex Theologia. Rurſus è Poetarum commentis. Hi taxantur. Rurſus obijciuntur Patres. Qui explicantur. Noſtra ſententia. Confirmatur à ſimili. Homo vt differat á ſe ipſo ante lapſum cum Caietano. Amplificatur exẽplo Senecæ exulantis. Quo pacto homo in naturalibus vulneratus. Patribus, & D. Dyoniſio lux. Obiectio. Dilutio.

Obiectio, cõtra ſuperiora ex authoritat. Theologi.

AT, quid, amicè, inquîet quiſpiam, tibi nè percelebris è memoria excidit Theologorum ſententia? hominis ſcilicet miſerias internas, externaſque omnes, penam eſſe peccati? quod ſi peccati ſupplicium eſt, quidquid interius perturbationum furentium, animumque ſauciantium mortales perſentiũt; profectò, niſi peccaſſent, nihil huiuſmodi paſſuri, ac proindè in tranquilla, omniſque perturbationis experte vita permanſuri fuiſſent: quemadmodum ergo, ex corporis, animæque compactione amores in homine nimios, nimia odia exoriri contendis? & luctas penè perpetuas, atque diſcordias in eodem ſtatuis implacabiles? cur illum naturali quadam neceſſitate, irarum furoribus, triſtitiæ, cæteriſque omnibus animi morbis ſubijcis? quæ non niſi à peccato, velut perenni fonte decurrunt.

Ex authoritate Poetarum.

An non prudenter poetæ, qui mala in orbem terrarum tunc inuecta fuiſſe teſtantur, cum Prometheus, impudenti vir audacia, ignem per ſummum ſcelus de cælo abripere auſus eſt?

Horat. l. 1. ad. 3.

Poſt ignem ætherea domo,
Subductum, macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors;
Semotique prius tarda neceſſitas
Læti corripuit gradum.

Et quidem febrium cohortem vates lyricus intelligere ſolam potuit, quæ corpus aggreditur, aggreſſuque ſuo hominem de vita deturbat. Quid de acriore, ſæuioreque febrium cohorte illa, cuius oppreſſus inſultibus animus, eò adducitur, vt peſſimis perturbatio-

tionum æstibus inuoluitur? *Várijs*, inquit, Ambrosius *Criminum febribus caro nostra languebat, & diuersarum cupiditatum immodicis æstuabat illecebris; nec minorem febrem amoris esse dixerim, quam caloris. Itaque illa animum, hęc corpus inflammat, febris enim nostra auaritia est, febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est.*

Perturbationes morbi animorum.

S. Ambros. in Luc. c. 4.

Et Poetæ quidem falsò, & per errorem Prometheo quod Adamo est tribuendum ascribunt. Longè enim illo antiquior est nostrorum origo morborum, longè vetustior est ignis cælestis intentata rapina. Nam vt semel boni, malique scientiæ ignem rapere infeliciter audax appetijt Adamus; inde in mortalium animos sæuientium exercitus ille febrium sanitatem omnem, tranquillitatemque turbantium, prorsus inuasit, vt rectè à Patribus dictum sit: hominem peccato, non solum supernaturalibus spoliatum, sed in naturalibus vulneratum.

Taxâtur Poeta.

Dionysius.

Postremo prºbât ex sẽtẽtia Patrũ.

Hæc quidam. At nos priori viæ insistentes asserimus. Omnes Animi perturbationes, corporisque ægritudines, esse homini secundum suam naturam spectato, connaturales, & sua spontè ex ipsiusmêt compositione orituras, quæ tamen, ne erumperent, superadditis humanæ naturæ gratuitis gratiæ donis, fuêre à Deo cohibitæ: quibus per admissum scelus amissis donis, quæ anteâ continebantur perturbationum examina, ne effluerent, illicò ab ipso, & in ipso homine eruperunt. In pœnam ergo peccati prodijsse dicuntur, propterea quod, si non extitisset, nunquam prodijssent: non quod suum non haberent, vnde effluerent, naturale principium: sed quod, ne fluerent, prohiberentur. Rem exemplo monstremus. Si quis, ex diuo hominem nudum, apud se tecto susceptum operiret vestibus; quem, ob ingratos deinde eius mores, & tecto priuaret, & veste; hic & nudus, & sine domo esset, vt antea; & tamen eius nuditas, atque hospitij priuatio, peccati, & ingratorum morum pœna dicerentur: & qui anteâ solum nudus, & tecto carens dicebatur; posteâ spoliatus, eiectusque iurè appellaretur. quamobrem quod naturaliter quis haberet, id in peccati pœnam posse iterum consequi dicendus est, quod & Adamo accidit.

Nostra sententia

Explicâtur Theologi.

Cõfirmat. à simili

Caietanus hoc interesse censuit inter hominem spectatum in pura natura; & lapsum in peccatum; quod inter spoliatum, & nudum. Neutrius enim minores, aut debiliores sunt vires: nisi quod spoliatus, sua culpa, ac damno, vestes quibus defendebatur amisit, & talem esse, dedecori ei existimari; quod de homine secundum se nudè spectato dici nequaquam potest.

Ab Auth. Gaet.

C Audia-

Amplificatio ab exemplo Senecæ exulantis.

Audiamus Senecam de ſuo exilio in Corſicam loquentem; quòd ad rem noſtram explicandam non nihil fortaſsè conducet.

Seneca in Octauia.

Quid me, potens fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, ſorte contentum mea
Altè extuliſti; grauiùs vt ruerem, edita
Receptus arce, totque proſpicerem metus?
Melius latebam procul ab inuidię malis,
Remotus inter Corſici rupes maris.
Vbi liber animus, & ſui iuris mihi
Semper vacabat, ſtudia recolenti mea.

Quid ais mi Seneca? tu aliter docuiſti. Quid quereris? nunquam ante id factum. Fortunas, inquis, meas, dignitatem, & largas opes cogor relinquere. Quid hæc tam molliter, ac pœnè muliebriter pateris ò Philoſophe? fortunam accuſas? an non tu olim illam, cum in Corſica exul ageres, laudibus excipiebas? Quæ te tibi ſolum reliquerat, nullius ægentem, nullius cupidum; en in eumdem te ſtatum vel deducit, vel deijcit. Illam tibi vitam, quã tu optimam, aut non ſanè malam ducebas, eamdem reſtituit, ſublatis hiſce, quibus te cumulârat donis. Cur tu ab ea iniuriam tibi fieri doles? cur vulnus tibi inflictum quereris? ſtudia tua repete; ad Poeſim, ad Philoſophiam poſtliminiò reuertere: has nondum amiſiſti, neque hæ auferri abs te queunt; Ita eſt, reſpõdet Seneca, ſed antè dignitatum acceptarum purpuras, cum Corſicæ degebam, velut nudus eram, qualem naturalis me terra, ac Patria genuerat Corduba; qualem Hiſpania produxerat: at poſt acceptas illas, & à me deindè ablatas videor, mihi ſpoliatus eſſe, atque his, quibus exornabar, priuatus, quod mirum quantum erubeſco, ac doleo; & propterea fortunam vehementer accuſo.

Explicatur exemplum.

Hoc in re noſtra homini peccanti, quod Senecæ deiecto: quas anteà hic priuatus homo actiones operabatur, quibus ducebatur affectibus, in priuato loco, in exilio, in patria, extra Romam, extra aulam imperatoriam nondum deguſtatam, quem vitæ tunc ſtatum, conditionemque gerebat: hæc illi omnia nullam in pœnam connumerabantur; ſed, veluti ſua ſponte, & iuxta naturæ inclinantis conditionem vniuerſa exercebantur: at eadem, vt ex altiſſimo dignitatis gradu deturbatus eſt, incipiunt in pœnam, ſuppliciumque computari; etiam ſi ſtudia, & operationes illæ ab eodem progrederentur principio, ante ſuſceptas, & poſt ablatas dignitates. Atque illa quidem Sancti Dionyſij, aliorumque Patrum verba. Hominem ſcilicet per peccatum, non tantum gratuitis Dei donis priuatum

Declarantur Patres.

fuiſſe

fuiſſe; ſed etiam in naturalibus vulneratum, à noſtro non abhorrent ſenſu; diſſolutio enim facta in natura humana, & gratia Dei, quæ erat illi coniuncta; vulnus humanæ naturæ, ſeu hominis ſpoliatio, dicitur; quemadmodum, quod homo etiam nunc morti ſit obnoxius, pro pœna, & vulnere habet; qui tamen in pura natura idem habuiſſet ex contrariorum elementorum inter ſe compactione oriturum; neque eo in ſtatu mors in pœnam, aut vulnus in ſupplicium cenſerentur.

Sed horum verborum neque dum perfecta explicatio allata videtur. Diſcrimen enim aliquod inter ſpoliationem, & vulnus videntur innuere Patres; atque adeò vnum ſine alio eſſe potuiſſe, quod tamen in ſupradictis diſcrimen nequaquam oſtenſum, aut admiſſum eſt. *Obiectio contra declarationem.*

Ità profectò; ſed nullum adhuc eſſe inter hæc duo, diſcrimen aſſerimus, niſi quod ſpoliatio ad hominis operationes futuras non refertur, ſed ad decus, ornamentumque præteritum; quo ornatu per peccatum amiſſo, remanet homo dedecoris plenus: vulnus autem directè debilitatem in membris operaturis reſpicit, indicatque difficultatem operandi ſequuturam. Quod quidem diſcrimen non eſt in effectu ſpoliationis, & vulneris; ſed potius in reſpectu, aut in eo ad quod primariò referuntur illa duo, cum vnum ſint duos habens effectus. *Reſponſio acuta.*

SECTIO V.

PECCATA, QVÆ PER SE HOMINES COMMITTVNT CAVSSA PERTVRBATIONVM ESSE NON POSSVNT.

Pars aiens vti ſuaderi poſſet. Allati Sophocles, & Cicero. Conſcientiæ tortura ex Chryſoſtomo, Dionyſius, Catilina, Cæſar, ingentuum perturbationum exempla. Pars negans verior ex ſacris prophaniſque Scriptoribus. Oſtenduntur in Protoplaſtis animi perturbationes, & vt peccatum anteceſſere. Hoc ipſum in Caino. Peccata ſolum proniorem peccantem faciunt ad perturbationes. Adoleſcentes cur mulierem oderunt quam primum vſi. Ammon cur ſororem odio. Sichem Amore Dinam maiore. Hebræi reiecti. Caietani, & Saliani reſponſiones minimè receptæ. Ariſtoteles explicatur. Noſtra mens exponitur.

(:§:)

Videri esse.

CVm de solo, quod originis dicitur, peccato loquti simus, reliquum est de alijs, quæ per actum, vel cum actu hominis libero suscipiuntur, quàm pauca dicere; videntur enim hæc magnas in homine perturbationum flammas excitare, vt nisi mala herba nimium succrescens, vt noxia opportuniùs recidatur; næ corruptus simul, & corruptor, æger, & flagrans animus, libidinibus exardescens, haud leuioribus remedijs reparabitur,

Experientia.

Exemplo.

Orestæas Furias famosas parricidium fecit

Sophocles in Oreste.

O mater, ne incutias mihi
Puellas cruentas, & quarum comæ speciem habent serpentum:
Istæ enim, istæ saliunt propè me.
O Phœbe, occidunt me habentes caninam speciem,
Toruum tuentes, inferorum sacrificulæ, atroces Deæ:

Ità ità hominis tranquillitatem interuertere, & furijs illum exagitare videntur. Et quidèm Poeta Deas hasce furiosas extrà Orestis animam existentes inducit: sed re verà illæ intus in animæ penetralibus sæuiunt, furunt, insaniunt. *Suum quemque scelus agitat, suæ malæ cogitationes, scientiæque deterrent: hæ sunt impijs assiduæ, domesticæque Furiæ; quæ dies, noctesque parentum pœnas à consceleratissimis filijs repetunt.* Hæc Tullius. Sed nescio an eloquentiùs Chrysostomus: *Conscientia quippè aduersus hominem insurgere solet, & clara voce clamat, & accusat, & ostendit, & quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem: & licet quis admisso peccato omnes homines celet; ab ipsá tamen accusatrice non poterit delitescere; nàm vbicumque fuerimus eam circumferimus. Ipsa nos circumit, laniat, flagellat: domi, in foro, & in templis.* Quære Dionysium illum in Sicilià instar feræ in humano sanguine se volutantem, stupra, rapinas, cædes, multos annos impunè exercentem: contemplare tùm eumdem infamem, extorrem, inopem, à sceptro ad ferulam deuolutum, & vnis, & alteris perturbationum suarum continuò pœnis oppressum; quæ non præcesserunt, & sequutæ sunt, punientes Syllam, Marium, & alios ludentes, & lasciuientes in ciuili sanguine Tyrannos? Inspice Catilinam de quo Mantuanus noster:

Authoritate. Cic. pro Roscio Amer.

Chrysost. in Genesim Homil.

Item exemplis aliorum.

Virg. lib. 8. Aeneidos.

Et scelerum pœnas, & te Catilina minaci,
Pendentem scopulo, furiarumque ora trementem.

Flecte oculos ad Cæsarem illum superbum victorem; opinione suà, & aliorum iàm Deum; suarum perturbationum iàm victimá; trigintà, & amplius plagis confectum. Vigilant enim semper, & cum dormire censes, conniuent, tarditatemque supplicij grauitate compensant.

Pœna peccati si tarda tamē certa.

Horat. Carm. lib. 3 ode 2.

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Suspecta quidèm hàc in re semper tarditas, cui grauior adhæ-

ret

ret punitio. Sed nos exempla hominum perturbatissimorum ad eorumdem supplicia exornanda paululùm de via deflexerunt; in eam nunc iterùm redeamus.

At enim verò nemo scelere se vllo obligat, quìn eius animus prius genere aliquo perturbationis sollicitetur; atque de recto rationis statu deiectus, cœperit intellectu quidem falsa prò veris existimare; voluntate autem non proba, inhonestâque prò bonis, atq; iucundis appetere: hinc illud. *Nostra sētentia negans probatur.*

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error. *Virg. Ecloga 8.*

Et Apostolus: Vnusquisq; tētatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: deindè cum concupiscentia conceperit, parit peccatum: non igitur videntur perturbationum fons, atque origo peccata. *Authorit. S. Iacobi epist. can. c. 2.* *Peccatū præit perturbat.*

Rectè, & quidem in primis, hoc vt humanæ sobolis propagatoribus, locum habuit, cum primùm noxà se contaminàrunt. Et de vxore quidem Euà, inficias ibit nemo, antequam illa pomum degustasset, multas in ea animi perturbationes esse concitatas, spei nimirùm, similitudinis, & scientiæ diuinæ acquirendæ; amoris, & desiderij illius, quod erat vetitum percipiendi, delectationis cum primùm manu malum apprehendit. Præclarè Bernardus. *Quid tu ò Eua mortem tam intentè intueris? quid illò tàm crebrò vagantia lumina iacis? Quid spectare libet, quod comedere non licet? oculos, inquit, tendo non manum: non est interdictum, ne videam; sed ne comedam: hoc: & si culpa non est, culpæ tamen initium est.* In Viro autem amorem nimium ergà vxorem, cuius oratione delinitus in præcepti transgressionem descenderit, quis non videat? Sed audiendus iterùm de vtroque parente Clarevallensis Abbas sanctissimus. *Hæc sola mundus habet: concupiscentiam carnis oculorum, & superbiam vitæ: his abstracta, & illecta misericordiam omnem crudelis mater abiecit: sic & Adam, qui mulieri malæ misertus est, vt cum eá peccaret.* *Etiam in primis parentibus.* *Probatur ex Ber. serm. 1. de Annunciatione.* *Bern. serm. 1. de Annunciatione.*

Et in Caino sacræ paginæ ostendunt, peccato omni præire appetitus per inordinatas affectiones commotionem; queis tamen occurrere, ac resistere queat voluntas, quarum dominari, & subtus se habere, Creator Optimus dedit. *Cōfirmatur ex sacris litteris* *Gen. 4.*

Porrò, fieri tamen potest, vt noxæ, in quas spontè incurrimus, proniorem animum reddant ad perturbationes patiendas; quod quidem ipsum, vt meus captus est, enucleatius excutiendum iudicauimus. Cum enìm experientia adstipuletur, semel iræ accedenti aditum patefacientem faciliùs deinde in iras iturum: libidine exæstuantem ruiturum posteà in eas syrtes præcipitantius: huius tamen rei caussa, non dùm liquidò constat. Et Aristoteles quidem docet adolescentes cùm primùm post pubertatem libidini frœna laxàrunt, solêre odio exacerbari mulierem in illam, in quam incurrerunt. Quod fortasè Ammonis facto Dauidis filio cōfir- *Peccata solū proniorem faciunt peccantem ad perturbationes.* *Inquiritur caussa Arist. contrarius videtur.* *Etiā sacra paginæ Reg. 2. c. 13.*

firmari posset, qui cum ardentissimè Tamàrem sororem suam peramasset; viciatam, odio tam præcipiti repentè est insectatus; vt abactam cum ignominia extrâ Ædes exturbarit. At id infirmari è contrariò alijs exemplis potest, Sichem filij Emor Hæuei principis, cui cum Dina rarissimæ formæ puella mirum in modum arrisisset, raptam mulierauit, *& conglutinata est anima eius*, vt loquitur legifer, *Dinæ*,

Genes. 34.

Explicatio Arist. & sacræ scripturæ à aliquos.

Et caussam quæsiti Aristotelici non est facilè vestigare; turbationes autem has odij, & amoris, non oriri ex facto illo, facilè exindè patere potest; quod vna, eademque caussa contrarios nequeat affectus ingenerare; aliundè ergô, & odium in Ammone, & amor in Sichemo emanauit.

Reijciuntur.

Caiet. in Genesim.

Salianus

Profectò odij caussam in Ammone, aiunt Hebræi, quod ille in vi inferenda grauiter se læsisset. Nugæ. Caietanus ex interiore humorum dispositione per coitionem immutata, fuisse pariter affectum immutatum, censet. Quod si id verum est, ait Salianus, quamobrem cum semper in coitionibus, hæc sequatur dispositionum immutatio, rarissimè tamen alteratio affectuum consequatur?

Explicat. Arist. à Saliano.

Reijcitur, & Arist. mens declaratur.

Aristoteles quidem ad suum problema in hunc sensum respondere videtur: ex conscientiæ scilicet stimulo, & pudore sequuturæ infamiæ, odium erga eam nasci, quæ huiusce velut causa fuerit. Sic Salianus. At verò Aristotelis mens ad Caietani potius sensum videtur accedere. Eius hæc sunt verba. *An quod mutatio summa extiterit, sequentis tristitiæ memores, eam fugiunt, tanquam fontem, ad quam se se applicauerunt:* hoc est, cum in prima coitione adolescens interiùs maximè immutetur in corporis dispositionibus, atque hæc interna mutatio tristitiam soleat parere ex ipsa consequentem, hinc est, vt odium sequatur etiam erga illam, quæ caussa tristitiæ fuit. Quæ quidem ratio vera est vt plurimum, non tamen necesse est, semper vt summa sequatur immutatio; neque hac sequta, vt tristitia exurgat; & si hæc item sequatur, non necesse est, vt sit magna, odium progenerans; & in coitionibus, si vehemens præcessit amor, etiam si humorum succedat immutatio, non tamen illicò tristitia suborietur, primo amore obsistente. In Ammone igitur primum ardenter amante, postea ardentius odium exercente, immanium Erebi furiarum opera, ex Diuina factum permissione, cum Saliano censeo. Sed ad rem nostram reuertamur.

Ammonis odij ratio.

Nostra sententia subtilius discutitur.

Peccatum s. non esse causam perturbationum.

Et quidem, si hominis peccatum in eo, quod est rectitudinis priuatio, vel deformitatis relatio consideretur, non apparet quemadmodum perturbationum caussa esse queat; negatio enim, & relatio nihil, vt docet Philosophia, operantur: quod si vt quædam actio, aut hominis operatio est, per quam ingenerari in illo di-

spo-

ſpoſitiones quædam, atque habilitates poſſint, quibus pronior, ac promptior ad eaſdem iterum, ac ſæpius exercendas operationes efficiatur, ſpectetur; conſtat primò diſpoſitionem illam peccatum, aut noxam nequaquam eſſe, ſed vitium ab actione præeunte conſequtum, tanquam mali corui, malum ouum: Deindè actionem illam malam, perturbationem eſſe manifeſtum eſt; quî enîm fieri poteſt vt actio, quæ malitiæ ſubiectum eſt, immoderata non ſit; Ità peccata ſecundum ſe, nullius eſſe perturbationis humanæ cauſſam concludimus, quaſi naturæ vires diminuant, aut ſubtrahant, quod hac ſectione diſquirebamus.

SECTIO VI.

NVM EX ASTRORVM SIDERVMQVE INFLVXV ALIQVÆ IN APPETITV SENSITIVO PERTVRBATIONES NASCANTVR.

Aſtra in hæc inferiora operari certum. Incèrtum quo genere influxus. Matthias Coruinus Vngarorum Rex Metopoſcopiæ, & Phyſiognomiæ ſcientia illuſtris. Ante hunc, ea in ſcientia celeberrimi, Cæſar, Socrates, Pythagoras. Inſignis habitus etiam Maro. Bouis indòles. Equi generoſioris Deſcriptio ad hominem fortem delineandam ab eodem allata. Iulianus Parabata à Nazianzeno quibus indicijs notatus. Eliæ Cretenſis de Nazianzeno teſtimonium. Corpòris humani conſtitutio etiam ab aſtris: ex D. Thoma. Signa ex quibus Aſtrologi animi inclinationes venantur ad mores dignoſcendos. Cauſſæ propinquiores ex Galeno, & Horatio. Planetarum Vires recenſentur: Mare Saturni lachrymam, qui dixerint. Lippitudines Saturninæ adagium. Iouis Ethymon. Apodoſis. Mars quales efficiat. Sol mundi anima, & mens apud veteres: Quos mores inducat. Phæbus cur Cytharedus: cur ſagittis armatus: cur iuuenis, & imberbis: cur etiam clamydatus: flauoque capillitio. Venus amorum præſens ex Lucretio, & cur. Mercuriales dicti qui: Mercurius mercimoniorum præſes apud Ethnicos: ex Plauto. A Luna Elementorum permutationes quantæ; quotque in hominibus. Luna quinta nil operandum, ex Virgiliò. Eà imminente omnia ſterilia nata ex eodem. Seruius reiectus. Pluto, & Proſerpina ſteriles. Eius rei verior apodoſis.

Aſtrorum, syderumque iura in elementa; & ea, quæ in ipſis commorantur, cum ſatis ſuperque experientia conſtent, nemo eſt qui inficias eat. Sed ſiue hoc quibuſdam cæleſtium *Aſtra in inferiora operari certum, quo vero influxu incertum.*

ſtium corporum præſtetur influxibus, præter motum, & lumen; ſiue ſolo lumine, ac motu aſtra in inferioribus operentur; in controuerſia Philoſophia adhuc detinet; neque nos in præſentia, vt ſententiam noſtram proferamus vrgemur. Illud ſcitum. in miſtis corporibus, etiam humanis, quatuor præcipuarum qualitatum permiſtionem, vnde ipſorum conſtitutio corporum maximôperè componitur, ab cæleſtium influxu, ac moderatione, ſecundum diuinam prouidentiam, magnam partem dependêre. Itàque hominum, & animantium magnitudo, & paruitas; habitus, & aſpectus, color, figura, honeſtas, deformitas, macies, extenuatio, pinguedo, craſſitudo, rugæ ipſæ, næuique corporis, cutis mollitudo, durities, pilorum, criſpitudo, aut ſubtilitas, leuitas, aut hiſpitudo, dentium raritas, aut conſtipatio; manuum conſtitutio, non à materiæ ſubſtantiæque conditione ſola; ſed multum etiam à qualitatum primarum compactione, & multum ab aſtrorum efficacitate ſuſcipiunt; quæ qui diligentiſſimè obſeruant, non ſolum in aſtrorum deueniunt, & planetarum in ſingulis corporum membris dominantium, cognitionem, ſed ex hoc gradu, in internas affectiones brutis animantibus, atque adeò homini ipſi natiuas, aptiſſimè penetrant; in quas quidem bruta incurrant neceſſariò, homo vero illas pro ſua libertate moderari, aut ſuffocare queat. Hinc Phyſiognomicorum ſecta, & ſchola exorta eſt, in qua tantum profeciſſe Matthias Coruinus Hungariæ olim Rex dicitur, vt vel ad intuitum faciei, ac eorum, quæ in facie lineamenta, rugæque dicuntur, de intimis moribus ſagaciſſimè venaretur. Fuère etiam ante hunc Principem virum (nam antiquiſſima Phyſiognomiæ diſciplina eſt) qui talia ex talibus indagàrint, ac præuiderint. Cæſar non à nitidis, & crinitis, Antonio, ac Dolabella, ſibi cauendum; ſed à tetricis illis, ac macilentis, Bruto, & Caſſio, dictitabat, neque errauit: hunc enim illi de dignitate deiecerunt, & vita priuarunt. Doctiſſimus in hac arte Socrates; doctiſſimus Pythagoras; doctiſſimus ille, qui Socratis imaginem nondum ab ipſo cogniti, probè contemplatus, pronunciaſſe fertur; illum, cuius hæc eſſet imago, peſſimis eſſe hominem moribus; & vitioſiſſimis; cachinnum extulêre, qui aderant, & toto cælo nebulonem illum aberraſſe, vel iureiurando aſſerebant: Socratis eam eſſe figuram, cuius hominis diui boni? nempè ſanctiſſimi, cordatiſſimi, morumque candidiſſimorum. Ille in ſuo dicto perdurâre, lineamenta id ipſum docere, res ad Socratem defertur. Deridentes compeſcuit, vera de ſe pronunciata dictitans, neque falſam ex imagine coniecturam eſſe factam, affectiones tamen ipſum ſuas, inclinantemque ad peſſima naturam, philoſophiæ diſciplina cohibuiſſe, ac paulatim ad meliora traduxiſſe: vt ex hoc pateat nihil in noſtram voluntatem, & arbitrium ſydera, atque aſtra domina-

Non noſtrum inquirere.

Hinc Phyſiognomica.

Phyſiognomici nonnulli eggregij.

Plutarc. in Ant. & in Caſare.

Aſtra menti non dominari.

tionis habere, vnde illud Euripidis apud Clementem. Euripides apud Clemẽtẽ strom.6.

O Iuppiter, quid adulterinum, quod fiet
Aurum dedisti, aperta signa inter homines.
Sed quo queat signo malus cognoscier.
Est insitus nullus character corpori.

Cuius sententiæ similem, sed breuiorem affert Hyperides. Hyperides apud eundem.

Nullus animi character in vultu hominibus.

Virgilius verò noster, quo in hac scientia minor? & cui secundus? notissimum illud: pullum equinum à Crotonyatis Augusto missum præstantissimæ formæ, atque indolis omnium iudicio celeritatem admirabilem specie sua pollicentem, vnus deridens Maro, morbosa ex matre natum, & nullius spei animal dixit; spes de se omnium conceptas lusurum, quod & de canibus, aliâs etiam verissimè prædixit: cuius enimuerò sunt illa, effata ne an carmina de indole boum. Virg. excellens Physiog. Experimẽta Virg.

Optima toruæ Virg. Georg. 3
Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima ceruix, Eius doctrina in animalibus. Georg. 3.
Et crurum tenus á mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus; omnia magna.
Pes etiam, & camuris hirtæ sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis, & albo;
Aut iuga detrectans, interdumque aspera cornu.
Et faciem tauro propior quæque ardua tota.
Et gradiens ima vertit vestigia cauda.

Et illa de equo

Continuò pecoris generosi pullus in aruis,
Altius ingreditur, & mollia crura reponit:
Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere Ponto.
Nec vanos horret strepitus. illi ardua ceruix:
Argutumque caput, breuis aluus, obesaque terga.
Luxuriatque thoris animosum pectus, honestis
Spadices, glaucique: color deterrimus albis,
Et Giluo, tum si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus.
Collectumque premens, voluit de naribus ignem.
Densa iuba, & dextro iactata recumbit in armo.

Quibus quidem carminibus noster Latinus sapiens, Virgilium dum aliud agit, virum fortem, describere ait. Senecã.

Ità vt à brutis animantibus, ad animal, qui homo est, nostra progrediatur oratio; qui candido sunt corpore, & leui, ac molliore ad tactum cute; pauorem, libidinemque, & leuitatem, ab ijsdem Physiognomicis præseferre dicuntur. Rubicundi animositatem; pilosi, si pilus sit densior, robur; si mollior, Physiogn. iudicia de homine multa.

 à forti-

à fortitudine desciscere, quod si circa collum spissus, liberalitatem; circa pectus, loquacitatem; multa præterea ex oculis, eorum, scilicet situ, magnitudine, coloribus, motibus, nutibus nitationibus diuinant; luculentum omnium, quæ dixi testimonium, atque exemplum proferam sanctissimi, & doctissimi viri Gregorij Nazianzeni de Iuliano Imperatorum omnium pessimo. *Tunc igitur*, inquit, *me non malum de hoc viro coniectorem fuisse noui, quamquam non ex eorum numero sum, qui in huiusmodi rebus, sciti, atque ingeniosi sunt; sed me morum, ac gestus ipsius inæquabilitas, atque ingens quædam mentis emotio, vatem efficiebat: si quidem optimus vates est, qui rectè conijcere nouit; neque enim boni quicquam significare videbatur, ceruix minimè firma, humeri quos subinde agitabat, & acuebat, oculus vagus, & oberrans, ac furiosum quiddam intuens, pedes instabiles, ac titubantes, nasus contumeliam, & contemptum spirans; vultus lineamenta ridicula, idem significantia; risus proterui. & exæstuantes, nutus, & renutus omni ratione carentes; sermo hærens spirituque intercisus, interrogationes præcipites, & imperitæ; responsiones nihilò his meliores; aliæ in alias insultantes, nec graues, & constantes, nec eruditionis ordine progredientes: quid singula describere necesse est; talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognoui*. Et quidem Gregorius parem sibi nullum alium in hominum naturis, per hanc scientiam dignoscendis habuisse, testatur Elias Cretensis.

Greg. Nazianz. de Iuliano Imper. Apostata orat. 4. Ex versione Bilij

Nazianz. egregius Physiognomicus. Elias Cretensis in comment.

Profectò externa corporis figura, & lineamenta, faciei, præsertim, atque in facie oculorum constitutio, naturalibus abundat signis, indicijsque, quorum ductu sapientes viri in intimas animi affectiones penetrare norunt; horum autem membrorum omnium positiones ex cælestium globorum circumuolutionibus, efficientiâque pendêre, manifestum est, vt latè probat Doctor Angelicus.

Regressus ad Astrorũ efficacitatem circa humana corpora. D. Tho. l. 3. contra gẽtes 1. p. q. 15. ar. 3. ad 4. 1. 2. qu. 9. ar. 5 2. 2. q. 95. ar. 5. 6. 7. & alibi.

Itaque animæ ipsius tum rationalis, tum sensitiuæ, ac vegètatiuæ accidentia, earumque qualitates: ex domo vt aiunt, prima, planetisque in ea inhærentibus, vel ad eius significata pertinentibus, tum ex statu Lunæ, & Mercurij, & domino Horoscopi, ex Veneris dispositione, ex signis in quibus hi significatores exiſtũt, & fixis in Horoscopo, vel cum planetis mores significantibus constitutis, & demum temperamento, quod ex stellis etiam nato decernitur; quales eidẽ futuri sint mores ostenditur. Et quidẽ in genere, ex dispositionibus, ac constitutionibus Lunæ, & Mercurij aspectu se se mutuò contuentium, vel benè, aut malè affectorum, & ex eorũ altero in signis imperantibus, & longarum ascensionum, vel obedientibus, & breuium ascensionum, conuenientiam inter rationalem partem, & sensitiuam dijudicant; Enimuerò Mercurium rationi præesse, Lunam sensitiuæ potentiæ asseuerant: quamuis aliæ etiam propinquiores caussæ sint ad hominum mores digno-

Ex quibus signis Astrologi dignoscere se aiunt hominum accidẽtia circa inclinationẽ animi.

Conueniẽtiã inter rõnem, & sẽsũ à statu Lunæ, & Mercurij.

Mercurius rationi præest. Luna sensui.

dignoſcendos. vt temperamentum quod inclinationes regit, vt docet Galenus, Patria quando alij, atque alij ſunt nationum diuerſarum, Mores Vrbanorum, & Paganorum; parentum natura, doctrina, inſtitutio, conſuetudo; vt egregiè cecinit Venuſinus.

Aliæ propinquiores cauſſæ ad dignoſcẽdos mores.

Est in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam
Doctrina ſed vim promouet inſitam:
Rectique cultus pectora roborant.

Horat. od. 3. lib. 4. carminum.

Quod igitur de appetitiuis naturæ facultatibus, Phyſiognomici conſueuerunt ex corporum externis indicare lineamentis, id ipſum Aſtrologi ex horum ſignificatorum varijs poſitionibus, coniunctionibus, oppoſitionibus, amicitijs, inimicitijſque, veſtigant. quas dum aſtra in motu ſuo ineunt diuerſis ſolent influxibus hæc infima proprijs in qualitatibus permutare: neque in Elementis ſolum, diuerſas has aſtrorum, ſyderumque impreſſiones, affectioneſque conſpicimus; ſed etiam in animantibus, præſertim aquatilibus, & inter aqueas, teſtaceis, vt ſunt Echini, Oſtrea, & cætera id genus concharum, quæ lunâri poteſtate augentur, minuuntur: Neque verò ex vnius ſolum ſignificatoris virtute, quâ pollet hominis compactio dependet; ſed multa ſunt in conſiderationem adducenda, nam aſtrorum benignîtates, malignitateſque, pro coniunctione nunc inter ſe inuicem, nunc inter ſigna duodecim, nunc reliqua inter ſydera, aut augentur, aut minuuntur, aut ſtabiliuntur, aut etiam omninò delentur; quod enim ab vno aſtro prommittitur, ab contrario, contrarium ſæpè præſtatur; & quæ maligniora fortè ab aliquibus timueras, à benignioribus, teſtimonijs collectis, ſuperata; molliora reperies. Quæ quidem infinitis poſſent propemodum teſtimonijs confirmari. At nobis ad alia properantibus, ſat erit hîc obiter ſingulorum vires Aſtrorum, quas circa hominum affectiones exercent, dum ſuo ipſa indominatu verſantur, quàm breuiſſimè recenſere; Etſi enîm rarò eſt, vt vnus Planeta ſolus morum ſignificator exiſtat, haud tamen difficilè erit ex varijs ſignificationibus poſitis miſtionem quamdam dexteritate quadam inſtituere.

Vis aſtrorum in elementa.

In animalia præſertim Aquatilia

Ariſt. problemate 12. & 13. ſect. 26 prob. 14. ſect. 2. ſecundo methcororum ſumm. 2. c. 2. l. 4. de partib. aliorum c. 3. Plin. l. 2. c. 41. Clemens Alexandr. orat. contra gentes.

Recenſentur errorum vires.

Igitur Saturnus, quo nomine Aſtrorum omnium ſupremum, & maximum intelligunt, homines pilis in pectore hirſutos, ſubiracundos, & ad generandum procliues facit: hinc in antiquis fabellis ſemiferi illi homines pilis horridi, & maximè libidinoſi, quos ſacræ etiam litteræ piloſos vocant, inducuntur. Satyri etiam à Saturno dicti; Antiqui podagroſum lippientibus oculis, lacrymantibuſque finxêre: vnde Pythagorici, mare, eſſe Saturni lacrymam myſterio ſuo proferebant. Et apud Græcos quidem, prouerbij loco vſurpatur: Croniæ lemæ: ideſt: lippitudines Saturninæ. Hic

Saturni.

Satyri à Saturno.

Saturnus morum significator benè positus.

igitur morum ſolus ſignificator fortis, & benè affectus, graues præſtat homines, profunda cogitantes, boni conſilij, & profundi intellectus, occultarum rerum amantes, taciturnos, ſolitarios, laborum, moleſtiarumque patientes, auaros, dominij cupidos, in promiſſionibus non ſemper veraces; nunquam enîm ità benè conſtituitur vt naturali ſuà malitià ſpolietur; ſi verò debilis, & infortunatus, nullius authoritatis homines, negligentes, timidos, lucem fugientes, triſtes, inuerecundos, turpes, pertinaces, ſuſpicaces, liuidos, obtrectatores, inuidos, ſuperſtitioſos, malignos, ſuis inſidiantes, inſidias metuentes, auaros, auſteros, pigros, mendaces, deceptores, odio bonos proſequentes; ex quibus quidem impreſſionibus, per quam facilè eſt, in perturbationum penetrare notitiam, in quas ſua ſponte ferri homines poſſunt, quas cum beſtijs habent communes, vt inquit Baſilius.

Male affectus.

Baſilius hom. 6. in examer.

Iouis.

Iuppiter benignum, ac liberale Aſtrum eſt, vndè illi à iuuando nomen Deo ipſi attributum, cuius eſt omnia iuuare. Is hominem grauem, laboris exigui, & cordatum facit; ſic ipſe ſuis in imaginibus ſemper ſedens deſcribitur, nudus pectore, quià homines exterius candido colore, honeſtoque habitu; interius ingenuos, apertiſque moribus præſtat: hic maturitatem, conſilium, prudentiam, religioſitatem præbet: vndè fingi ſolet ætate hominis perfectà, barbà promiſſà, ſceptrum manu tenens, oculis pulchris, candidis, & gratiarum plenis: propterea quod tales in homine partes creat, cum aſtrum fulgens ſit, & ſplendore ſuo pergratum.

Mores Iouis.

Martis mores.

Mars colore rubeo, vultum, capillumque hominis ſibi ſubiecti conſpergit: raram barbam, rarum capillum, exiguum oculum, ſuſpicacem, audacem, iracundum, promptum ad rixas præſtat. Aſtrum quidem eſt ardens, & efficacitate calidà, & ſiccà, quæ in animantis temperamentum influens, à Solis vicinitate ſupra dictas imprimit qualitates.

Solis.

Sol medius eſt inter errones, ampliſſimà magnitudine, ac poteſtate. Hunc nec temporum modo, terrarumque, ſiderumque etiam ipſorum, cælique rectorem; ſed mundi etiam totius animam, ac planiùs mentem, exiſtimatum eſſe. Cum igitur genituræ dominatur, mores influit ſedatos, compoſitos, pios, in conſuetudinibus pudicos; honorum ambitioſos, fortes, capillo flauo, facie vultuque leonino, ſumptuoſis veſtibus; in ætate puerili formoſos; in adultà conſideratos; in virili multi conſilij, & firmà corporis valetudine. Hinc Solē Antiquitas Phœbi nomine dictum, cum cytharà pinxit; eô quod iucundos, hilareſque hominibus mores immittit: cum arcu, & ſagittis, quià fortes, cum ſcientià medendi; quià bonæ habitudinis homines, nec morboſos producit. Iuuenem, imberbemque; quod iucundos, & venuſtatum plenos:

Morũ ſignificator

Quomodo antiquis depictus.

nos: ſapientem, & Toga, vel chlamyde veſtitum, quia modeſtos conſiliarios, & ſagaces: cum aureo crine, quod flaui capillitij ornatu præditos. Ex quibus vniuerſis facilè coniectari procliuè fiet, quas ad perturbationes inclinet tali vir corporis habitudine conſtitutus.

Venus domina geneſeos, hominem facit generi propagando inclinatum, fœcundumque: præclarè in hanc rem Lucretius Veneri ab ſe inuocatæ dùm libros de rerum naturà ſcribit, omnium animantium conceptuſque, nataleſque attribuit. *Veneris mores.* *Lucretius lib. 1.*

Per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, viſitque exortum lumina Solis.

Eadem nato placatam, ac placidam quandam indolem, & ad hilaritatem pronam præſtat; vndè idem Poeta. *Ibidem.*

Te Dea te fugiunt venti Te nubila cæli
Aduentumque tuum; tibi ſuaues Dædala Tellus
Summittit flores, tibi rident æquora ponti.
Placatumque nitet, diffuſo lumine cælum.

Neque in elementa ſolum ſuas has partitur efficientias; immittit etiam in animantium medullas impetus quoſdam amoris, quo vnaquæque ad prolem inclinatur vehementer. *Ibidem.*

Nam ſimul ac ſpecies patefacta eſt verna diei;
Et reſerata viget genitalis aura Fauoni
Aeria primum volucres te, Diua, tuumque
Significant initium, percuſſæ corda tuá vi

Quid de Mercurio dicam? Ab eo propenſio ad diſciplinas, præſertim humaniores: quarè homines ſtudioſi Mercuriales dicti ab eo, facundi, ingenioſi, muſici, eloquentes, ſagaces, callidi, furaces: quæ omnia ſapientiſſimè Venuſinus. *Mercurij mores.* *Horat. l. 1. ode 10.*

Mercuri facunde nepos Atlantis.
Qui feros cultus hominum recentum.
Voce formaſti catus, & decoræ.
More palæſtræ
Te canam magni Iouis, & Deorum
Nuntium, curuæque lyræ parentem:
Callidum; quicquid placuit, iocoſo
Condere furto.

Ab hoc inclinatio ad mercaturam: hinc mercimonijs præſes, & mercatorum Deus exiſtimatus eſt: ſic enim apud Plautum Mercator. *Lilius Gyraldus de Dijs.*

Cùm bene re geſtá ſaluus conuertar domum.
Neptuno grates habeo, & tempeſtatibus
Simul Mercurio, qui me in mercimonijs
Iuuit; lucriſque quadruplicauit rem meam.

Mercurius mercimoniorum præſes apud antiquos. Plautus in Sticho.

Reliqua Luna eſt, & vt terris aſtrorum omnium proxima, ità pote- *Lunæ vires magnæ propinquitate ad terram.*

potestatis maioris, & manifestioris; nam dum luce Luna destituitur, videmus animantium plerasque extenuari, ac macrescere, & animâ pœnè ipsa deficere. Contra easdem augeri pinguescere, & maturitates suas consequi, Luna crescente, & amissum lumen reparãte. Hæc gloriæ appetentes, ambitiosos, magnanimos, laboriosos, populares, inquietos, impios præstat.

Moru significatrix.

Sed audiamus Poetam de Luna canentem.

Virg. Georg. 1.

Ipsa dies alios aliô dedit ordine Luna
Fœlices operum.

Quid autem hoc est? nisi ex varia Lunæ variantis potestate, varias in elementis fieri, ac sentiri permutationes: & ne à potestate Lunæ humanas perturbationes exemptas putares, addit.

Idem ibid.

Quintam fuge: Pallidus Orcus,
Eumenidesque satæ, tum partu terra nefando.
Coeumque, Iapetumque creat, sæuumque Typhoea,
Et coniuratos cœlum rescindere fratres.

Proprietas quintæ Lunæ.

Quinta, inquit, Luna, tales in hominum generationes immittuntur qualitates, quæ illos ad superbiam, ad Deorum contemptum, ad impietatem inclinent. Seruius in hunc locum, ita habet. Hortatur vt Quinta Luna nullius operis initium sumat; dicitur enîm hic numerus Mineruæ consecratus, quam sterilem esse constat: Vnde etiam Quinta Luna omnia sterilia nata esse dicuntur, vt Orcus, Furiæ Gigantes. Nimis steriliter seruius, quasi numerus Lunam afficeret, non Luna numerum: præterea an ideo sterilis Luna Quinta, quia Minerua sterilis; sed prior est Luna etiam quinta, quam Minerua: & ipse numerus vt vocant numerans. Deinde si quinta sterilis, cur in ea Orcus, Furiæ, Gigantes generati sunt? At hi, inquit, steriles sunt. Falsò id etiam: nam Iapethus genuit Hesperum, Athlantem, Epimetheum, Promotheum: Thyphœus autem Heum; & Chymeram; ex Coeo autem Latona, & Asteriæ creatæ sunt; non igitur steriles; Et Furiæ quidem non idcircò sunt steriles, quia quinta sunt satæ Luna; sed quia inexorabiles, & impiæ in omnes, & neminem amare, nemini obsecundare norunt. Et Orcus, aut Pluto, ex Proserpina nihil progenerare dictus est, ex mysterio potius, quàm ex ratione physica: nam Orco, aut Plutoni, Seruius ipse, filiam adscribit Venerationem. Mysterium autem illud est. Pluto diuitias significat: Proserpina abundantiam: hi si in vnam domum, aut dominum coeant, & velut matrimonio copulentur; non ideò hominem illum frugi faciunt, aut liberalem, sed fortè auarissimum, aut steriliorem.

Expositio Seruius

Refellitur Seruius

Boccaccius lib. 4. Genealog. c. 28.

Quare steriles furiæ, & Pluto. Boccacius in Genealog. Deor. Ille. Quia amare nesciunt.

Hic quia diuitiæ auariores efficiunt homines.

Aliquid igitur occultiùs innuit Poeta, quàm sit sterilitas corporum, aut saltem aliquid præter ipsam, quod ex titulis, atque oppositis manifestum est quæ Orco, furijs, Gigantibus, appingit: nam Orcum pallidum vocat, idest pallorem alijs inducentem, partum

Ratio Poetæ desumitur ex affectibus Lunæ quintæ in animos hominũ

tum terræ nephandum; Typhæum sæuum, fratres eius coniuratos contra cælum; & denique cum Tytanici belli descriptione desinit: quæ omnia animorum mores, eorumque indicant perturbationes in quas inclinare solent hi qui quintam Lunam in suis natalibus sortiuntur: efferas scilicet, & inhumanas.

Mittimus in præsentia cur Quinta Luna talis sit: fecerunt aliqui: sed hi non omninò placent, de his alibi locus aptior. *Vide Cerdan. Georg. lib. 1.*

SECTIO VII.

AN QVALITAS REGIONVM, CLIMATVM, CÆLI, SOLIQVE TEMPERIES AD PERTVRBATIONES CONFERANT.

Pars affirmatiua ostenditur. Ea vera non seorsim accepta. Sed prorsus attemperata. Temperamenti vis. Loci, ac soli conditio ex Aristot. Tyrrhenorum, Phrygumque mores vnde: Ethiopum descriptio. Itidem Brasiliensium. Asiatici molles. Appuli, Sabini, Ligures pecuniæ amantes. In eam rem plusculа è Vegetio: ex iure ciuili. Vlpianus explicatus.

CVm orbes cælorum superiores, non parum in hanc rem iuuent, vt visum est; namque horum efficacitas etiam circa illa operatur, eaque afficit, quæ sic affecta, suas etiam virtutes exerunt circa hominum, animantiumque conditiones; atque etiam in plantas, plantarumque partus, ac semina; quod & manifestissimis in dies comprobatur experimentis; conferre etiam hæc, omninô asserendum est. *Conferre vt in corpora sit in animos.*

Quemadmodum enim in ijs terræ partibus, quæ grauiore Cælo præmuntur, aut aquis stagnantibus, aut lutulentis, aut etiam parum sanis abundant, homines morbosi, atque iniqua corporis valetudine ab ipso exortu cernuntur; ità in his animus etiam parum auidus, atque appetitus segnior, adeoque perturbationes parum auitæ suboriuntur.

Sed id hac in re animo est aduertendum: non sola climata seôrsim accepta, aut solum Cæli temperamentum, aut solam soli, terrenique compactionem, perturbationes sibi proprias excitare, sed omnia simul hæc, ad hanc, aut illam proportione conferre, & modò se in vnâ inuicem adiuuare, vt scilicet in homine iracundiam faciliorem incitent, modo & se se impedire, vt dum vna caussa iram accendit, altera sedet, aut temperet. Vndè est, vt vnius Ciuitatis, aut Regionis accolæ, & sub vno Cælo exorti, diuersis tamen sint, & moribus affecti, & diuersis perturbationibus sub- *Non seorsim, sed vnita, & contemperata.*

subiecti; nam earumdem harum caussarum diuersæ sunt pro diuersitate temporum qualitates; atque adeò efficacitates, & effectus. Quid quod in Gemellis, & vnò matris partu editis, diuersas etiam cernimus perturbationum origines? Multum hoc in negotio internum infantium temperamentum, & aliæ etiam qualitates, dum fœtus intra vterum matris perficitur, qualitates diuersimodè susceptæ pollent.

Temperamentum multum iuuat.

Morum etiam diuersitatem, quanquam de animantibus Aristoteli sermo sit, loca efficiunt. Vt montana, & aspera, suas, & aspectu efferatiores, & viribus robustiores bestias reddunt, quam plana, & molliora. Quod ipsum varijs probare pergit exemplis Philosophus: in hominibus euenire nemo est qui abneget. Sunt enim partes agrorum aliæ pestilentes, aliæ salubres, aliæ quæ acuta ingenia gignant, aliæ quæ obtusa. Quæ omnia fiunt, & ex cæli varietate, & ex disparili aspiratione terrarum. Hinc illæ Romani, Remuli, Tyrrheni contra Troianos, vt in Tyrrhenorum laudem iactatæ sunt.

Multum locorum qualitas.
Aristot. lib. 8. de natalium c. 29.
Lib. 8. de Hist. ann. c. 29.
Cic. lib. 1. de diuinat.
Probatur exẽplo Tyrrenorum.
Vir. Eneid. lib. 3.

Durum à stirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, sæuoque gelu duramus, & vndis,
Venatu inuigilant pueri, syluasque fatigant.
Flectere ludus equos; & spicula tendere cornu.

Phrygum.

Et multa quæ sequuntur pro Tyrrhenis, tum illa in aduersarios Phrygas.

Idem ibidem.

Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis
Desidiæ cordi, iuuat indulgere choreis
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ
Oueræ Phrygiæ, neque enim phryges.

At hæc fortasse minus ad rem videbuntur, quippè quæ mores potius ex consuetudine viuendi, quàm perturbationes ex regione loci, cælique commonstrent: sed viuendi videlicet consuetudo, vel mollior, vel durior, & mores asperiores, mitioresue ex loci qualitatibus, & appetitus inclinationibus fermè enascuntur. Enimverò quis cogitatione percipere possit Cælum, Solum, & Clymata in sola Æthiopum corpora posse: vt nigro fusci colore nascantur, crispo, durioreque capillo, niueo dente; plano, latoque pedum vestigio, obtuso vt plurimum ingenio, naso caprino, labio cadenti, tibijs oblongis, gracili clune, ventre obæso; neque tamen quidquam in appetitum animæ valere, vt perturbationes excitet, atque ad vnas magis, quàm ad alteras inclinet. Et quidem huiusmodi hominum genus ad ludicra sectanda, ad choræas solet esse propensius, vbi quid aduersum accidat ad mærorem, & desperationem incitatius.

Posse Clymata in animos exemp o Aethiopum.

Brasiliorum.

Iam in Brasiliensibus, & alijs occidui Orbis Terrarum accolis, rusticum, ac pœnè agreste genus hominum, cui nullum non ad tegen-

tegenda corpora; ſed neque ad ea, quæ omnino obducenda eſſe in corporibus natura docuit, indumentum quæritur; quin verò ab alijs donatum reſpuitur, nullus ager aut ſeritur, aut aratur; nulla ſeges alitur ad frumenta comparanda; ex ſolo venatu in ſolis ſiluis, ac luſtris viuitur, Vxore virum ſequente. Et vbi dies eos defecerit, & nox à venatura reuocauerit, ſomnumque infuderit, ibîdem decumbant; cælum pro tecto, ſolum habentes pro lecto, pro ſtrato frondes. Hæc ne omnia in illis hominum, an belluarum gregibus potuit regionis, cælique eius conditio inſerere, & ab initio vſque ad hanc diem immutata ſeruare? neque tamen ea efficacitas inuaſit in eorum animũ ad perturbationes permiſcendas? quid quod, prædictorum populorum plerique mores indicia clariſſima ſunt perturbationum quarumdam particularium, ad quas, ij propendeant magis? Sic Aſiatici ex ſoli, cælique ingenio, molliores, delicatiores, & parum virili animo, atque robore ſemper audierunt. Sic Appuli, & Sabini, & Ligures, ex conditione Regionis, & agrorum, propenſiores ad laborem, & ad ſpem, & ad amorem pecuniæ.

Aliarũque gentium

Hippocr. l. de Aer. aquis, & locis c. 9.

Sed libeat Flauij Vegetij verbis, cum de Tyronibus ad militiam legendis ſermonem inſtituit, ſectionem noſtram illuſtrare. *Conſtat quidem in omnibus locis, & ignauos, & ſtrenuos naſci. Sed tamen, & gens gentem præcedit in bello, & plaga Cæli ad robur non tantum corporum, ſed etiam animorum plurimum valet. Quo loco ea quæ á doctiſſimis hominibus comprobata ſunt non omittam. Omnes nationes, quæ vicinæ ſunt Soli nimio calore ſiccatas, amplius quidem ſapere; ſed minus habere ſanguinis dicunt: ac propterea conſtantiam, ac fiduciam quò minus non habere pugnandi; quia metuunt vulnera, qui ſe exiguum ſanguinẽ habere nouerunt. Contra, ſeptentrionales Populi remoti à Solis ardoribus in conſultiores quidem; ſed tamen largo ſanguine redundantes, ſunt ad bella promptiſſimi.* Quo loco perturbationes humanas non ſine ſanguinis motione ſuboriri philoſophicè probat Vegetius: hæc autem ſanguinis copia, vel inopia rectè illarum menſuram, ac modum conſtituit, & illius cauſſam; hoc eſt ſanguinis redundantiam, aut penuriam ex Regionum qualitatibus dignoſci oportêre.

Vegetius lib. 1. c. 2. de re militari.

Præclarè ad rem noſtram Vulpianus dum cauet in mancipijs vendundis, nationem cuiuſque pronunciari debere. Præſumptum enim eſt quoſdam ſeruos bonos eſſe, quia nationis ſunt non infamatæ; quoſdam malos videri, quia eâ natione ſunt, quæ magis eſt infamis. Et quamquam per infamiam, aut bonam famam nationis ſerui parentes, aut progeniem intelligat, cum ſæpè ſoleat filius patri aſſimilari; haud tamen hanc Vlpiani mentẽ fuiſſe conſtat, tum, quod parentes mancipiorum plerumque ignoti erant; Quis enim in bello hominem capiens de probitate, aut malitia parentum ipſius inueſtiget? tum quod nationis nomine, non

Ex Iure ciuili l. quod ſi §. quæ mãcipiis ff. de ædilit. edict.

Mens Vlpiani explicata.

E pa-

patrem, aut matrem significamus; sed Regionis, aut Loci cuiuspiam, ab antiquis temporibus Habitatores; quæ natio tum infamata, aut bonæ famæ censetur, cum bonis, aut malis qualitatibus in sua constitutione non solum corporea; sed etiam in ea, quæ animæ est, afficitur. Id autem magna ex parte ex Climatis, ac Regionis, ac Cæli peculiaris temperie nascitur.

Sed de varijs variarum gentium moribus, affectibusque naturæ cum multi scripserint; propterea actum agerem, si vlterius in hoc argumento demorarer.

SECTIO VIII.

AN DÆMON CAVSSA PERTVRBATIONVM ESSE QVEAT.

Perturbationum omnium Originem Dæmonem accẽset Chrysologus. Dæmonum odium, Ira, machinamenta in homines ex Origene. Dauidi plurima lux facta bis. Nostra sententia contrà Aristotelem, & Saducæos. Perturbationes non á Dæmonibus immißas, sed Dæmones eße, somniauit Basilides ex Clemente. Equus Durius, & illius allegoria. Scillæ monstrum, & ex eo Apodosis: Clementis Alexandrini de Animi perturbationibus sententia expensa, & illustrata: partim reiecta. Nulla perturbatio propriè peccatum est; eaque non in homine tantum, sed etiam ab homine. Diabolus vt animam perturbat. Iterum ex Clemente, qui iterum repellitur. Propria sententia adducitur, & ostenditur. Insomnia quôpacto contingant ex Aristotele. Pselli error.

Videri esse omniũ ex malitia Dæmonum.

Ex authoritate. Chrysol. serm. 11.

SI peruersam huius nequissimi, ac potentissimi Tyranni naturam contempleris, nihil in humano pectore perturbationum excitari, quod non à teterrimis hisce spiritibus immitti, ac continenter exuscitari credideris. Luculentissimè Chrysologus. *Vndè*, inquit, *malum; culpa vndè, vitiorum vis vndè, criminum furor vndè, corporum bella vndè, conflictus Animæ vndè, vitæ tempestas tanta vndè, mortis naufragium tám crudele nesciret homo nisi Dei lex Diabolum prodidisset. Diabolus mali auctor, nequitiæ origo, rerum hostis, secundi hominis semper inimicus, ille laqueos tendit, lapsus parat, foueas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia dat amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat,*

sipat, conscindit vnitatem, sapit malum satis, bonum nil violat Diuina; humana tentat. Enimuerò ad malũ inferẽdũ sẽper intẽtũ inspicies: Ad quod geminis perpetuisq; calcaribus extimulatur, odio, & inuidia: suôptè enim ingenio, & experientia callidissimus, ac vaferrimus omni occasioni est ad hominem præcipitandum arripiendæ intentissimus; in aliô præter turbandum, deturbandumque hominem negotio nullo occupatus; nunquâm obdormit, semper vigilat, nunquâm solus, semper turmatim, semper agminatim incedit, circumit quærens, quem deuoret; & alius, alium in nocendo comitari, aut præuertere festinus. Audi quid Origenes ad illa. *Ventus vehemens irruit á regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quę corruens oppressit liberos tuos. Si per vnum*, inquit, *angulum poterat cadere, cur omnes quatuor angulos tetigit? quatuor angulos tetigit, vt ostenderet ferociam, atque animum suum homicidialem: nam omnes Dæmones mox vt relaxati sunt, & permissionem accepêrunt, continuo omnes generaliter ab omnibus partibus super domum irruerunt festinantes, atque aduersum inuicem rapientes, quis primus hanc iniquitatem acciperet, quîs primus hoc homicidium perpetraret. Ingentem vnusquisque eorum sibi reputans dolorem, si prior illo alter procederet ad eius perditionem*.

Ex Origenes lib. 1. in Iob.

Iob. 1.

Sanè pulcherrimam Origenis sententiam paucis complexus est Psaltes Regius: *quousque irruitis in hominem, interficitis vniuersi vos?* Quasi non satis sit si contrà vnum vnus; sed vnum omnia contrà tela Dæmonum. Verbo autem hoc *irruendi* hæbraica vox tam multos admittit significatus, vt ad ostendendum ingenium, machinationesque Diaboli contrà hominem, appositissimè à Spiritu Sancto insinuata esse videatur. Aliqui enim vertunt: quôusque cogitabitis praua: in quo assiduas ipsius perpetuasque curas ad excogitandum quâ possit nocêre designant: alij, quôusque producitis linguam: vbi concilia, & consilia eorum patefiunt; alij, perdere conabimini: quo verbo deliberationes eorum, & proposita perniciosa, atque exitialia demonstrantur: alij, quòusque congregabimini: per quæ militis, exercitusque collectio manifesta alij insidiandi; vt non solum aperto Marte pugnam ab illis contrâ nos censeri doceamur, sed occultim etiam, & per insidias illos discrimen moliri: alij, irruitis vt irruptionem vehementem, & congressum audacissimum cogitemus: alij, tumultuamini: vt in congressu clamorem eorum sese cohortantium, nosque deterrentium intelligamus. Alij, fremitis, quô rabies, & insatiabilis eorum nocendi libido indicatur.

Ex Psalte. Ps. 61.

Quæ vnò pœnè verbo comprehendit Vates sacer, eademque pluribus, sed tamen breuioribus explicauit, cum dixit: *non timebis à timore nocturno à sagitta volante in die, ab incursu, & Dæmonio meridiano: Cadent à laterę tuo mille, & decem millia*

Iterũ ex Psalte. Ps. 90.

 à dex-

à dextris tuis. Quæ quamuis diuersis applicent diuersi, à Paraphraste tamen Caldaico omnia de Dæmonibus accipiuntur dicta: A timore, inquit Dæmonum qui ambulant in nocte, à sagitta Angeli mortis, quam emittit interdiù, à caterua dæmonum, qui grassantur, & nocent in meridie.

Esse tamē aliquarū, & plurimarū non omnium.

Esse igitur hos maledictioni æternæ spiritus addictos, aliquarum, ac plurimarum etiam perturbationum caussam, quis abnuat? omnium tamen, & singularum, quæ in appetitu sensitiuo emergunt, quis annuat? Sed non defuêre, qui primum negarent, & qui alterum asſererent. Primum quidem; nullas scilicet ab his Tartari accolis, concitari perturbationes, docuit Aristoteles, & eius olim asseclæ, qui dæmones ignorauere: in quam sententiam Sadducæi eant necesse est: Sed cum hæc opinio manifestò circumuoluâtur errore nullis est, aut paucis stylo nostro comprimenda.

Contra Arist.

Et Saducæos.

Contra Basilid. hæret.
Clem. Alex. lib. 2. strom.
Basilidis deliramentum narratur.

Alterum somniauit Basilides Hæreticus cuius insomnium, cum apud authorem inuenerim neminem, præter Clementem; iisdem eiusdem verbis prosequar. *Basilidis*, inquit, *Sectatores, vitia, & animi perturbationes consueuerunt vocare Prosartimata: idest appendices: & ea esse quosdam in essentia Spiritus appensos animæ ratione præditæ, per quādam perturbationem. & confusionem principalem, & alias rursus adulterinas spirituum, & diuersi generis naturas, iis adnasci, vtpote Lupi, Simię, Leonis, Vrsi, quorum proprietates, quæ visione in anima apprehenduntur, animæ cupiditates animantibus dicunt assimilare; quarum enim ferunt proprietates, earum opera, factaque imitantur, & non solum cum rationis expertium animantium appetitionibus, & visionibus coniunctionem. & familiaritatem; sed etiam plantarum emulantur motus, & pulchritudines; propterea quod plantarum quoque ferant appensas proprietates*: Hactenus Clemens. Qui sanè iure optimò nebulonem hunc deridet festiuè asserens, eum Durio equo, hominem parem facere, & qui in vno corpore tot diuersorum spirituum exercitum habeat insinuatum. Est autem Durius equus, aut Durateus, equus Troianus intrâ quē plurimi ex Græco exercitu milites inclusi latitabant.

Deridetur à Clemente.

Aeneid. 2.

Instar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant: sectaque intexunt abiete Costas.
Huc delecta virum sortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri, penitusque cauernas
Ingentes, vterumque armato milite complent.

Itaque Basilides non modò à Diabolo commoueri, ait, perturbationes; sed ipsos esse diabolos, aut diabolorum motus. Dixerim hominem scyllæ potius similem, quàm Durio per Basilidem confictum fuisse de quà Poeta.

Etiam à nobis.

Aeneid 3.

Prima, hominis facies, & polchro pectore Virgo
Pube tenus, postrema, immani corpore pistrix,
Delphinum caudas vterô commissa luporum.

Ad-

Aduerte quæsò in quas ſensìm ineptias defluant, quibus ſemel pes eſt à Veritatis ſemita tantiſper delapſus. Naturam hominis peruertit, & monſtrum chymera turpius, facit; perturbationes ab eo amouet, quas neque quid ſint, neque vndè oriantur, neque quô modò ſedari queant, explicarè poteſt.

Nam ſi ſimilitudinis ergò, aut comparationis, feciſſet hominem cum eô ſuo Monſtro; aut cum Scylla paſſionibus ſcatentem contuliſſet, non abrê quidem feciſſet; fecit enim Nazianzenus his verbis. *Si quis variam quamdam, & multiplicem belluam ex multis belluis magnis iuxta, paruiſque feriſque, ac mitibus conflatam cicurare. ac ducere aggrediatur*, At Baſilides, non ſimilitudinem ſequutus eſt; ſed ipſam hominis animam talem reverâ eſſe confinxit; iam ab hac truculentâ bellua abſcedamus.

Nazianz. orat 1

Alexandrînus ipſe Stromatum auctor, ità de perturbationibus diſſerit. *Simplex ergo ratio noſtræ Philoſophiæ dicit, omnes animi perturbationes, & vitia eſſe impreſſiones mollis, & cedentis animæ; & veluti obligationes poteſtatum ſpiritualium, aduerſus quas nobis eſt colluctatio.*

Clemẽs loco cit. Eius opinio de perturbat. cauſſa.

Quà Clemens ratione oſtendere videtur, perturbationum in nobis cauſſas, eſſe malignos illos ſpiritus, quorum hoc vnum munus, & officium eſt, vt nobiſcum pugnent, atque luctentur. Pulchrè perturbationum motus in animâ, impreſſiones, & obſignationes Diaboli vocat, quaſi ipſæ quædam ſint contra hominem diabolicæ improbitatis, ac maleuolentiæ ſigna; quod ſi Clemens has obligationes, veluti ſigilla eſſe peccati intelligat, quibus victoriam de nobis obtentam demonſtret Dæmon; Id verò minimè cum veritate conſentit, neque enim omnis perturbatio, imò verò neque vlla perturbatio propriè peccatum eſt, vt patebit. Clemens autem peccata ad omnes perturbationes videtur innuêre, immò, & perturbationes eaſdem non ab homine, ſed in homine fieri à Diabolo imprimente, quod etiam à veritate abhorret.

Reijcitur Clemẽs.

Iam modum quo perturbationes in animâ Diabolus excitet, hoc pacto docet Clemens. *Hæ ergo de quibus diximus poteſtates; & pulchritudines, & glorias, & adulteria, & voluptates, & eiuſmodi ineſcantes viſiones, iiſque facile decipi poſſunt animabus prætendunt; quemádmodum qui pecora abigunt eis frondes porrigunt.* Hæc ille. Et pulchrè quidem per ſimilitudinem abigeorum pecora herbis porrectis ad ſeſe allicientium explicat fraudes Dæmonum, extrinſecâ nobis obiectâ voluptate iucunda proponentium, per quæ nos ſine coâctiône noſtræ voluntatis, & arbitrij, attrahant ad perturbationes. Sed verba quæ apud Clementem ſubſequuntur difficilia ſunt explicatu: *Vnaquæque autem*, inquit, *deceptio aſſiduè præmens animam in ea imprimit viſionem, & imprudens, inſcienſque anima perturbationis, ac vitij circumfert imaginem, cum cauſſa oriatur ex ineſcatione, & noſtra aſſenſione.* Quid enim eſt deceptio præmens, niſi propoſitio obiecti volup-

Doctrina Clem.

Pulchra eius ſimilitudo.

Examinatur Clementis doctrina.

tuosi, seu visio, aut impressio obiecti delectabilis in sensibus, ac Phantasia? Atqui hæc, non est impressio, aut obsignatio Diaboli perturbatio, aut vitium.

Post quám quidem visionem, perturbatio consequitur in animâ appetente, quæ neque dûm obsignatio est diaboli, cum peccati rationem nondûm habeat, post hanc sequi potest *inescatio*, vt Clemens loquitur, quô nomine possumus accipere operationem intellectus practici, qui deceptus, atque inescatus voluptate obiecti propositi, & perturbatione, veluti nube contenebratus in persuasionem inclinat, seu deceptionem Diaboli; tum verò demûm sequitur assensio, voluntatis; atque hæc est peccatum, hæc est animæ macula, hæc obsignatio, atque impressio Diaboli. Quæ quidem à Clemente, *perturbatio, ac vitium* appellatur: per quæ ipse, aut ipsas insensitiuo appetitu existentes perturbationes malas esse, & peccatum, saltem accedente consensu tanquam caussa peccati, aut conditione quadam ad peccatum requisitas existimare videtur: vel perturbationes omnes esse in animâ rationali, vt Stoici sentiunt, atquè adeò omnes esse malas: quod ipsum dicere videtur alibi, & in vtròque decipitur: & quidem posterius iâm à nobis suprâ multis est refutatum: prius verò falsum etiam est, eò quòd peccatum propriè in actione voluntatis liberâ positum est: Ex quo in appetitiones sensitiuas, & demum in operationes externas peccati profluit denominatio, vt docent Theologi.

Iterum reijcitur.

Sed satis de Stromateo, cuius tam locuplêtem eruditionem semper admiror. Illud autem hâc in re certum est: Phantasiam hominis, atque appetitum nôn commoueri nisi propositis per sensus imaginibus, aut placentium rerum, aut molestarum. At qui hæc obiectorum propositio, non vsquèquâquè à Dæmonibus efficitur; Quîs enim tam stultus est, aut intellectu, tam prauè affecto, vt nascentem in prato rosam deambulanti homini, antè oculos obijci operâ spirituum pessimorum edoceat? fragrantem è lilio odorem in nares prætereuntium operâ dæmonum deferri? aut cantum Lusciniæ per tempus vernum in ramusculo suauiter cantillantis, in aures viatorum immitti, studio, atque astutia Diaboli? aliquandò id fiéri fateor, & itâ factum esse scio in Euâ, fateor in Dauide, in filijs Dei filias hominum pulchras videntibus, in senibus Susánnæ specie deceptis. At itâ semper accidere, etiam quandò ad hæc obiecta nobis proposita sequitur, aut perturbatio, aut peccatum; Id verò constanter negamus.

Nostra sententia.

Genesis. Reg. 2.

Quæ non in vigilantibus solùm, sed & in ijs cernêre est, qui dormiunt; sæpè enim videmus in ipso etiam sopôre homines nunc timore, nunc desiderio, modo lætitia, aut tristitia, ac mærore turbari; quæ si â peruersis illis spiritibus semper efficiantur, profectò nimis miserum, atque infelicem hominem reputauerim, qui ne-

que

que interdiù, neque noctù, neque in vigilia, neque in ſomno conquieſcere, ac dæmonum queat inſultus euitare: Somniorum autem horum cauſſam docet Ariſtoteles eſſe motum, ac deſcenſum ſanguinis ad principium ſenſitiuum: quò fit vt ſpecies, atque imagines in Phantaſia moueantur. Eæque appetitum variè mutent, excitentque. Atque hæc quidem ſanguinis motio, & turbatio ſpirituum in homine, poteſt, & naturæ vî, & Dæmonis etiam mali impulſu inferri, ſicut & extrinſeca obiecta per motum eumdem localem ſub ſenſum hominis differri ab eodem dæmone, atquè hoc pacto appetitus ipſius permiſceri perturbationibus, ac commoueri poſſunt. Legendus eſt Sanctus Thomas.

Ariſt l.b. de ſõnis c. 3.

Opinio Ariſt. de inſomniis.

Noſtra opinio.

D. Tho. 1. 2. q. 80.

Pſellus in hanc rem ita ratiocinatur. *Suggerunt autem Dæmones ſpiritui noſtro imagines voluptatum abſque ſono: veluti ſiquis in aure percipiat vocem abſque ſonitu; vt enim propinquior vox eſt auri, ita melius eam percipit; minus autem ſoni. Cum igitur ſpiritum noſtrum Dæmon tangat, optimè percipitur Dæmonis ſuggeſtio, ac verba abſque vllius vocis auditu. Similiter, & ſpecies referunt animæ noſtræ, ac ſpiritibus, velut etiam aer colorum, & aliarum rerum formas, atque imagines. Hæc igitur artificiosè expugnant in nos, etiam titillationes Veneris immittentes, preſertim ſi corpus calidum fuerit naturâque ſalax.*

Pſellus quid de perturbat. lib. de Dæmonibus.

Ad quæ Pſelli dicta, illud omninò aduertendum: Dæmones, ipſum, corporeos exiſtimaſſe; quod & falſum omninò eſſe, parùmque ab aperta diſtare hæreſi, Theologorum hôc tempore conſtans decreuit ſententia.

Reijcitur Pſellus.

D. Th. 1. p. q. 50.

Nec explicatè, quemadmodum ſpecies in Phantaſia hominis ab Dæmone excitentur docuiſſe; neque enîm per vocem in aures immiſſam, aut in oculos relatam ſpeciem; ſed modò ſupradicto per ſpirituum, aut humorum turbationem excitant; Illud autem, quod ait Dæmones noſtrum ſpiritum tangere, adinaton eſt: cum enim per Pſellum corporei ſint, quâ poſſunt ratione ſpiritum attingere? niſi fortè contactum eum intelligat, qui intercedit inter humanum corpus, & dæmoniacum; at hæc non ſunt ad imprimendas ſpecies ſatis. Atque hactenus hac de re.

SECTIO IX.

AN CONSVETVDO ET INSTITVTIO CAVSSENT PERTVRBATIONES.

Diſputationis ratio ex Nemeſio. Conſuetudo cur altera natura. Conſuetudinis præcipua proprietas. Sybaritæ cuiuſdam effatum in Lacedæmonas. Lacedæmoniorum, & Sybaritarum diſpar viuendi ratio. Prudens Platonis reſponſum. Lycurgi exem-

exemplum de assuetudine. Loyolæ, & Gasparis Gusmani mira in frænanda ira pacientia. Consuetudo naturæ triumphatrix: naturæ Domina ex Theothisto.

Sect. 5.

Nemesius quid lib. de nat. homi. c. 12.

ALiquid iam hâc de re; occasionem autem, ansamque disputandi in præsentia præbuit Nemesius per hæc verba: *innascuntur autem malæ affectiones in animo per tria hæc, malam institutionem, inscitiam, prauum corporis habitum; si enim non rectè à pueris instituti fuerimus, vt regere affectiones possimus, in earum immoderationem incurrimus: per ignorantiam autem, peruersa iudicia in ratiocinantis animi parte gignuntur, vt opinio sit, quæ mala sunt, esse bona, & quæ bona, mala; atque etiam ex prauo corporis habitu comparantur; siquidem in queis amaræ bilis magna copia est, iracundi sunt: & quorum calida humidaque temperatio est, ad obscænas voluptates propensi.*

Lib. 1. sect. 5. & alibi.

Consuetudinem perturbationum caussã non esse, sed earũ augmenti.

Hæc Nemesius: & de duobus postremis capitibus nos quidem alibi: cõsuetudo verò, & institutio, vt perturbationes ingenerentur, aut emergant, caussa per se non est; sed vt augeantur potius, uel facilius appareant; atque in lucem audacius, impudentiusque progrediantur.

Explicatur sententia.

Ingenerat enim consuetudo irascendi in ipsa naturali facultate, facultatem aliam recentem ascititiam, quam Philosophi, aut dispositionem, aut habitum appellant; cuius adminiculo animi naturalis facultas, facillimè per quasuis occasiones in iram efferuescat consuetudo enîm altera natura esse dicitur.

Consuetudinis præcipua proprietas.

Cuius quidem consuetudinis multæ sunt proprietates: illa in primis, vt quod grauatè, ac pœnè inuitis nobis fiebat; nedùm facilè, sed cum iucunditate posteà conficiatur: quamobrem Sybarita quidam cum Lacedæmone vidisset seuerrimis moribus, atque pacientia admirabili homines statim à pueris educari, atquè assuescere, dixisse fertur; nihil mirum præstare Lacedæmonios, quod facilè mortem in bello obeant, ne ità viuere cogantur.

Seuerus apud Stob. ser. 29.

Lacedemoniorum laudabilis mos.

Et Sybarita quidem iste profusissimè morè patrio uitam impendens, non ad laudem Lacedæmonijs adscripsit, quod studiosè viuendo mortem contemnere assuescerent; sed ad desperationem. Verumtamen in illis viris tanquam in speculo spectare olim licebat, quantum in bonam partem consuetudo polleret, quâ de rê legendus Plutarchus. Quantas autem in Sybaritis voluptas in malam partem egit radices per consuetudinem enutrita, indè videre est; quod in excubijs ad vrbis muros vigilare non possent, contra hostium impressiones; itàque prô rè difficillima habuerunt si cum vna culcitra, & puluinari, liceret sibi in muris quiescere, quod cibos quotidianos fastidierint, quod pedibus ire pœnê nesciuerint, quod antè solem expergisci prô morbo habuerint. Pleni sunt libri de Sybaritarum delicijs, quem naturalem earum vsum, ac

Plut. in apotegmatis locor. & inuitis.

Dãnabilis in Sybaritis.

pœnè

penè necessarium assuetudo reddidisset. Optimè igitur Plato cum adolescentem reprehendisset, eô quod aleâ lusisset, excusanti se paruam ob rêm obiurgari: At paruum, inquit, non est assuescere. omninò manifestum est ex assuetudine non solûm augeri, ac robur accipere perturbationes eas in homine, ad quas ipsa naturalis conditio, atquè compositio vocabat; sed eàs etîam inseri, atquè enasci, quarum fortasse semina extabant nulla; aut quarum etiam contrariæ perturbationes inhærebant.

Platonis dictum.

Recitabo in hanc rem ea, quæ ad Spartanos eloquutus dicitur Lycurgus legum lator optimus, quæque præstitit, vt ijs demonstraret, quantûm in perturbationibus, aut moribus haberet virium assuetudo, Magnum, inquit, Spartani ad virtutem concipiendam momentum adferunt assuefactio, educatio, doctrina, atquè condocefactio. Quôd ego vobis iam nunc demonstrabo simulque geminos catulos produxit (erant autem hi ijsdem nati parentibus eôdem tempore; sed diuerso educationis enutriti genere) ijsque patinam cibi plenam, & viuum leporem antè oculos apponit; tum verò ille, qui venationi, & cursui assuetus fuerat, vt leporem currentem aspexit, illicò ad eum comprehendendum incitato cursu, patinæ, ac dapum oblitus aduolauit; altèr verò epulis, ac ventri iam ab initio ætatis deditus in patellam se totus coniecit. Enimuerò Lacedæmonij spectaculo quidem delectabantur, sed rem nondum comprehenderant, & quid facto vellet interrogabant. Tum Lycurgus. Vidistis, inquit Canes hos? gemelli fratres sunt, simul ijsdem genitoribus prognati; sed non ijsdem educati assuetique moribus, nequè magistris edocti; alter ergô ingluuiei mancipatus, nihil præter Ventrem, & Gulam procurat; alteri venatio, pugnæ, victoriæ, cordi sunt: id etîam in hominibus accidere palâm est, quorum ex consuetudine diuersæ in ijs enascuntur virtutes, diuersæ affectiones animi pullulant; Demonstratum id ex parte est, cum de Physiognomicis ageremus in Socrate. Sed quantùm ad immutandos animos consuetudo polleat in Sanctorum Virorum, & in Christiana Religione Excellentium historijs emicat: penè de hoc numero vnum, aut alterum seligam. Quorum cum conditio, constitutioque naturalis vehemens sanè, atque iracunda esset; in contrariam tamen partem frequenti, ac vehementissima intensione, consuetudo, adeò visi sunt profecisse, vt mitissimæ, atque impotentis ad iram naturæ fuerint existimati.

Plutarchus in Lycurgo. & l. de liberis educ.

Lycurgi exemplũ de assuetudine.

Consuetudinis vis amplius declaratur exemplo.

De Ignatio Loyola nobilissimo, ac Sanctissimo Viro cuius in eo voluit Deus Orbi Terrarum vniuerso manifestam facere magnitudinem, quod per eius filios, ac socios nomen filij sui Sanctissimi Iesu iussit per omnem Terrarum ambitum summa cum laude, celebritateque circumferri. Is igitur cum corporeæ compactionis

Sancti Ignatij Loyola.

Petrus Ribadeneyra in eius vita

vî, atquè impetu in iram incitaretur per quâm acerrimè; cuius rei indicia in adoleſcentia tam clara, ac præclara edidit, vt cum in militiâ contrà Gallos verſaretur fortitudinis, animoſitatiſque admirationem, etiam apud hoſtes ipſos multis in prælijs excitauerit, Impetus Gallorum, impreſſioneſque ſæpè ſuſtinuit, ac repreſſit: arcem dedentibus ceteris ipſe vnus in fide ſui Regis continuit, in cuius defenſione cum vehementi globi ferrei ictu percuteretur, & fractâ tibia conſternaretur, celeri illicò animis deficere, ac deditionem facere, ipſe cum diſſecandum eſſe tibiæ os prædicerent Medici, ſi rectè vellet ambulare; & diſſecari os iuſſit admirantibus Medicis; & cum vinciendum, ne in ipsâ ſectione agitaretur, iuberent, prohibuit, cunctis obſtupentibus: tanta in eó viro vigebat animi vis, & fortitudo, iræ aut proles, aut parens. Idem verò poſteà per laudabiliſſimam conſuetudinem frenandæ iræ, in tantam venit iraſcibilis appetitus malaciam, vt turbidi illi fluctus in glaciale pelagus concreuiſſe viderentur. Medici ipſi in corporis qualitatibus, ab indicijs animi veſtigandis deluſi manſuetum illum, & iracundiæ expertem putarunt; ſicque contraria naturæ medicamenta adhibuerunt, nō ſinè languentis Ignatij periculo, damnôque.

Gaſparis Guſmani Comitis Ducis Oliuarenſis.

Sed liceat mihi à Sanctiſſimo viro, quem deſideramus, ad prudentiſſimum deuenire, quem præſentem omnes admiramur Gaſparem Guſmanum; cuius quidem moderatio aſſiduis ſui ipſius comparata victorijs, alijs ad ſtuporem, alijs ad iram ſtimulos inieciſſe viſa eſt: illis quidem liberalis diu, noctuque acceſſus conſuetudine, his multa deſiderantibus, & ad res ſuas non incumbētibus ſolûm, ac ſatagentibus; ſed ipſius etiam voluntatem vltrà quàm deceret attrahentibus, obſtinato ſilendi, aut pauciſſimis reſpondendi propoſito. Hem nobiliſſima vir proſapia, & ingenio ad ſtuporem acutiſſimo Regiæ Maieſtati chariſſimus adminiſter, in quem omnia omnium Regnorum negotia incumbunt, cuius aures, & mens perpetuis clientium, litigantium, ambientium, prænſantium Principum, Legatorum, Præſidentium, Patronorū, Populorum, deniquè omnium ſupplicationibus, libellis, orationibus, precibus, quærelis, non implentur modò, ſed obruuntur: nequè tamen ille æſtuat aliquandò, & in cuiuſquam effertur contumeliam, aut iniuriam, aut conuicium; neque vultu turbatur, aut nutu. Quid quod ſæpè poſcentium atque ambientium verbis inſolentioribus veluti ſtimulorum aculeis laceſſitus ad iracundiam, eam aut ſilentio obduxit, aut molliore reſponſo deliniuit, aut ſalibus deluſit, aut petitionis conceſſione ſuperauit. Equidem hæc ego nequaquàm ſcripto concredita omnium oculis patefacerem, niſi anteà cunctorum etiam aulicorum teſtimonio, nobis cū Regi noſtro maximo à Cortina famularemur præſentibus com-

pro-

probata cognouissem. Cuius tantæ victoriæ originem à consuetudine exortam quìs negauerit, quæ cum inueterata est, tantum potest, quantum natura, quid non hæc? non ijs solum, quæ vel sensu omni destituuntur, aut etiam in ijs, quibus cum sensus insit, libertas deest, quæ natura ad quidpiam propellente, pareant necessè est. Verùm etiam in homine, cuius operationes in ipsius libertate positæ sunt; qui naturæ in plerisque imperare potest; tamen eidem cuius imperium habet, seruitio sæpè subest, & imperio ac consuetudini paret. Naturæ enim pugnare est difficile. Hanc autem ipsam naturam tam potentem, tam ferocem, tam parere difficilem, ipsa etiam consuetudo paulatim mansuefaciẽdo emollit, ac minuit: atque ab eo in quod procliuiùs abibat, auertit, talem sæpè in modum, vt si aliquandò redire ad illud permittitur, illa omninò recuset, & se subtrahat, & si cogatur violentiâ quodámodo pati videatur. *Magnum*, inquit Theoctistus, *ius consuetudinis ad naturam immutandam*; Quìn immò ipsius naturæ domina euadit, adeò vt sicuti oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ità facultates illius in huius potestate omnes existunt; eâque mouentur lege, quam sibi senserunt à consuetudine præscriptam. Et hæc quidem non in prauis, ac vitiosis solum actionibus; sed in bonis etiam, atquè studiosis, magis autem in illis ad quas suàptè spontè propensiòr est natura. Quamobrem vt docet Philo vitijs assueti, more voluntariam seruitutem subeuntium vltrò sibi acerbos dominos asciscunt, quamuis ingenui, & ideò cum vendi non possint, miranda temeritate ipsi emunt Dominos.

Consuetudinis inueteratæ vis.

Philo lib. de Abraham.

Consuetudo naturam euincit.

Theoctistus apud Stobæum ser. 126.

Philo. lib. de Temulentia.

SECTIO X.

HOMINIS NATVRA, POTENTIÆ, FACVLTATES SINGVLÆ, EX EIVSDEM OPERATIONIBVS VESTIGANTVR; VT INDE AD PERTVRBATIONVM ORIGINEM.

Triplex animæ humanæ potentia circa obiecta ex Platone, & Clemente. Ex hac triplex operatio: Sensuum externorum hypotipôsis. Oculi speculum: aurium ethymon. Sagacitas, Risus, Ira, Naso notata. Vir obæsæ naris pro stupido. Gustus saporum intellectus. Tactus prouidè diffusus. Naturæ prouidentia in horum opificio. Sensuum internorum vis, & munera. Allati Nyssenus, & Augustinus. Mentis, & rationis operatio quam admirabilis.

HOc verò quantùm ingenioli vires præstabunt enucleatiùs exquiramus; nam ex modo operationis, Sanctus Thomas inquit,

D.Tho.

inquit, & species mensuræ, & qualitas virtutis pensatur, virtus verò rei naturam monstrat; secundum hôc enîm vnumquodque natum est operari, quod actû talem naturam sortitur.

Triplex animæ humanæ potentia circa obiecta.

Triplici itaque differentia notatas, & dispertitas percipimus in ipso homine operationum formas; quædam enîm circà obiecta crassiora versantur, & ab organo aliquo corporeo, ad id muneris necessario instituta dependent; atque hæ sunt, quæ sensuum externorum molitionibus perficiuntur; aliæ sunt internæ, quæ ad externas sensuum consequuntur in intimis sensibus, atquè indè in partes animæ sensitiuas aliquid inferunt; vndè quædam etiam aliæ dimanant operationes, quæ certo carent corporis organo, talem actum in se, veluti subiecto suscipiente: Suntque tàm Concupiscibilis, quàm Irascibilis appetitus motiones concitatæ, cum aliquâ corporis, & sanguinis mutatione, & spirituum agitatione, quæ non definita elicit corporis pars aliqua; quamuis in Corde, & hepate maximè vigeant quâ de rè inferius.

Prima sensuum externorum.
Altera internorũ

Hinc operationes appetitus concupiscibilis, & irascibilis sensitiui.

Aliæ demum existunt hominis operationes, quæ vt tradit Aristoteles non sunt totius coniuncti, sed animæ solius propriæ, quæ facultate intellectili, quæ dos animæ est, rerum caussas, & principia vniuersalia à singularibus abstracta intuetur, & ex multiplici rerum coniunctione, aut discretione, varias infert consecutiones. Voluntate autem, quæ altera animæ rationalis facultas est; eâ quæ naturæ consentanea cognita sunt, amore prosequitur; molesta, & nociua odio excipit. Ex quo duæ in animâ rationali itîdem facultates esse noscuntur, Concupiscibilis, & Irascibilis; Ità tota animæ natura tres veluti in partes Rationalem, Concupiscentem, Irascentem distribuitur.

Tertia hominis operatio.
Arist. lib. 1. de anima per intellectum.

Et Voluntatem.

In qua itidem appetitus irascens, & concupiscens rationalis.

Quâm quidem operantis animæ distributionem â Platone constitutam, nostri etiam Theologi explorarunt, atquè è sacris litteris desumptam, sunt arbitrati. Clemens Alexandrinus; *Cum itaque, inquit, anima triplex sit genere, intelligentia, quæ ratiocinandi facultas appellatur, internus homo est, qui huic homini, qui videtur, imperat; cum ipsum autem alioquin Deus agit. Ira, quæ est fera, & immanis, haud ità procul á furore habitat; in varias autem formas se immutans; tertia est cupiditas; quæ plusquam Protheus Marinus Dæmon varius, nunc hanc, nunc illam, nunc aliam figuram suscipit; & ad libidines, & stupra allicit*. Hæc Clemens: qui quidem de concupiscibili. & irascibili loquitur, tanquàm de partibus inferioribus animæ, quæ in appetitu hominis animali reperiuntur.

Allatæ distributioni consonant. Plato in Thime. Clem. Alexandr. pedagogi lib. 3. c. 1

Itâque homô inter vtriusque naturæ vtentis ratione, & expertis fines interiectus, triplici muneris genere ad suas ipsas operationes obeundas perfungitur, quæ productioribus notis aliquantulum libuit per otium percensêre.

Ex Triplici potentia operatio triplex.

A sensitiuâ ergô potentia, quæ determinatis, ac notissimis quin-

Sensuũ externorum descriptio.

quinque ſenſibus perficitur, exordiamur. Hi à natura mirabiliter in corpore humano diſponuntur: Quatuor velut rerum externarum nuntij, atque interpretes, in capite, vbi ingenium reſidet, tanquam in arce ad vſus neceſſarios collocati ſunt. Et quidem Oculi tanquam ſpeculatores altiſſimum locum obtinent. Inexplicabilis profectò, & mira eorum ſubtilitas, & gemmarum ſimilitudinem in orbibus præſeferunt: ab eâ quâ videndum parte fuit membranis pellucentibus teguntur, vt imagines rerum contrapoſitarum tanquam in ſpeculo refulgentes ad ſenſum internum penetrarent. Verè animi indices per quos occultæ ipſius non mordò cogitationes, ſed intimi etiam affectus patefiunt. Viden quàm benè ſibi inuicem reſpondeant? Si Animus æſtuat iracundia; hi truces, ac torui ardent, ac pœnè ſcintillant: ſi amoris vulnere ſauciantur; hi ſubmiſſi dolent, ac lacrymantur; molles, ac mites conniuent, ſi moderationis, clementiæ, aut miſericordiæ vî commouentur impulſu. Sanè in oculis Animus incolit: ab illis pars magna accipitur, atquè in proſpectum tranſmittitur; tardiſſimè demum formantur, & ocyſſimè moriuntur.

Oculorum.

Cic. de nat. l. b. 2. Lactant. de opific. c. 8. Ambroſ. l. 6. c. 9. Baſil. exam. hom. 6. Plin. l. 11. c. 37. Alexand. ab Alexandr. l. 2. c. 19.

Plin. l. 11. c. 37.

Aures homini tantum immotæ, hæ ad animum eâ quæ audiunt per ſpecies immittunt: nomen ijs eſt inditum auocibus hauriendis: vnde Virgilius.

Aurium.

Vocemque his auribus hauſi.

Virg. Aeneid 4.

Aut quia vocem ipſam Græci, audin, vocant, ab auditu per mutationem litteræ aures velut, audes ſunt nominatæ. ab eo nullam vnquam impreſſionem capiunt, ab hôc oſtio perturbationũ aculei, & diſciplinarum ingreſſus. Patulæ ſunt ad dormientium præſidium, quò ſcilicet faciliùs excipiantur ſoni: vndè contra ſtupidos, & inſenſatos, aut etiam ſecuros, prouerbium exortum: eos ſcilicet in vtramque aurem dormire: geminæ ob neceſſarios vſus: tortuoſæ ad tutelam ſui, & commodiorem vocis receptionem.

Lactantius de opiſ. hominis c. 8.

Ariſt. l. 1. Metap.

Nares ſoli quoq; prominent homini ad decorem; ad ſuperiora feruntur eò quod odoribus qui ignei ſunt, congruenter aptentur; & quod cibi, & potionis iudicium exerceant; olſactu oris vicinitatem conſequuntur. Sua naſo propria venuſtas, & quid Regium eſt præſertim ſi ad Perſas reſpiciamus, quibus Rex ſuus non placeret, niſi naſum Cyri habuiſſet. Naſo item ſagacitas, aut ſtupiditas, riſus item, ira, & irriſio antiquitus notabatur; hinc illa, emunctæ naris, pro prudente, & cô qui ſagax naſum habet, nam antiqui naſum, neutro etiam genere dixerunt apud Plautum. Hinc, vir naris obæſæ pro ſtupido. Et illud fames, & mora bilem in naſum concient: hinc & illud. Naſutus homo eſt: naſum habet: & alia apud Martialem, & alios.

Lactant. ibidem.

Narium.

Xenoph. in Cyropædia.

Plutarch. in polit.

Plin. l. 11. c. 37.

Horat. l. 1. Sat. 4.

Plaut. in Curcull.

Guſtatus in eâ oris parte reperitur quâ, quibus nutrimur iter à naturâ nobis eſt patefactum: cæteris in lingua; at homini etiam in

Guſtus.

Martial. lib. 13. epigr. 2. lib. 4. epig. 54.

Tactus. *Horat. epod. od. 13.*

in palato. Intellectus saporum, & gulæ irritamentum vocitatur.

Tactus deniq; toto æquabiliter corpore diffunditur, vt omnium temporum qualitatumq; varietates, & ictus sentire perfacilè possit.

Plaut. in Amphitreor. *Alex. ab Alex. l. 2. c. 19.* *Mirabile naturæ artificium.*

Atquè in hâc quidem naturæ prouidētia tam diligenti, ac solerti, nescias, quid primum admireris, exactam nè omnium figuram, an eorumdem vires, & incredibiles artificij instructiones, admirandas ad finiendos artus, ossium commissuras, neruorum implicationes, venarum fluxus, arteriarum flexus, reliquâque quamplura ad organōrum structuram pertinentia, vt verè dicas in tantâ rerum fabrica frustrà naturam laborasse, nisi eârum functionibus hominum vita teneretur.

Sensuum internorum vis, & munera.

Aliæ sensitiuæ partis operationes internis sensibus explicantur, quibus res sensuum externorum beneficio definitas, circumscriptasque complectimur. Estque in primis tanta his cum externis cōiunctio, vt vtrorumque famulatu, hominis intelligentia maximam rerum consequatur comprehensionem. Sensus enim communis officium est externis sensibus præsidere, sensationes eorum, & sensata ab eis suscepta per species percipere, & vnum ab altero discernere. Quâs quidem obiecti sensibilis species intentionales, itâ appellant Philosophi, à communi sensu perceptas diû conseruat Phantasia. Tum æstimatiua vt conueniens, aut noxium sensatum hoc discernit, ac respicit: quod idem ferè præstat memoria; nisi quod diû conseruatum retinet obiectum, quod in sê recepit. Ex his concupiscibilis, & irascibilis potentiæ motiones suboriuntur, de quibus proprius erit infrà dicendi locus. Quantûm verò omnes hæ facultates sint accommodatæ, & suis locis distributæ, & ad proprios vsus conformatæ; quâm faciles, & expeditæ ad suas functiones, & varios motus; quanta etiam earum, prò diuersitate operationum varietas; quâm mirabili artificio præcipua eorum munera perficiantur, nemo est qui, cum intenta contemplatione peruiderit, non per maximâ admiratione corripiatur.

Sensus communis. *Phantasia.* *Aestimatiuæ.* *Memoria.* *Hinc motiones in appetitu.* *Ars naturæ ingēs in his sensibus.*

Nyssenus l. de hominis opificio ca. 10.

Quæ res mihi, inquit Nyssenus *maximè in nobis digna admiratione videtur, quæ nimirum illa sit nostræ interioris capacitatis amplitudo, in quâm omnia, per auditum infusa confluunt, qui sint quasi à commentarijs, quorum opera consignentur eâ quæ in aures penetrent; quæ receptacula sint rerum perceptarum. quò pacto fieri possit, vt cum adeò multa, & varia immittantur, non in collocatione rerum aliarum super alias, confusio, ac perturbatio quædam contingat.*

Idem & in facultate Vidente in admirationem venit: nam & per hanc modo quôdam consimili mens contraria prehendit, receptisque rerum apparentium simulacris, formas eorum, quæ cerni possunt apud se depingit. Itâ Gregorius admiratur, quæ omnia latè enumerat atque admiratione, pariter excipit Augustinus.

August. lib. 13. confess.

Sed exemplum ab Gregorio ad rem enucleandam allatum prætermit-

termitti nefas puto, *vt in ampla quâdam Vrbe*, inquit *quæ per diuersos aditus homines aduenientes recipit, non vnum ad locum omnes concurrunt, sed alios videre est ad forum, alios ad ædes, alios ad comitia, plateas, angiportus, Theatra, quemque, sui exanimi sententia tendentes: itá & mentis oppidum quôd est intrá nos extructum, diuersi quidem aditus sensuum, quasi complent: mens tamen de singulis quæ ingrediuntur iudicium faciens, & in quælibet inquirens, sic deindè proprias eâ velut in sedes notitiæ collocat.* Exemplum elegãs de mẽte intelligẽte

Postremus potentiarum ordo mente, & intellectu compræhenditur, quarum operationibus homô, non modò essentias rerum omnes intuetur, ac legit; sed earum etiâm, quę essentię non sunt contemplatur. Nequè humanis, aut supernaturalibus expletur, ad altissima conscendit, & infinitum, immensumque numen appręhendit. Et quidem vbî rerum sensilium species, quorum obiecta in hôc tam vario mortalium rerum theatro continentur; per externos sensus ad internos ingressæ, ad phantasiam demùm peruenere, atquè memoriam; tum intellectus agens harum specierum, ac phantasmatum receptione determinatus, ex se enîm erat indifferens ad hoc vel illud obiectum percipiendum, sua actione intellectioni præuia, in patiente intellectu speciem intelligibilem, seu impressam, quâm vocant, de eiusdem potentia eductam, producît. Per hanc obiectum materiale in phantasmatibus acceptum intellectui possibili repræsentatur. Productâ itàque specie in intellectu possibili incipiunt obiecta intellectui apparêre, ab eôque cognosci, cum priùs ad intellectum se haberent, sicut colores in tenebricoso ad visum: per productionem ergô speciei dicuntur Phantasmata, & res quæ sentiuntur illustrari methaphoricè tamen. vndè actio intellectus agentis, primûm quidem circà intellectum possibilem, tanquâm circà subiectum versatur: de cuius potentia speciem educit, & in quo eius actio cum specie ipsâ, recipitur deindè verò circà obiectum extrinsecè illud illuminans, nimirum præstans, vt obiectum in phantasmate, soli adhûc phantasiæ repræsentatum, vlteriùs intellectui possibili per eamdem speciem intelligibilem, ex vî intellectus agentis productam, repræsentetur. Mentis, & rationis operatio. Intellectionis ordo. Intellectus agens. Intellectus possibilis, in quo species impressa. Phantasmatum illustratio.

Hæc præclarus ille artifex admirabiliter, vt verè dicas quid hoc? qualis ista fabrica est? cur adhibita? vbi? quandò? quomodò? certè ad hominum magnificentiam, tâm ingeniosè tractata, tamquâm eleganter disposita est; vt, & humanæ dignitati perhumaniter consuluisse, & omnipotentiæ suæ artificiosa sollicitudine ad laudem elaborasse videatur. Mira diuinæ potentiæ sapientia ad humanam intellectionem.

(: § :)

SEC-

SECTIO XI.

PERTVRBATIONVM PROGRESSVS EX HOMINIS FACVLTATIBVS ERVITVR.

Perturbati hominis incommoda ex Lucretio. Appetitus ex D. Thoma quotuplex. Animalium quorumdam in sensitiua operatione celeritas. Hominis tarditas graphicè descripta ex Lucretio. Propensio ad speciem conseruandam. Et in educanda prole amor. In alenda diligentia. In tuenda animositas. Dolor de surrepta. Allati Maro, & Horatius. Eiusmodi affectus in homine incitatiores, vt sæpè vltrá fines progrediantur. Perturbationes spinæ, & vepres, immó etiam feræ. Maro de Leandro. Affectus cur perturbationes, & passiones dicti ex Diuo Thoma. Vndè excitentur in bestijs; vndè etiam in hominibus. Illustratus Psaltes. Intellectio, & appetitio vt ab inuicem distinguantur. Ratio ex D. Thoma, & nostra. Vtriusque potentiæ dissidium, & pugna. Apostolo illata lux ex Bernardo, & Ambrosio. Vis sensitiuæ, & lucta contra rationem descripta. Cipriani locus emendatus.

VIdimus quanto artificio esset hominum constituta natura; quæ vis inesset sensibus, ipsique sensuum fonti intellectui. Nunc quæ ex his omnibus mala exoriri possint, explorare operè pretium duximus, vt si quandò plus æquo perturbationum frutices emergentes sucerescant, & optimarum facultatum segetem suo veneno inficiant, & virtutibus homini valdè necessarijs, ne vnquàm suboriantur impedimentum, creent quàm promptissimè ijs execandis manum ferro inijcere percalleamus.

Lucret. l. 5. de rerum natura.

Nam nisi purgatum est pectus, quæ prælia nobis,
Atque pericula, tunc ingratis insinuandum.
Quantæ contundunt hominem cupidinis acres
Sollicitum curæ, quantique perinde timores.
Quidue superbia, spurcities, petulantia, quantas
Efficiunt Clades? quid luxus desidiesque.

Perturbati hominis incommoda.

Atque hæc quidem naturæ detrimenta, & incommoda, quæ vniuersas hominis partes post peccatum occuparunt, ex appetitus perturbationibus eruperunt. Quarè de diuersa multiplicique huius appetitus ratione in præsenti nobis dicendi prius pensum incumbit, vt quî intus in pectore nostro libidinum æstus agitentur, quîque in superioribus, aut inferioribus animæ portionibus, vndècumque nascantur errores enucleatius discutiamus.

Por-

Porrò appetitus quià Diuo Thoma *potentia passiua nata moueri ab apprehensiua*, definitur; triplici vulgata diuisione in naturalem, sensitiuum, & rationalem distribuitur, atquì primus latissimus quidem est, ac varius: aut enim inclinatur intrinseco suópte pondere, & propendet res naturalis quælibet in id quod conueniens est sibi, nullâ omninò præexistente cognitione, estque vel facultas, aut facilitas ad recipiendas formas; & hic appetitus conuenit primæ materiæ. Aut est primorum corporum propensio sequens formam, quæ propriè natura est. Vel est mixtorum, quæ cognitionem non assequuntur, atquè hic non vno modo, nec similiter in omnibus ducitur, innascíturque, sed diuersimodè; quandòque enim eâ vi, ità rei est insita vt semper agat, quoties ad id in quod agere queat proximè admouetur. Vt igni comburere, frigefacere aquæ. Vel est juxtâ compositi corporis naturalem inclinationem, vt lapidi grauitas, & durities, & motus ad centrum. Vel vî intruditur, vt in aquam feruor, vel casu in rem accidit, vt venenum fungo, quod ex terra, aut alia quauis rê adhæsit venenata, vel arte paratur, vt stylo facultas scribendi, gladio scindendi: quamlibet enim formam aliqua sequitur inclinatio, quæ appetitus naturalis modo dicto, nuncupari potest.

Diuus Th. 1. p. q. 80 art. 2.
Appetitus in vniuersum diuisio.
Naturalis. Multiplex.
Diu. Th. 1. p. qu. 80. ar. 1. in corp.

Sunt & aliæ præter has in animantibus facultates, appetitusque naturales, vt ventriculo admissos, cóquoquere cibos hepati, cordiue defęcatum sanguinem in venas transmittere, & similia; quæ in hominis potestate sita non sunt: sic exteriores quoque sensus pernicissimè suas exerunt operationes, quibus ad patiendum, agendumue potentiam natura concessit, cum specie intentionali recepta, necessariò obiectum sua sensatione consequuntur.

Animalis

Iamuerò quandò sensu præeunte ea vis appetentis facultatis ab eò quòd sibi aduersatur, refugit; vel rem sibi gratam prosequitur: Hic dicitur appetitus sensitiuus, cognitioni proximus, quem principiò quidem homo, & pleraque animalia, confusum, incertumque habent; sed non omnia, nam Pisces ab exortu suo statîm hôc appetitu penè perfectè fruuntur; semel enîm educti quamplurimi, nullam à parentibus educationem expectant, quia cæterarum animantium pleraque, præter hominem, perfectiores appetitus à natura nanciscuntur. Atquî homo solus, nequè quid appetat, nequè quid possit, nequè quid ipsius natura petat, statîm percipit ab exortu.

Sensitiuus.
Animantiũ quarumdam in sensitiua operatione celeritas.
Hominis tarditas.

Tum porrò puer, vt sæuis proiectus ab vndis
Nauita, nudus humi iacet, infans, indigus omni
Vitai auxilio, cum primum in luminis oras
Nixibus ex aluo matris natura profudit:
Vagitúque locum lugubri complet, vt æquum est,
Cui tantum in vita restet transire malorum.

Lucret. lib. 5.

At variæ crescunt pecudes, armenta feræque
Nec crepitacula eis opu sunt, nec cuique adhibenda est
Almæ nutricis blanda, atque infracta loquela
Nec varias quærunt vestes pro tempore Cæli.

Qui tamen cum ætate processerit sensim incipit in facultatibus progredi, atque proficere: vndè idem appetitus cum aliquid ad sè trahere cæperit consultò, quod sibi amicum sit, vel ab eò quôd obsit abhorrere, Animalis appetitus nuncupatur; cum formam sequatur sensibilem, & animæ potentiam requirat; omne autem animal ea, quæ naturæ apta sensit, appetit; propulsatque contraria, est enim infixum in ipsa natura, & suis quisque sensibus comprehendit, quantum se ipsum quodque diligat, & in id quòd in quâque re sit optimum, aut sibi vtile appetitu feratur, quæratque ea quæ vitam statumque naturalem seruant omnia, vestigetquè etiam illa, quæ à morbis, atque ab interitu eripere possint, quorum multorum, præter naturalem, animalemque appetitum, Deus animantibus etiam cognitionem indidit quamdam, adeò vt Plinius dixerit, omnia animalia, quæ sint ipsis salutaria nosse, præter hominem; deindè quia sê à corruptionis iniuria omninò defendere non possunt, & cedendum vident interitui, quantô, quæso te studio, ac naturali appetitu speciem suam, seque in specie, vt conseruent, allaborant, quàm verò curam sollicitudinemque non suscipiunt quantus inter coniuges amor vt edûcant.

Hominis in cognitione sensitiua ingressio & gradus.

Animantium naturalis cognitio vtilium, & noxiorum.

Plin.l.23.c.3.

Propensio ad speciem conseruãdã.

Amor in educenda prole.

Omne adeò genus in terris hominumque ferarumque
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
Infurias, ignemque ruunt, amor omnibus idem.

Virg.Georg. 3.

Quâ diligentia ergà eos vtuntur, qui producti sunt quantò vt alant studio, vt animal nullum inueniri possit, quòd prô catulis non ipsum se offerat morti nulla fera, quæ fætus suos sexcentis licet obsessa cuneis armatorum, non suis tegat visceribus, ingruat licet telorũ seges, illa tamen paruulos suos muro sui corporis septos, immunes, præstat periculi, & sui securos.

Diligentia in alẽda.

Intuenda animositas.

Vt assidens implumibus pullis auis,
Serpentum allapsus timet.
Magis relictis: non vt adsit auxilij
Latura, plus præsentibus.

Horat. epond. od. 1.

Quantus de surreptis dolor.

Dolor de surreptis

Qualis populea mœrens Philomela sub vmbra
Amissos queritur fœtus, quos durus Arator
Obseruans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, & mœstis latè loca questibus implet.

Virg.Georg. 4.

Vt non temerè tanta à prouidenti, solertique natura adhibita fuerit sollicitudo, quâ perpetuus mundi conseruetur ornatus; ijsdem-

Naturæ in supradictis prouidentia

dem-

demque semper bestiarum generibus continuà renouatione compleatur; perspicuum est enîm quid perpetuitatis caussa machinata natura est, aptissimas scilicet ad procreandum, & concipiendum corporis partes, miscendorumque corporum libidines: sed hæc apud alios.

Verûm quantò præstantius hôc appetitu homines non ducuntur modò, sed etiâm vtuntur cum forma nobiliore donentur? quod enim rationis expertia incitatione naturali, & naturæ impulsu potiùs, quàm ductu prosequntur, id nos excellentiùs propensione, electioneque consectamur. Hînc communis natiua illa omnium animantium in prolem suam propensa benèuolentia, in homine propensissima, in illis tamdiu perseuerat, donec nondûm firmatis viribus cibos sibi filij ad propagandam vitam parere non valent; at in homine non nisi cum vita finitur, vt quamplurimos nequaquam piguerit, liberorum vitam vitæ suæ iactura redimere. Sic verè pater apud Quintilianum ille: *Graue*, inquit, *mihi est mori, sed grauius quod superstes filij mei viuam*; Testatus id quondam Solon cui nisi commentũ quod Thales ei per iocum de filij morte renunciauerat, confestîm aperuisset, repentè de vita excessisset. Et Dauid tam eximiùs suarum perturbationum moderator, & penè affectuum expers, tot Absalonis filij neglectis sceleribus, quibus & Ammonem fratrem suum proditione interceptum necasset, & contrà patrem arma exercitusque comparasset, & cum paternis minorum gẽtium vxoribus fœdè congressus esset, & Regnum vniuersum occulta seditione turbasset, patremque ipsum Regno; & vita spoliare pro viribus contendisset; & multis demum sceleribus se, ac penè parricidijs commaculasset, Pater tamen facinorum immemor, memor filij, paterno sese dedens affectui mortem illius flebiliter deplorauerit; atquè optimi Principis vitam, hoc est suã, cum sceleratissimi omnium viri commutare, exoptauerit. Profectò delicta non videt vis amoris ideoque peccata filij prodigi pater redemit osculo. Sed hæc in sanctissimo parente. Quid in sæuissimo etiam Tyranno Mezentio, qui acerbè præmortuum sibi filium Lausum dolet?

Tanta ne me tenuit viuendi nate voluptas,
Vt pro me hostili paterer succedere dextrę
Quem genui? tuane hęc genitor per vulnera seruor
Morte tua viuens? heu nunc misero mihi demum
Exilium infelix, nunc altè vulnus adactum.

Rectè igitur apud Iuris consultos ambigitur, an in sê Pater, an in liberis suis terreatur, & filium plusquam se ipsum diligat; veluti enîm Iuris fundamentum naturalem hunc parentum, ergà liberos amorem supponunt.

Sed hæc quidem humanæ conditionis indicia, non multum volun-

In homine hi affectus incitationes

Exemplis confirmantur.
Quintilian. decl. 6.
Plutarch. in eius vita.
Regum 2.

Chrysol. ser. 4. de fil. prodigo.

Virg. Aeneid. 10.

L. vti quidem §. vlt. ff. quod metus caussa.

Naturaliter quidem boni affectus

hi, sed sapè vltra fines progrediuntur suos. Atque adeo mali.

luntati nostræ diuinitûs iniecta semina, eiusque vberrimos ad honestissima conatus retardarent, nisi facultatis eiusdem lenocinijs, atque oblectationibus vltrà fas, & iûs rapidissimè hominem deuolutum, sæpiûs inter scelerum saxa confringerent; frequenter enim hîc appetitus ardore excitatus, ac lasciuiens, itì impuris vaporibus, animæ speciem deturpat, ac fædat, collucentemque eius vultum caligine conspergit, vt facultas, quæ ambitione laudabili cælestium Orbium vertices transilire contendit, rapidis quibusdá perturbationibus impetita, ac superata, fædarumque voluptatum emollita blanditijs, infinitis propemodûm casibus obruatur, & grauiores Orestæis, Furias pati videàtur, & velùt Euripides alter Archelai canibus descerptus, aut Actæon florenti ipsius specie, eximiâque pulchritudine denigrata, sensuumque fuligine, ac præstigijs deformata, ab ijsdem sensibus, nullam prorsus in eô herilem agnoscentibus dignitatem, longiùs à sui formâ recedens: miserrimè crudelissimèque lanietur.

Et animum lacerantes.

Excepit enîm illa pars animæ inferior eius sententiæ acerbitatem, quâm hominis caussa, Mundi fabricator, terræ intulerat: maledicta terra in opere tuo spinas, & tribulos germinabit tibi: Ec quid enîm aliud sunt æstus illi feruentes quâm vepres, ac tribuli? quibus intrà nos succrescentibus, ac syluescentibus suas ibì vitiorum feræ, conficiunt latebras, è quibus quotidiè variæ excursiones adornantur; varia bella, venenaque sparguntur; vndè ratio, & virtus repentino tumultu, & lætali demûm accepto vulnere, perturbantur; vltimôque in discrimine collocatæ, vehementer periclitantur.

Genes. cap. 3.

Ceu Vepres, & fera tellus.

Virg. Georg. 3. Exemplũ in Leãdro amante.

Quid iuuenis magnum cui versat in ossibus ignem
Durus Amor? nempè abruptis turbata procellis
Nocte natat Cæca serus freta; quem super ingens
Porta tonat Cæli, & scopulis illisa reclamant
Aequora, non miseri possunt reuocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere Virgo.

Quãto hic ardore Leander in Erum ferebatur, quem ipsum mare extinguere priûs, quàm refrigerare ab eô potuit æstu?

Intrinsecus etiam quam vehementissimè perturbant

Cum enim hæc potentia per quàm homo nedùm in eâ fertur, ad quæ ex naturali formâ inclinatur; sed quæ etiâm appræhendendo appetere potest, cum inquàm vltrà modum progressa est, non hominem tantum extrinsecus vitæ incommodis, cæterisque malis obruit; sed maximè interiùs, nec in cute solûm; verum in pectoris, cordisque recessu ardentibus admotis facibus cruciat. Ad cuius æstuosi maris aspectum, Cælique intereà furentis fragorem, diû, noctûque homo miserrimus gelido timore concussus, expauescit; manifestum est autem adsensitiui, aut etiâm intellectiui appetitus actiones, corporis simul mutationem aliquam inter-

ter-

teruenire; præsertim in corde; quâ quidem mutatione naturalis corporis status perturbatur. De animantibus audi. *Animantes.*

Nonnè vides, vt tota tremor pertentet equorum *Virg. Georg. 3.*
Corpora, si tantum notas odor attulit auras.

Notum illud de equo Darij ad memoriam equæ, quâm nocte inierat, hinnitum sequente die, ac fremitum agente, atquè ea re Regnum domino pariente. *Apud Herodotũ, & Iustinum.* *Herodot. lib. 3. & Iustinus l. 1.*

De hominibus accipe. *Cerne ora ipsa iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliquà, aut metu commoti sunt, aut nimià gestiunt voluptate, quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur.* *Homines.* *Cic. l. 1. offitiorũ.*

Vndè affectio hæc perturbationis, & expressiùs *passionis* nomen sortita est; id enîm propriè pati dicitur; quòd aliquid recipit, cum alicuius sibi conuenientis deperditione. Cum verò sensitiui appetitus motus ad intellectiui quietem dimouẽdam progreditur, perturbationis nomenclaturam accipit; intellectiui autem appetitus partes nomen retinent omni animæ motui, operationique commune. Sed vtrique tamen motus, si cum rationis fiant aduertentia, & ab appetitu cum ratione agente procedant, actiones dicuntur. *Inde nomen illis passionis, & perturbationis.* *D. Th. 1. p. q. 2.* *Quando actiones dicantur.*

Excitatur autem appetitus sensitiuus ad operationem formandam; in Brutis quidem à solà imaginationis sensitiua cognitione; in Hominibus verò nèdum à sensitiua, vt dictum est, & phantasia; sed interdùm etîam ab intellectiua, etîam illa quæ circa spiritualia obiecta versari non potest; versabitur tamen si & ab imaginatione ad modùm materialium obiectorum proponantur; quô pacto solent per actum imaginationis proponi spiritualia, quæ simul cum actû intellectionis conficiuntur. Hinc illæ Dauidis *lacrymæ. Fuerunt*, inquit, *mihi panes die, ac nocte dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam*. Quorum autêm memorem se dicit? eôrum vtrîquè, quæ desiderabat vt venirent, & appareret, in conspectu Dei, & eius aulam illam videret æternam, in quâ animò spatiabatur, & præsumpto delectabatur ingressu. Quò etîam modò fatemur appetitum ipsum rationalem, suâ efficacia non ad eâ se extendere solûm, quæ ratîone sunt perceptibilia; verûm ad eâ, quæ sensibus iucunda quoquè videntur, & consentanea; altiori tamen modo, quàm sensus, quandòquidem intelligentia certà quàdam notitia, atquè ambitu rerum omnium genera coercet, dum autem mortali huic moli implicamur, cum actu intellectionis, etiam actio imaginationis exercetur, & appetitio rationalis, & sensitiua, vna alteri inuicem præuia consequuntur. Vndè delictum ab homine committi dicitur, cum voluntas sensuum oblectationes, quæ à rationis præscripto deflectunt, appetit, quamuis hæc consociatio non talis sit, vt id *Vnde excitentur appetitiones.* *In bestijs.* *In hominibus.* *Intellectu corporalia mouente.* *Ps. 41.* *Ambros. in eum Psalmum.* *Appetitus rationalis intellectio, & appetitus sensitiuus sese inuicẽ comitantur.* *Vnde peccata.*

circò

circò vnam eamdemque potentiam esse existimemus; re enim appetitus sensitiuus à rationali distinguitur; quod ex Diuo Thomà hac ratione probamus. Appetitus quì sensibus nostris inseritur nullam aliam sequitur operationem, præter solam imaginationem: at voluntas rationalis, iudicium intellectus, mentisque prærequirit, quo euocetur atquè ad operandum excitetur. Sed nos alteram adnectimus. Interdùm enim eâ vehementià appetitus ipse sensitiuus, quæ sibi sunt grata prosequitur, vt ab illis nullò ferè pacto, vel voluntate reluctante, aut rationis imperio reclamante, reuelli possit; adeòvt ratione vtentibus etiàm atquè etiàm displiceat, & voluntas vt plurimùm, eà tanquam noxia auersetur; fieri autem non potest, vt in eàdem omninò potentià, & facultate tanta motuum oppositio, & tàm acris operationum repugnantia reperiatur.

D.Thomas.

Non tamen vna sunt potentia probatur.

In quà quidem appetitus; & rationis consociatione, perpetuum inter ipsasmêt animæ perturbationes, & sensus, interque partem hominis rationalem existit dissidium; si quid enim cum virtute coniunctum, aut laude dignum fuerit amplexata ratio; hôc ipsum acerbum nimis sensui apparebit, & videbitur intolerabile, voluptatibus non deliniri, repudiatisque delitijs spinosam, atquè asperam vitam cûm virtute traducere: contrà verò ad delicias, & turpitudines impetu quodam, seù potiùs turbine deuoluuntur. Quos quidem repugnantes in animà sensitiuà motus, ac discrepantes propensiones, benè sanctus agnouit Paulus. *Quôd enim, inquit, operor non intelligo, non enim quod volo hôc ago, sed quód odi illud facio.* & Bernardus, *an fortè*, inquit, *non ago illa, sed patior? aguntur quidem in me, sed à me non aguntur, si non consentio; dixerim non quiá facio, sed quia sustineo.* Ita libidinibus excitamur vt vehementissimo pondere correpti, quôd facimus vix intelligamus; & voluptates sæpè interdictas prosequamur, ità partes istæ inter se pugnant, & inferior à superiore dissentit vt duô ab Apostolo homines nuncupentur, vnus rationis interior, alter carnis, & sensus exterior. *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem, legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis:* repugnant siquidem perpetuò in ipsà animà appetitus incitati motus, cum se ipsis, tum etiàm cum ratione. Vnde lites, & arma gliscuût, atquè omnia perturbatè feruntur, nullus otio locus, nulla respiratio, rediuiuæ scilicet hostium vires in nostram perniciem continuò excitatæ, securitatem nullam concedunt. Eleganter Ambrosius. *Seruit anima proprijs passionibus, seruit cupiditatibus suis, quarum dominatum, nec nocte potest fugere, nec die, quià intrà se dominos habet intrá sê seruitium patitur intolerabile.*

Dissidium appetitum rationalis & sensitiui.

Probatur ex Diuo Paulo ad Roman.

Bernard. ep. 22.

Explicatur Diuus Paulus.

Ambros.

Vt enim externorum sensuum titillationes prô libidinum intèperanti varietate obstrepentes, ad interiorem concupiscendi facul-

Vis sensitiua cōtra rationalē appetitum.

cultatem, indèque ad mentem, & voluntatem penetrauerint, ità tunc amor ergà iucunda; voluptuosáque mentem incendit, eiusq; vires colliquefacit, vt ad quaslibet vitij impressiones, mollem ductilemque constituat. Exēplo in amore. Tibullus lib. 2. eleg. 4.

Iuraui quoties rediturum ad limina nunquam?
Cum benè iuraui, per tamen ipse redit.

Tunc timor exilit, & vt furia quædam ferro armata, & facibus, truculentam sui speciem inferens, atquè ipso suo pallore terribilem animam ab omni prorsus illustri, præclaroque facinore deiectam, ac debilitatam consternit. In timore. Senec. in Hercul. act. 3.

Vagus per artus errat excussos, tremor.
Erectus horret crinis, impulsis adhuc
Stat terror animis, & cor attonitum salit,
Pauidumque trepidis palpitat venis iecur.

Dolor animum comprimit, atquè suffocat, & si quà euadendi via datur, fluentibus vndiquè lacrymis miserè ingemiscere, & deplorare suos cogitur casus. In dolore. Tibullus. lib. 2. eleg. 2.


O ego ni possem tales sentire dolores,
Quàm mallem in gelidis montibus esse lapis:
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet vnda maris.
Nunc, & amara dies, & noctis amarior vmbra est.
Omnia nam tristi tempora felle madent.

Odium verò quàm infeliciter excruciat? cum enìm lymphatum animum inuidi, pectusque corripuit, amicos, socios, fratres, etiam caros, cane peius, & angue peracerbissima feritate persequitur. In odio. Horat. l. 1. od. 16.

Iræ Thyesten exitio graui
Strauere, & altis Vrbibus vltimæ
Stetère caussæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Hinc *Vultus*, inquit Cyprianus *minax, toruus, actus*, (lege aspectus) *pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata conuicia, manus ad cædis violentiam promptæ, etiam si gladio intereà vacuæ, odio tamen furiosæ mentis armatæ.* Ciprianus lib. de zelo, & liuore.

Sed importunè nunc prosequor, quæ opportuniùs à me sunt infrà quam diligentissimis oculis indaganda.



LIBER

LIBER SECVNDVS

DE CAVSSA PERTVRBATIONVM FORMALI.


HVmanarum perturbationum fontes aperuimus, atque vtinam non cum maxima vitæ nostræ solicitudine etiam scaturigines experti essemus: nunc quid illæ, & qui earum riuuli, ab oculos supponendum censuimus: vt, si fortè in hoc nascendi, pereundique gyro, in eâs incomprehensa penè necessitatè compulsi abeamus; & abundantius ijs animus madefiat; illum vel abducere, aut abstergere, aut earumdemmet perturbationum lippitudines, vliginésque purgare discamus.

SECTIO I.

PERTVRBATIONVM DIVISIO.

Harum definitio ex Damasceno; Ex ea earumdem diuisio ab obiecto, & subiecto. Hoc duplex: Appetituum, & obiectorum discrimen. Cur alia potentia Irascibilis dicitur, alia Concupiscibilis. Piccolominei diuisio reiecta. Perturbationum diuisio, & ratiocinatio ex D. Thoma. Perturbationes in concupiscibili quæ. Earum in irascibili exortus, numerus, & oppositio. Aegidij, & Aureoli opiniones reiectæ.

Cic. Tusc. lib. 4.



IN his perturbationibus definiendis, & partiendis magnam partem occupati sunt Stoici, è quibus nos tanquam à Portu soluentes procul vela facere decreuimus, ne orationem nostram in salebrosa propellere videâmur. Quarè Peripateticorum ingeniosiores curas in partiendo, diuidendoque libentissimè suscipimus; eâ nunc tantum definitione contenti, quæ ad earumdem confert partitionem. Eamque Diuo Damasceno acceptam referimus. *Sit ergo Perturbatio appetitus sensitiui motio ab obiecto, quod ob imaginationem, bonum, vel malum reputetur.*

Perturbationum ex definitione. Damasc. l. 2. de fide ortodoxa c. 22. Definitio.

Ex qua descriptione, duæ quidem generales manant perturbationum diuisiones: altera ab obiecto, altera ex eârumdem subiecto, puta appetitu, ductæ, iuxta primam ergò duplici velùt aspectu obiectum consideramus, vt scilicet facilè acquisitu, aut euitatu, vel difficile, atquè arduum; Deindè in hûnc modum ex hoc obiecto

Partitiones vna ab obiecto, altera à subiecto.

Obiectum duplex facile, & arduum.

iecto perturbationes venamur, vt aliæ in quadam appetitus prosecutione consistant, quæ scilicet circà bonum versentur; aliæ in fuga, & detestatione, quæ sint circa malum; quæ est Diui Thomæ; & Aristotelis doctrina.

Perturbationum aliæ prosequentes bonum, aliæ fugientes malum.
D. Th. p. 2. qu. 23. ar. 3.
Arist. 6. Ethic. c. 3.

Altera diuisio ex subiecto desumitur, vt eârum, siue in prosecutione, siue in fuga consistant, aliæ sint motus appetitus sensitiui concupiscibilis; aliæ irascibilis: illæ in obiectum feruntur absolutè acceptum, seu quatenus est procliuè, ac facilè, hæ in idem, vt arduum, quâm quidem diuisionem tradit Philosophus appetitiones, inquiens, irrationalis appetitus, nempè sensitiui, sunt ira, & cupiditas, eiusdemque diuisionis passim meminere alij.

Ar. 1. rhet. c. 10. & 3. & hic c. 1.
Damasc. de fid. li. 2. c. 12.
Hier. in cap. 13. Math.

Discrimen prosecutionis, & fugæ boni, & mali absolutè considerati; vel ardui, & difficilis ad obtinendum vitandumue adeò magnum est, vt non immeritò fortasse ab auctoribus existimatum sit appetitum sensitiuum, non esse vnam simplicem specie potentiam, sed genere, quod duabus potentijs appetitiuis specie distinctis contineatur, vt eârum altera prosecutionem habeat, boni, & fugam mali absolutè, altera prosecutionem boni, & fugam mali ardui, & cum difficultate comparandi, vel effugiendi; & illa quidem Concupiscibilis nuncupata sit, hæc Irascibilis, non quod nullum alium habeant actum præter concupiscentiam, & iram; sed quod in illa concupiscentiæ passio, in hac iræ manifestius quã ceteræ conspiciantur, vt Sanctus Thomas aduertit.

D. Th. 1. 2. qu. 23. ar. 1.
Harum appetituũ & obiectorum discrimen.
Cur irascibilis, & concupiscibilis vocentur.
D. Th. p. 2. q. 23. ar. 1. & 2. ad 1.

Nequè hic nostra refert decernere, num appetitus isti duo sint specie, an verò vnus, idemque appetitus cum sit, vtròque fungatur munere bonum prosequendo, & malum fugiendo; siuè arduũ sit, siuè facilè: nam iuxtà institutum à nobis in præsentiâ susceptũ, vtrôuis se modo res habeat, æquè de his animi ægritudinibus cõfici tractatio, & eârum declarari natura, & remedium ijs curandis; excogitari potest: ceterum veriûs existimo vnumquemque appetitum peculiari potentia, specie ab altera distincta, contineri.

Quale habeãt discrimen.

Porrò vt diuisiones, numerumque perturbationum in capita redigamus; nequè Herculis credo labor sufficiet circâ Hydram desudantis, cuius, cum vnum caput exsecaret repentè emergerent plura, nam plures statim perplexæ admodum, & obscuræ diuisiones occurrunt, nequè enîm vnus est, aut alter, qui certam diuidendi methodum, perturbationumque numerum definierit. Et à Piccolomineo hæc quidem magîs subtiliter fortasse, quâm vtiliter disputantur; quarum numerum non genere, aut specie; sed ordine, officio, & natura quærendum esse arbitratur; vt mirer quidem hominem alioqui doctissimum perturbationes, tâm minutim extenuasse, ac subtiliter metiendo, illustrium virorum doctrinas funditus eijciendas putasse, cum contrâ nec suam itâ dilucidè probet sententiam; vt nec plures; vel pauciores, quàm ipse statuit, ad-

Perturbationum diuisio difficilis.
Piccolominei diuisio magis subtilis, quam vtilis, aut solida.

 di,

di, vel demi perturbationes possint. A Scoti autem, & Scoto adhærentium diuisionibus, ac declarationibus manum libuit abstinere; ad alia properantibus.

Optima perturb. diu sio. D.Thomas. Quamobrêm vt certum perturbationum numerum ineamus ratiocinationem, qua vtitur Diuus Thomas, cum frequentiore doctorum virorum senatu, adhibeamus. In Concupiscibili igitur appetitu tot, & tales erunt perturbationes; quot modis illum moueri à bono, vel malo absolutè perspecto contingit. Mo- *Aquilitate motuū appetitus in obiectum.* uetur ergò primo hic appetitus à bono absolutè, ad quôd per propensionem quandam, & veluti sui ad illud coaptationem inclina- *Et à sensu obiecti.* tur; & motus hic dicitur, Passio Amoris; vel contrà à malo absolutè, excitatur, & mouetur ad auersionem, & hic Odij nomen sortitur.

Secundò, ab eodem bono commouetur, quâtenus futurum est, & obtineri potest, nec dum tamen possidetur, & hîc motus Concupiscentia dicitur, vel Desiderium. Quòd si malum vt futurum, & possibile excitauerit appetitum ad peculiarem quemdam fugæ *D.Th.p.2.q.3.ar.2.ad 3 & p.2 qu.23.ar.4.* motum consurget passio, quæ cum proprio careat nomine, vt Sanctus Thomas ait, communi vocabulo Fuga, & abominatio nominatur.

Quod si tertiò, bonum iam fuerit obtentum, tunc appetitum excitat, vt in ipso conquiescat, & Voluptas, vel Delectatio indè nascitur, siuè Gaudium, aut contrà, si instet malum, & præsens iam vrgeat, appetitum impellit ad sollicitudinem, & Passio Tristitiæ, *Perturbationes in parte concupiscibili, quot, & q.* vel Doloris emergit. Itàquè appetitus Concupiscibilis, perturbationes omninò sex parit, quarum quælibet prosecutionem habet, vel fugam, vt constat ex Diuo Thoma. Dum enîm vnam rem amore, alteram ei oppositam odio prosequimur, dum hânc desideramus, contrariam detestamur, dum vno delectamur, opposito tristamur.

Perturbationum in irascibili exortus. Nec dissimili ratiocinatione perturbationum numerum colligimus existentium in Irascibili, cuius obiectum est bonum, vel malum, arduum, atque difficile; illud quidem ad consequendum, hoc autem ad euitandum; nam si bonum difficile, iam obtentum præsens sit, mouebit quidem concupiscibilem ad Delectationem, nullò verò modò irascibilem; siquidem nulla tunc superest vincenda difficultas; sin autem futurum, & nec dum obtentum, tunc vel existimabitur posse fieri, vt acquiratur, vel fieri non posse; si primum: duarum statim in Irascibili perturbationum motus exurgunt; alter Spei in finem, terminumque tendentis; alter Audaciæ circà media versantis, per quæ discussis, reiectisque difficultatibus ad illud consequendum progredimur. Si autem bonum ità difficile æstimetur ad consequendum, vt consecutio omninò nulla sit futura; motum ingeret Desperationis. Quôd

si ma-

ſi malum euitatu difficile præſens ſit, concupiſcibilem partem propriè excitat ad dolorem, & triſtitiam, ſed iraſcibilem ad alium quemdam motum incitabit, qui ad vindictam impellet accepti mali, qui ira dicitur. Qui quidem iræ motus cum in proſecutione conſiſtat per ſe, & formaliter non habet malum illud præſens pro obiecto, ſed bonum quoddam conſiſtens in illa retributione, & veluti æqualitate vindictæ inducendæ, vt dicetur: Demum ſi malum euitatu difficile nondûm præſens ſit, ſed futurum, ingerit ſui timorem, quæ eſt paſſio audaciæ contraria: Ità fit vt in iraſcibili quinque ſint perturbationes: Spes, Deſperatio, Audacia, Timor, Ira, quæ ſi primis addantur; perturbatioues omninô erunt vndecim: de quibus deinceps diſſerendum. Amor, Odium, Deſiderium, Fuga, Delectatio, Dolor, Spes, Deſperatio, Timor, Audacia, Ira: quarum decem inter ſe inuicem oppoſitæ cum ſint; vna iræ perturbatio aduerſariam ſibi perturbationem nullam habet, quamuis manſuetudinem ipſi opponat Egidius; non illam quidem quæ virtus eſt, & perturbationis finibus non continetur; ſed alteram, quæ quid rei ſit explicari non poteſt. Aut enim eſt actus iræ remiſſior, atquè hic iræ vehementiori non opponitur, nequè hæc manſuetudo, perturbatio, ſed priuatio manſuetudinis eſt.

Eæ in iraſcibili quot, & quæ.

Omnes omninò perturbationes quot, & quæ.

Earũ inter ſe oppoſitio.

Egidius Romanus addit vnam.

Sed Egidio ſuprà vndecim vnam addenti, ſucceſſit Aureolus detrahens, Amorem ſcilicet, quam tamen vigere in humanis pectoribus, atque eſſe à Deſiderio, & Voluptate diſtinctam manifeſtius eſt, quam vt probari, aut negari queat.

Confutatur.

Hi ergo ſunt omnium aliarum perturbationum veluti fontes ex duplici capite exorientes; nequè vlla alia excogitari poteſt, quæ ad illarum vnam, tanquam ad ſuam originem non referatur.

SECTIO II.

VARIÆ PERTVRBATIONVM DEFINITIONES.

Stoicorum opinio reiecta. Itidem Galenus. Lucta perturbationis cum ratione. In opinione perturbationem nón eſſe. Imò aliquando neque ex eâ, ſed antè eam. Exemplum ex Didone Virgilij. Perturbationum medicamen, & opinionum firmamen tempus. Et id cur.

SEd perturbationum definitiones variæ ab antiquis diſciplinæ moralis Auctoribus adducuntur, & à Stoicis quidem, qui hâc de rê nimis acutè enucleatèque diſſeruiſſe videntur, plu-

res afferuntur: quidam censent perturbationes omnes iudicio fieri, ac opinione, non modò vt opinione, iudicioque præuio ipsæ in appetitu exoriantur, ibique consistant, sed vt totæ, vel magnâ ex parte, in iudicio omninò ponantur, atquè omnis perturbatio opinio sit; itàquè pressius eas definientes, est, inquiunt, Ægritudo opinio recés mali præsentis, in quo demitti contrahique animum, rectum esse videatur; Lætitia opinio recens boni præsentis, in quo efferri rectum esse videatur: Metus opinio impendentis mali quod intolerabile esse videatur; & similia apud Ciceronem, quod Chrisippum in primis existimasse, Galenus affirmat.

Stoicorum opinio perturbationes esse opiniones.

Eorum definitio Perturbationum prima.

Cic. lib. 4. Tusc. Galenus.

At malè me herclè: reclamat enim omniū sensus percipientium appetitus siue sensitiui, siue rationalis distinctionem ab omni intellectu, iudicioque: quàndoq; enim euenit, vt intellectu rectè opinante iudicanteque, adeò tamen hominis voluntas commoueatur, sensusque vltrò citròque agitetur, vt euripos quosdam intus in animo excitari, sese inuicem persequentes, ac sibi occurrentes, existimet.

Reprobatur perturbationem esse opinionem.
Ex contrarietate iudicij opinantis, & sensus, aut voluntatis.

Nisi fortè quis contedat id, quod opinionem appellamus non esse quid ab ipsa voluntatis appetitione diuersum, quod falsum etiam omninò esse, iudicij opinantis, & voluntatis appetitus pugna declarat.

Ostenditur contrarietas auctoritatibus.

Video meliora proboque, en intellectum rectè res perpendentem *Deteriora sequor*, en appetitum ad deuia defluentem.

Ouidius.

Quæ memoras scio
Vera esse, nutrix, sed furor cogit sequi
Peiorà, vadit animus praceps sciens
Remeatque frustrá sana consilia appetens.

Seneca in Hyppolito.

Lege Plutarchum de virtute morali.

Sed Galenus Chrysippo quidem hanc de opinione opinionem adscribit; vt Stoicos omnes excuset, aitque existimasse eos in opinione sitam esse perturbationum naturam, idest ab opinione velut à caussa profluere; atquè nō in ipso quidem intellectu perturbationem, sed in appetitu consistere: benè est. Conatur Medicus ad sanitatem insanientes Stoicos reuocare: laudo diligentiam: illi tamen subirascor, quod Chrysippo manum etiam non admouerit, illumque non quemadmodum, & Stoicos, excusarit; quandòquidem ille, vt est apud Ciceronem, fortitudinem non solum perferendarum rerum scientiam definierit, sed etiam affectionem animi in patiendo, ac perferendo summæ legi parentem sine timore. Quæ fortitudinis definitio soli opinioni cōuenire nequâquam potest, Admisisse igitur videtur Chrysippus fortitudinem in appetitu, saltem ex parte consistere.

Galeni responsio pro Stoicis adscribētis Chrysippo supradictam sententiam.

Quasi dixerint opinionē esse caussam perturbationū.

Reprehenditur, quod non & Chrysippū excusarit.

Tusc. l. 4.

Cum excusabilis videretur.

Sed id quod Galenus pro Stoicis dixit, accipiamus; vt omnis scilicet perturbatio præeunte opinione nascatur. Num nè hoc verum vsquequàque est? minimè sanè; nam, quemandmodum explica-

Reijcitur Galeni defensio.

plicatum est, cum omnis ferè voluntatis, rationisque operatio sensuum externorum operationes præuias expectet, inter rationem verò sensusque, phantasia, & appetitus sensitiuus velut in medio itinere commorentur, quæ duæ facultates illicò ex naturali quâdam connexione ad sensuum operationem operantur; sæpè fit, vt mirum in modum appetitus perturbetur anteâ quam ratio, & voluntas moueantur, ità perturbationes exurgere in homine possunt, quarum caussa non sit iudicium, aut rationis opinio. *Nã aliquãdo appetitus turbatur antequam ratio mouetur.*

Eleganter mihi videor Didonis facto id ipsum sub oculos aspectumque ponere. Cartagine Aeneas nocte cõcubia classem soluens, in altum deserto littore primam sub lucem sese à terra subduxerat, Didonem ex animo suo eiectam deserens. At *Exempl. Didonis ex Virg. Aeneid. 4.*

Regina è speculis vt primum albescere lucem.
Vidit, & aequatis Classem procedere velis,
Littoraque, & vacuos sensit sine remige Portus.

Viden sensus Didonis operantes, oculum, aures, ipsamque si uis phantasiam à sensibus iam permotam. Nunc accipe vt ad horum operationes perturbationum turbo excitetur repentè exilientium.

Terque quaterque manu pectus percussa decorum
Flauentesque abscissa comas. proh Iuppiter ibit.
Hic ait, & nostris illuserit aduena Regnis?
Non arma expedient totâque ex Vrbe sequentur.
Diripientque rates alij naualibus? Ite
Ferte citi flammas, date tela impellite remos.

Preuertisse Didonis rationem mẽtemq; videntur istæc omnia. quis enim talia cum ratione si solus intrà ædes suas sit vbî audiri, aut cerni à nemine possit loquatur? quis classes in altum iam pelagus prouectas pleno volantes remigio alarum, quibus ad velocitatem augendam.

Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt

Iubeat eos persequi, qui in continenti domi suæ, in thalamis vtramque in aurem dormiunt.

Quæ tamen Dido, & sanè mihi somniare videretur nisi

Cum iam prima nouo spargebat lumine terras
Titoni croceum linquens Aurora cubile.

Ipsa quoquè de somno experrecta de speculis oculos exporrigens exclamaret, tam ineptè, tam importunè, tam stultè. Sed videlicet Animus adhuc aut curis occupatus, aut externo alienatus mærore ad ea; quæ appetitus aiebat minimè aduigilabat. Vin audire quid expergefactus effatur.

Quid loquor, aut vbi sum? quæ mentem insania mutat?

Nimirum mens sana nequàquam se his, quæ perturbata profuderat interfuit. Amens, insana tunc erat, & audi quomodò vidente

dente ratione aliæ accedant perturbationum species.

Tum decuit cum sceptra dabas, &c.

Iterum reijcitur ex modo secandarũ perturbationũ.

Præterea si in opinione posita est perturbatio quid est quod recentium perturbationum medicina importuna esse iudicetur, & temporis diuturnitas optimum omnis doloris, affectionisque medicamentum censeatur? Chrysippus ipse vetare solebat ad recentes quasi tumores animi, remedium adhibere. Omnis autem opinio inueterata magis firma est, altioresque habet radices, quâm cùm tenella adhùc est; tunc enim vix animo inhæret, ac propterea facilius extirpari auferrique posse videtur. Hoc idem, vt Stoicorum vtar testimonijs, Matri suæ Seneca, quam de exilio suo consolatur, in excusationem attulit. *Dolori, inquit, tuo dum recens adhuc sæuiret, sciebam occurrendum non esse, ne illum ipsa solatia irritarent, & attenderent.* Nam in morbis quoque nihil est perniciosius quâm immatura medicina, non igitur in opinione perturbatio consistit; tantò enim facilius euelleretur ex animo, quantò esset recentior; sed verò quamobrêm ex appetitu voluntatis diuturnitas temporis facilius perturbationem eijcit, cum tamen ista quandoque ex inueterata opinione dependeat? quæ ipsa vetustate firmior efficitur. Ea ergo huius rei ratio esse videtur, quod quæ semel in intellectu exorta de quâcunque re opinio est, quamuis diuturnitate temporis firma, ac robustior euaserit; vt eradicari facilè ipsa nequeat, tamen haud vehemẽter appetitum commouet, atquè ad dolorem, iram, vel lætitiam impellit. Siue quia appetitus diuturnitate perturbationis occalluerit ad opinionis ictus recipiendos, siue quia ipsius perturbationis molestam societatem, ac longam fastidierit. Vndè appetitui dolẽti faciles adhiberi poterunt medicinæ. Quamobrêm autem, aut quâ de caussa leuior sit opinionis longinquitate temporis obfirmatæ in appetitum impulsio, cum de dolore peculiaris instituetur disputatio latiùs disseremus. Nunc ad alias Stoicorum definitiones progrediamur.

Nam tempore sedantur.
Opinio autem tẽpore augetur.
Quod probatur.
Ex Senec. in consil. ad Heluian.
Cur opinione durante perturbatio cesset.
Responsio.

SECTIO III.

ZENONIS DEFINITIO DVPLEX.

Gemina perturbationum definitio ex Zenone. Vtraque peccat quadrupliciter. Primum quia etiam remissa esse potest perturbatio. Probatur ex ipsis Stoicorum principijs. Constantia quid, quis constans ex Horatio, Cicerone, Seneca: Qui in perturbationibus diiudicandis inconstans. His adhiberi modus potest. Lactantij falsa de Peripateticis opinio. Secũdus error omnem perturbationem esse peccatum. Diui Augustini in eos argumen-

mentum, ex ſacris litteris. Perturbationes humanæ Naturæ naturales. Et fuerunt in Chriſto Domino. Diſcrimen inter has, & noſtras Sapiens etiam turbatur ex Horatio. Homero, Platone. Non omnis perturbatio contrà rationem. Pœnitere quid. Perturbationes currui ſimiles ex Lactantio. Allatus Maro, Philo, Auguſtinus. Alexandri Magni vituperatio. Laus Antiochi. Pœnitentia an laudanda. Huius vel virtutis, vel virtutis actus dolor laude dignus ex Theologorum ſchola: ex Cicerone Euripide. Hi tantiſper accuſati. Tertius, & Quartus Zenonis error quis.

CHriſippi, qui Stoicorum partes fulcire putatur, definitione reiecta, ad alias eorumdem Principis Zenonis progredimur. hæ igitur teſte Cicerone, duæ ſunt, prior vt *Perturbatio ſit auerſa á ratione, contrá naturam animi commotio*. Poſterior, ac breuior, *eſt appetitus vehementior*; atquè eum vehementiorem eſſe intelligit, qui procul abſit à naturæ conſtantia. *Zenonis definitio perturbationum prima. Definitio ſecunda eiuſdem.*

Sed hæ Zenonis definitiones duæ: quatuor, vt latinè loquar, peccare mihi videntur. Primum vt ab extremo incipiam, quiâ perturbationem eam ſolam putat, quæ ſit commotio vehementior: quaſi aut vehemens, aut remiſſa perturbatio non ſit. Atquî per eam animus commouetur, & quidpiam appetere incipit, quod à recta ratione deflectit; modò igitur appetat, ſiuè vehementius, ſiuè remiſſius, æquale à Stoicis peccatum reputabitur, quibus peccare eſt veluti lineam tranſilire; quod cum feceris, culpa commiſſa eſt, quamque longè progrediare, cum ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi culpam, nihil pertinet. Erit igitur quæcumque motio quantulumcumque remiſſa, perturbatio: modò ſit rationi contraria. *Vtraque peccat quadrupliciter. Prima quia requiritur vehementia. Nam etiã remiſſa eſſe perturbatio poteſt. Probatur ex ipſis Stoicorum principijs. Cic. in Paradox.*

Quod ſi hanc non vehementiorem animi commotionem, negaueris eſſe perturbationem, & rationi contrariam; Vide, mi Stoice, ne parum tibi conſtans eſſe videâre, nam quicquid conſtantiæ aduerſatur, perturbationem eſſe contendis; quæcumque autem motio animi voluntaria concutit, atque hanc tuam labefactat conſtantiam, eſt enim hæc, per vos, *rectum, & immotum animi robur, non elati non depreſſi*; igitur quæcumque huiuſmodi, perturbatio eſt. De veſtra officina depromptum illud conſtantis Viri Encomium. *Præcluditur Stoicis effugium ex definitione Conſtantiæ. Quid ſit Conſtantia. Quis conſtans.*

Iuſtum, & tenacem propoſiti Virum
Non ciuium ardor praua iubentium;
Non vultus inſtantis Tyranni
Mente quatit ſolida: nec Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ;
Nec fulminantis magna Iouis manus; *Ex Horat. lib. 3. od. 3.*

Si

Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Quis constans ex Cic. & Seneca.

Constantem enim virum volunt Stoici sedatum, grauem, humana omnia præmentem, magnanimum, & fortem virum; talis autem nec mærens, nec timens, nec cupiens, nec gestiens esse quisquam potest, quod si harum rerum quid in se persentiscat, constantia illicò contremiscit: igitur perturbationem passa est, neque enim verò necessè est vt huiusmodi perturbationum labefactantium fluctus omnes sint decumani, ac vehementes, & vt ità loquar internecini.

Cic. Tuscul. qq.
Amplificatur ratio nostra ex dicto Stoicorum contra Peripateticos.

De vestro supercilio Peripateticos reprehenditis, mollem, & eneruatam eorum rationem putantes, qui perturbari animos dicunt, modum adhibentes quemdam, quem vltrà progredi non oporteat: modum igitur, inquitis, adhibes vitio? an vitium nullum est, non parere rationi? hæc vestra Stoici reprehensio est.

Per Dilemma.

Sed videamus, quem perturbationi modum adhibeant Peripatetici, illum scilicet, quô resecata super excedente vehementia, moderatè quis irascatur, moderatè amet, cupiat, timeat. Quæro igitur à vobis, reliquias illas vehementiorum perturbationum quæ in animo superarunt, excessibus reiectis, extinctisque, in vitio nè ponitis? si vitium sint falsa est vestra definitio, quod eâ sola contrà rationem perturbatio est, quæ vehementior est. Si verò non sint, rectè adhiberi posse modum petrurbationibus asserunt Peripatetici, vt vitiosæ esse desinant. Quid? quod? Seneca vehementissimus Stoicæ disciplinæ suffultor in eâdem sententia minimè perstat, & perturbationes laudat in Nerone tanquam bonas? veluti clementiam, misericordiam, quas alibi damnat, quamquam alibi eas à numero perturbationum conetur educere. Quid autem erunt? nam cum per Stoicos Constantiæ non sint, cum tamen animi sint commotiones; certè in numero perturbationum reponi debent, nisi abuti nominibus, aut ea pro libito vsurpare velimus.

Senec. de clē. ca. 1. Id. lib. 2. c. 3. ca. 5. & 6.

Senec. nōn sibi cōstans in perturbationibus diiudicādis.

Reprehenditur Lactant. Inst. diu. l. 16. c. 16.

Scio de hâc perturbationum moderatione reprehendi etiam à Lactantio Peripateticos, quia videlicet, cum hi omnem perturbationem vitiosam esse velint, moderari tamen eam doceant: quasi vitium non semper vitium sit, siuè remissum, siuè vehemens. Sed Lactantium illud fefellit, quod exîstimarit apud Peripateticos perturbationem omnem in vitio existimari, quod falsum est. Habemus igitur perturbationes esse posse non vehementiores.

Secundus error Stoicorum .s. omnem perturbationem esse peccatū.

Nam perturbatio bona esse potest.

Secundum peccant asserentes omnem perturbationē peccatum esse: *Cum enim rectam rationem*, inquit Augustinus, *sequuntur istæ affectiones, quando vbi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos, seu vitiosas passiones audeat dicere? Quamobrem etiam ipse Dominus in forma serui agere vitam dignatus humanā super duritia cordis Iudæorum Ira contristatus sit,*

quod

quòd dixerit Gaudeo propter vos vt credatis: quod Lazarum suscitaturus etiã lacrimas fuderit; quod concupiuerit cum discipulis suis manducare Pascha: quòd propinquante passione tristis fuerit anima eius vsque ad mortem. Quas quidem affectiones antea post multas laudes in Paulo Apostolo commemorarat producens illum *cum gaudentibus gaudentem, flentem cum flentibus; foris habentem pugnas, intus timorem, cupientem dissolui, & esse cum Christo, desiderantem videre Romanos, Chorintios æmulantem, magnam mæstitiam, & continuum de Israelitis dolorem cordis habentem, luctum suum denunciantem de quibusdam peccatoribus.* Post quæ omnia concludit Augustinus. *Hi motus, hi affectus de Amore boni, & Sancta Charitate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus, vt ea, quæ vera vitia sunt, virtutes vocentur; Itá autem fieri necessè est ex humanæ conditionis infirmitate, imó dum viuimus non rectè viuimus, si ijs nullo modo agitemur. Itáque aliquando, quamuis non culpabili cupiditate, sed laudabili charitate moueamur, etiam dum nolumus, flemus. Vituperat etiam Apostolus quosdam quos dixit, esse sine affectione, quos etiam culpauit Sacer Psaltes sustinui, qui simul mecum contristaretur, & non fuit. Nam omninò non dolere, dum sumus in hoc miseriæ loco, sicuti quidam etiam apud seculi huius litteratos sensit, & dixit, non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore.* Quæ quidem non modò turbationum in nobis indicant vestigia, sed & ipsas vehementes ostendunt; quæ sanè si omnis perturbatio esset auersa à ratione, atque adeò, etiam peccatum: nequaquam in Christo Domino ne per vmbram quidem vel nomine tenus existerent. Mitto quod natura etiam humana sine peccato esse non posset, quod absurdissimum est dicere, redundat enim in ipsius conditoris iniuriam.

Ex August. l. 14. de Ciuit. Dei c. 9. Exemplo Christi Domini.

Et S. Pauli.

August. optima & acuta conclus.

Perturbationes humanæ naturæ naturales sunt.

Non igitur malæ omnes sunt.

Et fuerũt in Christo Dom.

Quòd à duobus Theologiæ Antesignanis ediscito, proprijssimè enim animæ passiones dicuntur, *appetitus sensitiui affectiones, quæ in Christo sicut & Cætera, quæ ad naturam hominis pertinent extiterunt.* Hæc D. Thomas, qui eodem loco discrimina quædam affert inter Christi Domini perturbationes, & nostras; quamuis Quidam piè potiùs, quam necessariò quæ in Christo fuerunt affectiones, eas pro passiones appellauerint, & Sanct. Augustin. *quando*, inquit, *turbatur, qui non turbatur nisi volens, eum consolatur, qui turbatur, & nolens, pereant argumenta Philosophorum, qui negant in sapientem cadere animorum perturbationes: in disciplina enim nostra, non tam quæritur vtrum pius animus irascatur, sed quarè irascitur, nec vtrum sit tristis, sed vndè sit tristis, nec vtrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti, vt corrigatur, contristari pro afflicto, vt liberetur, timere periclitanti, ne pereat, nescio vtrũ quisquam sana consideratione reprehendat.* Hinc per quam scitè quidam sapientem descripsit.

Sperat infestis, metuit secundis,
Alteram sortem bene præparatum
Pectus, &c. & alibi.

Probat. ex S. Th. 3. p. q. 15. art. 4. in corp.

Et ex S. August.

Sapiens etiã turbatur.

ex Horat. carminũ lib. 2. od. 10.

Idem Epist. l. 1. Epist. 2.

Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit & mens.

Ex Homero, & Platone.

Et Homerus à Platone laudatur qui virum prudentem irasci affirmauit, & alibi inter præcipua Perturbationum munera vim Irascendi commendat, vt dimicet prô ratione tuenda.

Iterum contra Stoicos probatur non omnem perturbationem esse malam.

Ex misericordia, & pœnitentia.

Gell. l. 17. c. 1.

Pœniter quid.

Sed ad Philosophiam vnde sumus digressi, redeamus. Igitur omnis animi perturbatio est per te contrà rationem? At est aliqua, quæ ad virtutem vel consequendam, vel exercendam adiuuet; cum quis scilicet misericordia in pauperes flectitur, de sceleribus admissis cum pœnitudine afficitur. Imò pœnitere quempiam etiam dicere solemus, ex optimo latinitatis Scriptore, cum quod ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, & nobis posteà incipiunt displicere, sententiamque in his nostram demutamus. Quod si misericordia, & pœnitentia bona quædam animi sunt, & tamen perturbationes sunt, certè non omnis perturbatio contrà rationem est.

Lactant. instit. diuin. l. 6. c. 17.

Currui similes sunt perturbationes.

Porrô istæ concitationes animorum currui similes sunt, in quo rectè moderando, summum Rectoris officium est, vt viam nouerit, quam si tenebit, quamlibet concitatè ierit, non offendet; si autem aberrauerit licet placidè, ac leniter eat: aut per confragosa vexabitur, aut per præcipitia labetur, aut certè quò non est opus, deferetur. Sic cursus ille vitæ, qui affectibus veluc equis pernicibus ducitur, si viam rectam teneat, fungetur officio. Ista similitudo ex Lactantio accepta est. Quæ optima quidem est, & adducta à Virgilio, qui cum perturbatos bellicis furoribus homines descripsisset, addit, ità eos se habere.

Virg. Georg. 1.

Vt cum carceribus sese effudere quadrigæ
Addunt se in spatia, & frustrà retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Philo Allegor. 2.

S. Aug.

Eamdem similitudinem affert Philo non ineleganter. Rectè igitur Augustinus: *Turbetur planè animus Christianus non miseria, sed misericordia, &c.* & infrà *illæ sunt certè quatuor, quas perturbationes vocat. Timor, Tristitia, Amor, & Lætitia, habeant eas iustis de caussis animi Christiani, nec Philosophorum Stoicorum, vel quorumcumque similium errori cõsentiant.* Hæc Augustinus: quem non vt Theologiæ Doctorem, sed vt moralis doctrinæ Philosophum laudatum commẽdatumque volumus in præsenti negotio.

Quintus Curt.

Exẽplum, Alex. pœnitentis.

Et ex hoc argum.

Quis non Alexandro Regi ad Ebrij scorti nutũ Persepolim Persarum Regiam pulcherrimam, & ditissimam in ebrietate succẽdenti, sceleri adscribat? Quis non illum vituperet, cum Clitum familiarem suum, fratremque collactaneum adolescentem formosissimum, fortissimumque, & seruatorem suum interemit? Magnum quidem scelus, grande nefas. Igitur non nisi laudabilis, & rationi consentanea, vt primum grauatam ebrietate mentem quies reddidit

dit de istoc patrato susceptoque facinore subsequuta Pœnitentia.

Scio vituperari à quibusdam hanc Alexandri pœnitentiam. Scio & illam etiam damnari, quam Rex Antiochus pœnitudinis significationem maximam ostendit eorum, quæ contrà Iudæos, & templum scelerum exercuerat, sed hæ horum pœnitudines, non idcircò damnatæ sunt quod malæ ex se essent, sed quia vitio pœnitentium eò ordinabantur, quod vituperabile erat, quæ si ad honestum directæ finem fuissent, non malè certè sed laudabiles extitissent. *Respōdetur obiectioni.* *Machab. l. 2. c. 9.*

Esse quidem pœnitentiam vel virtutem, vel actum virtutis latè Theologis probatum relinquimus, quæ tamen dolor est moderatus, vel dolorem includit, inducitque de peccatis commissis; qui etiam si inter perturbationes non numeraretur quia in rationali voluntate reperiatur; si tamen affectio hæc pœnitendi, quæ est in voluntate actus honestus esse potest; quarè illa, quæ in appetitu moratur sensitiuo cum corporali trāsmutatione necesse est vt mala sit? præsertim cum sæpè ex illa voluntatis pœnitudine sensibilis hæc pœnitentia subsequatur, & à bono non nisi bonum procedat; quamobrem *si liceret ijs*, inquit Cicero *sicut qui in itinere aberrauissent; sic vitam deuiam sequutos corrigere errorem pœnitendo fœlicior esset emendatio temeritatis:* In quo quidem vnum errat Orator, alterum collineat, illud est, vitæ præteritæ errores emendari non posse, eò enim pacto corrigi valent quò qui de via aberrauit, neque enim hic pœnitendo, aut in viam redeundo efficit, vt non aberrauerit in itinere, sed vt ad rectam viam rediens de errore tristetur. Quod, collineauit èst, quia pœnitentiæ agnouit honestatem, eamque fœliciorem emendationem appellauit. *D. Th. 3. p.* *Dolorem esse posse bonum, probatur ex Pœnitentiæ dolore.* *Confirmatur auctoritate Ciceronis qui taxatur.*

Nec absimile Ciceronis dicto est illud Euripidis. *Et Euripidis.*

Hei mihi quarè non licet hoc hominibus
Bis fieri Iuuenes, & rursus senes
Nam in ædibus quidem si quid non rectè se habeat
Posterioribus sententijs emendamus
Vitam verò non licet si autem essemus Iuuenes
Bis, & senes, si quis peccauisset
Duplicis vitæ compotes facti corrigeremus.

Neuter pœnitentiæ vim agnouit, sed tamen odoratus est.

Vim profectò virtutemque pœnitentiæ neuter agnouit honestatem tamen vterque odoratus esse videtur. Iam alibi etiam examinabimus num nè omnis perturbatio mala sit.

Tertium Zenonis erratum est, quod perturbationes esse commotiones dixerit contrà naturam qua de re cum in superioribus abundè dictum est, tum infrà etiam dicetur. Error quartus est perturbationum subiectum solam esse animæ partem superiorem quæ ratio dicitur, ac proindè in vno homine perturbationes reperiri, quod falsum esse plenius infrà probabimus. *Tertius error Zenonis de quo sup. est dictum.* *Quartus de quo infra dicetur,* *l. 3. pencl.*

SECTIO IV.

ALIÆ DEFINITIONES IN IVDICIVM ADDVCVNTVR.

Perturbatio quid Damasceno? Quid etiam Andronico, Boethio, Aspasio. Qui reijciuntur. Perturbationes non tantum in parte Sensitiuà, sed etiam in Rationali, scilicet in Voluntate. Ad veram perturbationē an motus corporeus requiratur? Quomodo voluntatis, & appetitus sensitiui affectiones corporeæ dici possint. An perturbationes ex mali, & boni imaginatione oriantur. Minimè. Ex dolore ne, an voluptate? Minimè. Stoicorum intemperantia reijcitur. Boethius contrà Piccolomineum defenditur.

Adi Piccolomineum grad. 1. c. 4.

SEd vt ad nostram quam amplectimur definitionem descendamus, aliæ sunt nobis prius examinandæ. Estque prima Damasceni. *Perturbatio est motio sensitiui appetitus ab obiecto, quod ob imaginationem bonum, & malum reputatur.* Aliam haud multum ab hac discrepantem affert Andronicus. *Est motio animæ rationis expertis, ex opinione boni, vel mali consurgens.* Boethius addit, vt sit hæc *alicuius magnitudinis*. Aspasius in Aristotelem addit, quod hæ sint *à voluptate, & dolore producti.* Similes etiam adducuntur non multum ab his discrepantes definitiones.

Damasceni. *Andronici.* *Boethij.* *Aspasij.*

Qui perturbationes in sola parte sensitiua ponunt. Quod falsum est: Nam in rationali parte suæ sunt perturbationes.

Qui quidem cum perturbationem omnem tantummodò in parte sensitiuà, eiusdemque partis motionem esse asserunt, perturbationem omnem minimè definiunt. Sunt enîm Rationali appetitui, suæ etiam affectiones; nisi velint eas solum perturbationes appellari ad quas spirituum commotio in corpore consequatur, quasi ea sit caussa, cur huiusmodi motiones perturbationis, & pressius passionis vocabulo nuncupentur. Quia, scilicet, corpus perturbant, aut ab illis corpus patiatur. Quod nos falsum existimamus. Motio enîm sensitiui appetitus perturbatio, & passio dicitur, etiam si spiritus corporei non mouerentur, & veluti permiscerentur; nam ipsa motio, seu affectio appetitum corporeum in quo est agitat, atque perturbat, adeoque appetitus ab eà patitur dum ipsam recipit, nondum secutà, aut consideratà corporis commotione, quamobrêm rectè propter hoc perturbatio, & pressius passio dicetur.

Probatur.

Quomodo motio voluntatis perturbet, & moueat.

Eodem etiam modo suas Volūtas habet affectiones, quas si propriè vel per analogiam ad corporea, passiones, perturbationesue velis appellare, nihil officiet. Eà enîm voluntatis affectio Phantasiam,

ſiam, & appetitum ſenſitiuum, quæ corporeæ potentiæ ſunt, mouet, agitat, atque perturbat. Quarè non ſolum, quia ſubiectum ſuum ſpirituale in quo eſt commouet, ſed etiam quia appetitum ſibi ſubiectum permiſcet, perturbatio iurè dici poſſe videtur; nequè enim ad veram, & propriè acceptam perturbationem requiritur, vt vel ſit motus propriè corporeus de loco ad locũ, qualis eſt commotio ſanguinis, vel ſpirituum in corde per ſyſtolem, & diaſtolem; vel vt omninò, & proximè talem in corpore motum efficiat. Et ſicut Ariſtoteles dicit perindè corporeum eſſe intelligere, ac iraſci, & vtrumque animi affectionem in corpore eſſe quamuis diuerſo modo.Ità voluntatis, & appetitus ſenſitiui affectiones vtraſque perturbationes corporeas poſſumus nuncupare diuersà tamen ratione. Sed vocabulis iuxtà antiquitatis ſenſum acceptis, ad alia earumdem definitionum incommoda progrediamur. Oriri perturbationes aſſerunt ex boni, maliue imaginatione. Quod hi dum dicunt, perturbationum proximà ratione prætermiſsà, quæ eſt iucundi, & moleſti, remotiorem apponunt boni, & mali, quod proximè non conſiderat imaginatio, ſed intellectus. Quod ſi boni, aut mali imaginatione rationalem velint facultatem intelligi, in maiores certè ſalebras incident; nam intellectus boni, maliue rationes non niſi voluntati proponit, neutiquam Phantaſiæ, niſi poſt multa. Si ergò perturbationis excitatio, intellectus motionem expectat, certè antè intellectus operationem nulla exiſtet perturbatio. Quod falſum eſſe demonſtratum eſt, tum quia in ipſo homine perturbationes videmus nonnullas, intellectus operationem præuenientes, tum etiam, quia nullæ in animantibus perturbationum ſpecies reperirentur, quia nullus in his intellectus. Præterea id ab ipſis minimè aſſeri poteſt, quod manifeſtè dicant perturbationem omnem in ſenſitiuà parte contineri.

Ad veram perturbationem non requiritur motus corporeus.

Ariſt.l.1.de An. cap.1.

Voluntatis perturbationes quomodo ſint perturbationes corporeæ.

Item aiunt oriri ex imaginatione boni, & mali.

Reprehenduntur primo.

Iterũ reijciũtur.

Tertio.

Sed eorum magis iudicium deſidero qui perturbationes oriri docent ex dolore, aut voluptate, quaſi hæ perturbationes etiam non ſint. Sed eſto tales non ſint, nec dum verum eſt, ex his perturbationem omnem oriri, vt alibi oſtendam.

Itẽ aiũt perturbationes oriri ex dolore, aut voluptate.

Quid falſum.

Vt alibi etiam oſtendetur.

Et quod ad Stoicos quidem ſpectat, qui perturbationes, aiunt, ex intemperantià ſuam accipere originem; certè neſcio an, quid hæc intemperantia ſit, queant cum veritate explicare. Si enim, per eos, temperantia illa eſt, quæ ex omnium expulſione perturbationum, & vacuitate conſurgit, profectò intemperantia omnium erit ipſarum perturbationum ſocietas, atque coniunctio. Si ergò ex intemperantià perturbationes oriuntur ex ſe ipſis naſcentur; ità vel in infinitum abeundum erit, vel vna perturbatio ex perturbatione non naſcitur. Sic ex dolore, aut voluptate nec dolor, aut voluptas exurget, niſi de perturbationibus dicetur, quod de niue.

Stoici aiunt ex intemperantia perturbationes naſci.

Quæ hæc intemperantia.

Cõfutãtur acriter

Mater

Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.

Boethius in perturbatione magnitudinem requirit.
Cõfutatur à Piccolomineo.
Sed malè.

Sed Boethij in perturbatione magnitudinẽ requirentis rationem audiamus;& quidem frustrà eam reijcit Piccolomineus ex eo quod maius, aut minus; nimium, aut exiguum, rei non immutet essentiam. Etenim vt hoc verum sit in Physicis, in moralibus tamen immutant; in quibus excessus, defectusque contraria constituunt vitia, sicut mediocritas quæ Horatio aurea, Aristoteli virtus est. Extremitates igitur plumbeæ, aut saxeæ erunt, adeòque in vitijs numerandæ. Sed enimuerò Vir, & eruditione, & virtute sublimis, qua erat mentis constantia, ac firmitudine grauis, quod ipsius de consolatione Philosophiæ liber testatur, eodem fortitudinis robore, in cœteris hominibus rationem esse à naturà præditam existimauit, qua Leonem ferunt, qui vt prouerbiò fertur larua terreri nescit. Scilicet ad hoc terrificũ animal exterrendum labefactandumque nón vmbratili, aut simulata telorum armorumque specie, non variæ formidine pennæ opus est, quali in ceruorum venatione vti mos est venatoribus. Hærent hi, & consistunt stupore, ac formidine acti ad aspectum lineæ plumæque pendentis. Quid his simile habet mens humana, Boethius inquiet, qui Leoninum quid à naturà præsefert impauidum, interritum, imò etiam Leone quidpiam maius, hic enim & sonitu strepentium inaniumque curruum, & galli gallinacei cantu, aut facula per sudum aera ventilata, repentino timore concutitur, aut fugam capesset. At verò mens hominis quadrata est, nón facilè absterretur, aut loco dimouetur non vtre territatur, neq; laruarum inanibus terriculamentis occupatur. Sed magnus hic Vir suo cœteros palmo mensus est. Me miserum? Improbi plerique homines sumus, & *tamquam puluis aut palea*, vt habent hebræa *quem proijcit ventus à facie terræ.*

Boethius cũ Stoicis sentit.

Ita est quoquumque venti impetu, quoquumque flatu, aura quauis iactamur, vltrò citròque, & susque deque ferimur, neque vno consistere loco nouimus, aut possumus, vbi vel leuis perturbationis spiritus mentem attigit. Norunt qui amant, cupiunt, tristantur, irascuntur. Præclare Phedriæ adolescenti, qui se constantem fore contrà meretriculæ blanditia, aut promiserat, aut iactarat, respondet Parmeno.

Terent. in Eunuc. act. 1. scena 1.

Et quod nunc tute tecum iratus cogitas:
Ego ne illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modo,
Mori me malim: sentiat qui vir siem,
Hæc verba me hercle vna falsâ lacrumula,
Quam oculos terendo miserè vix vi expresserit
Restinguet: & te vltrò accusabit, & dabis ei
Vltro suplicium.

Præclarè inquam. Phædria enim Mentis instar est quam muri instar obsidionem omnem atque impetum cuiusuis irruentis per-

tur-

turbationis facilè se laturam putat; de qua omnia bona, ac fortia sperat Boethius, sed muris opus est ferreis, aut æneis, non terreis, vt est in Adagijs ad fortiter agendum. Terrea est humanæ mentis fortitudo, & ad imbecillæ cuiusuis perturbatiunculæ, aut blandientis Amoris lacrimulas emollescit facilè, aut ad minitantes Iracundiæ increpatiunculas fatiscit, aut ad leues Tristitiæ impulsus labascit, aut ad primos Desiderij igniculos colliquescit. Vno mens cupidineij teli ictu per oculum, vel leuiter attacta succubuit, Et vt vidit perijt. Et magnitudinem in perturbatione exposcit Boethius. Sed quamquam cum Stoicis sentire videtur, qui vehementiam in perturbatione desiderant; vterique tamen aberrant à veritate; Sic enim ratiocinamur. Perturbatio est motus, quę ità appetitum commouet, atque perturbat, vt per eam in aliud obiectum nobiliùs, aut ignobiliùs, transferatur eò, in quo antea versabatur: Quæcumque autem motio appetitus noua, in nouum obiectum est transferre sufficiens; siuè magna sit, siuè parua, Quæcumque igitur motio siuè magna, siue parua, erit passio, ac perturbatio. Addo; cum motione aliqua etiam languida, sed illicita titillatur appetitus, posse Volũtatem assentiendo peccare; Quid ergo obstat, quo minus fateamur illam fuisse perturbationem, quæ fuerit satis ad peccatum inferendum? lege quæ contra Stoicos sectione proxima diximus.

Sed male, & illi.

Quod probatur primo.

Probatur secũdo

SECTIO V.

PERTVRBATIONIS DEFINITIO ASSIGNATVR.

Piccolominei definitio reiecta quod prolixior. Nostra explicatur. Perturbationes quomodo passiones. Maro productus. Spirituum commotio ad perturbationem quomodò requiritur. Denominatio rerum quandoque ab accidentibus. Spiritus etiam à Voluntate excitari. An omnis vtriusque appetitus motio sit Perturbatio. Non magnitudine, aut paruitate rem constitui, sed entitate. Passio propriè dicta ex D. Thoma. An Tristitia magis propriè passio sit quam lætitia. Caietanus pluries reiectus. Aristotelis iudicium ad perturbationes dignoscendas. Iudicium Auctoris. An affectiones ex acquisita iam virtute prodeuntes perturbationes dicendæ sint. An tantum eæ quæ à Vitij habitu.

CEnsent quidam hoc pacto posse ex Aristotele perturbationem definiri est Motio appetentis sensuum facultatis, nec non

Piccolominei definitio.

non ſpirituum cordis ab obiecto, quod per vim imaginandi, vel iucundum nobis, vel moleſtum apparet; pro moleſtia vitanda, fruendaque voluptate. Prolixa ſanè, & niſi fallor, non omninò perfecta, neque vniuerſalis definitio. Videtur autem nobis hoc pacto concinnanda. Eſt motio Appetentis facultatis ab obiecto proprio cum commotione organorum, & ſpirituum in Corpore. Atqui nomine appetentis facultatis nō Senſitiuam ſolum, vt prior definitio habebat, ſed Rationalem etiam accipimus, in qua, & perturbationes eſſe ſupra probauimus, nec Ariſtoteles negauit. Obiectum proprium Senſus quidem eſt iucundum, aut moleſtum; Voluntatis verò bonum, & malum; ad quod duplici vtraque poteſtas operatione fertur; proſecutionis, & fugæ. Dixi ab obiecto, vt innuerem has motiones, quamquam veræ ſint actiones, aut operationes elicitæ à facultatibus, & non impreſſæ ab extrinſeco aliquo, nomen tamen paſſionis ſortiri ab Obiecto, velut ipſas in facultatem imprimente; cuius quidem rei cauſſa eſt quia hæ duæ facultates feruntur, & quodammodò trahuntur à ſuis obiectis. *Trahit enim ſua quemque voluptas*. Voluptas enim hoc loco illam rem notat quæ amatur, quæque amata voluptatem in appetitu progenerat, iuxta id Plauti, & Terentij, *meum mel mea voluptas*, & vide quomodo explicet exemplis appetitum trahi ab obiectis idem Poeta.

Prolixa. & minime perfecta, neq; vniuerſalis.

Noſtra definitio.

Explicatur.

Per ſingulas partes.

Virg. Eclog. 2. *Explicatur.*

Torua Leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,
Florentem cytheſum ſequitur laſciua capella.

Virg. Eclog. 2.

Quod tamen in potentijs Imaginatiuis, & Cognoſcitiuis nequaquám contingit, quæ potius ipſæ ad ſe obiecta ſua trahere, atque apprehendere dicuntur, vnde & apprehenſiuæ appellatæ ſunt.

Qua ratione requiritur ſpirituū commotio ad perturbationem.

Addidimus cum Commotione organorum, non quod ſi ſpiritus corporei non commoueantur, motio illa appetituum perturbatio re verà non ſit: ſed quià ad perfectam perturbationis denominationem, iuxtà communem loquendi vſum hæc etiam commotio requiritur, ac propterea commotionem ſpirituum in definitione in obliquo poſuimus, non in recto, vt Piccolomineus; neque enim ſpirituum motus perturbatio eſt, aut perturbationis pars: ſed effectus, aut conditio, aut ſi etiam pars, ad integritatem quidem ſolùm, neceſſaria, non ad eſſentiam perturbationis conſtituendam; ſeu ad denominandum non ad conſtituendum requiſita, pleraque enim ſuam deſumunt denominationem, non ex eo quod eſt naturæ eorum intrinſecum, ſed ex accidentibus, aut euentibus vt denominatio lapidis à pede lædendo.

Dominatio rerū quandoque ab accidentibus.

Non ſola pars ſenſitiua. ſed voluntas etiam ſpiritus excitat.

Neque verò ſola ſenſitiui appetitus motio organorum, & ſpirituum excitat motionem, ſed ipſa etiam voluntas, quandò aliquid ardenter appetit, ſpiritus eoſdem permouet, quamuis medio adiumento Intellectus, & Imaginationis: ſed hoc tantum abeſt, vt im-

impediat, quominus in Voluntate ſit Perturbatio, vt adiuuet potius: tanta enim eſt illius voluntariæ affectionis vis, vt omnes ſibi ſubiectas commoueat facultates.

An omnis vtriuſque appetitus motio ſit perturbatio

Sed grauis adhùc in hâc re dubitatio, niſi fallor, occurrit, an ſcilicet omnis appetitus motio, Perturbatio dicatur, neque de Rationali ſolùm appetitu ſermo eſt; an ſcilicet, omnis operatio ipſius omniſque adeò Amor, aut Odium, &c. Perturbatio ſit, ſed & de Senſitiuo, an ſcilicet, motio illa vna quæ ſecundum exceſſum ſit vehementior, vel ſecundum defectum remiſſior, an verò etiam quæ eſt moderata, mediocris, atque honeſta, Perturbatio, & Paſſio dicatur; & in vniuerſum an omnis vtriuſque Appetitus operatio ſiuè recta, ſiuè praua dicenda ſit Perturbatio.

Quà in re illud eſt principiò ſciendum, omnem motionem in facultatibus immanentem, & Actionis inſtar habere, & ſimul Paſſionis, Actio enim vocatur quatenus à facultate progreditur: Paſſio quatenus in eadem exiſtit, à quà progreditur. At huiuſmodi Paſſionis ratio latiſſima eſt, neque in hoc ſenſu Phyſico, aut potius Metaphyſico Paſſionis nomen vſurpamus: ſed aliud quidpiá ſub hâc voce deſideramus, quod ad mores humanos pertineat. Deindè, quod ad hanc quæſtionem ſoluendam ſpectat, nihil referre dicimus intenſionem, aut remiſſionem, aut etiam actionum moderationem: huiuſmodi enim omnes actiones, Perturbationis, aut Paſſionis nomine includit Ariſtoteles: & ratio à nobis dicta eſt, quia ad rei cuiuſque eſſentiam conſtituendam non magnitudo, aut paruitas, ſed entitas ſpectatur.

Quæſtioni reſpõdet S. Thomas.

Sanctus Thomas docuit, Paſſionem propriè dictam, tunc eſſe, quando aliquid recipitur cum alterius abiectione; quod dupliciter fieri contingit, vt ſcilicet abijciatur id quod eſt ſubiecto conueniens, & recipiatur id quod minimè congruit; vel contrà. Eſtque proprijſſimus Paſſionis modus quandò ſcilicet recipitur id quod deterius eſt, abiecto nobiliore. Vndè Triſtitia magis propriè paſſio eſt, quam Lætitia.

Reſponſioni obſiſtitur.

Verùm hoc quod ab abſolutiſſimo Doctore dictum eſt, difficultatem non explicat: nam ſi mutatio non in deterius quidem fiat; veluti ſi Appetitus Senſitiuus qui circà vnum eſt lætatus obiectum, incipiat circà aliud lætari, nec opinatò acquiſitum, vel etiam circà obiectum iucundiſſimum, non verò deterius: quæro an hæ motiones perturbationes erunt? videntur enim nòn in deterius mutationes eſſe, ſed in bonum aut optimum, & tamen huiuſmodi omnia perturbationes eſſe concedimus omnes.

Caietani explicatio, & reſponſio.

Caietanus in hunc D. Thomæ locum; *conſiderandus*, inquit, *eſt in hâc re motus ſpirituũ, aut cordis. Itá paſſio dicenda eſt quæcumq; illa, in quá motus cordis à ſuo naturali ſtatu recedit; magis verò propriè paſſio dicetur illa,*

in qua cordis motio est magis præter eius naturã. Cũ enim hæc motio tũc sit naturalis, quandò cor vitaliter ad totũ corpus extenditur; præter naturam autẽ cũ contrahitur, vt accidit in Fuga Tristitia, &c. hinc est vt huiusmodi magis propriè sint passiones quam contrariæ. Hæc Caietanus.

Reijcitur primo. Sed huic doctrinæ opponi potest, quod cum Animæ seu Voluntati suæ insint Perturbationes, vt ex dictis patet, atque has non necessè sit cum spirituum commotione existere; superest Caietano explicandum quomodò hæ sint perturbationes. *Secundo.* Præterea cum Perturbationis essentia in solà Appetitus motione consistat, ad quam veluti effectus, motio cordis consequatur. Ex illà nè potius an ex hàc, an sanè ex vtrâq; perturbationis natura atque motio desumenda est? *Tertio.* Item quæro, an contrà, vel præter hominis naturam sit quodcumque Desiderium, aut quicumque Amor, nullusque sit secundum animantis naturam? (nec loquor de perturbationibus Irascibilis, esto enim in illis cor præter suam contrahatur naturam) nequaquam, vt experientia adstipulatur: Igitur si aliquod alicuius obiecti Desiderium naturale est, quemadmodùm sanè est, certè motus cordis in eo casu naturalis erit: hoc ergo Desiderium perturbatio ne erit, an non? sanè erit: quod tamen negare Caietanus habet. Adde moderatas etiam motiones in Perturbationum numero ab Aristotele censeri, in quibus tamen spiritus non nisi moderatè cientur: igitur Caietani dictis minimè adhærendum censeo.

Aristotelis indicium ad perturbationes cognoscendas. *Agitatur primo.* Aristoteles aliud nobis internoscendæ Perturbationis indicium tradit. Ait enim eas appetitus motiones perturbationes esse; ad quas Dolor, aut Voluptas consequitur. Id plerique etiam asserunt. Sed si ad omnem appetitus motum, alterum ex his consequitur; Erit ergô omnis appetitus motio Perturbatio: quod non videtur dicendum. *Secundo.* Prætereà Dolor ipse, & Voluptas inter perturbationes numerantur, quod ergo dabitur indicium eas esse, aut non esse tales, quandoquidem neque ad Dolorem dolor, neque ad Voluptatem voluptas consequitur.

Auctoris indiciũ. Quarè existimo illas etiam appetitus motiones, passionis esse nomine donandas, quæ ad inserendas virtutes spectant, etiam si in Animo nobiliorem affectum ponant, & in vniuersum eam omnem dici Perturbationem, ex quâ Virtus, aut Vitium per se oriri, seu cuius extremitates in homine vitium; mediocritas vero virtutem parere frequentatione possint.

Sed interrogabit quispiam affectiones motionesue ex acquisità, iam virtute prodeuntes sunt ne etiam perturbationes? *Instantia.* videntur enim esse: nam similis, & æqualis gradus perfectionisque esse possunt cum ijs, quas antè comparatam virtutem elicuimus, quibusque perturbationis nomen dandum esse affirmauimus. *Responsio.* Diuersa tamen omninò est vtriusque motionis

ra-

ratio. Posterior enim quæ ab habitu est, cum facilitate, suauitate, & delectatione, & iuxtà naturæ consensionem progreditur; neque quidquam addit, aut abijcit, quæ conditiones perturbationi non congruunt. Contrà verò illa quæ habitum antecedit.

Instabis igitur, motio, & affectus, qui ex Vitij habitu exoriuntur, nequaquam erunt perturbationes dicendi, nam facillimè & cum delectatione conficiuntur. Erras. Quid enim perturbatius ijs actionibus esse potest, quæ ex perturbatissimo principio, hoc est vitio prodeunt, contrà naturæ rectam cum ratione consensionem?

Instãtia altera.

Reiectio.

SECTIO VI.

PERTVRBATIONVM PARTITIO FACTA, AN RECTA.

Passiones ex obiecto arduo in Irascibili. Ex non arduo, seu absolutè considerato in Concupiscibili. Arduum, & non arduum an obiecti distinctionem constituant. Luculenter disquiritur. Auctoris sententia aperitur, ac defenditur.

Ad internoscendas cum Concupiscibilis, tum Irascibilis appetitus Perturbationes, cum S. Thomà, & Antiquioribus ex obiecto suprà indagauimus; vel enim bonum, aut malum, iucundum, molestumue secundùm se, & absolutè consideratur; & sic perturbationes quæ circà illud versantur ad Concupiscibilem: vel vt arduum, ac difficile, siue excellens, aut excedens potentiæ facultatem; atque adeò acquisitu, aut vitatu arduum; & sic ad Irascentis animæ perturbationes spectare diximus. At quoniam nil gratis nobis dari à lectoribus volumus; si quandò contrà alicuius sententiam quidpiam determinauerimus, in omnibus rationi locus præbendus, ea sit veritatis indagatrix. Ideò quæ à nobis asserta, & nec dùm probata vel paucissimis dicta delibauimus, sunt iterùm examini subijcienda, atque accuratius comprobanda.

Partitio passionũ ex obiecto breuiter repetitur.

Ex obiecto nõ arduo, seu absolutè considerato oriri passiones in concupiscibili.

Ex arduo, in irascibili.

Primum ergò censet Piccolomineus arduum, & non arduum non constituere distinctionem obiecti, à quo facultatum distinctiones desumantur: quia non sunt aliquid optabile, nec includunt rationem boni, aut iucundi: Tum exemplo id probat, sicut enim intelligere siue arduum, siue facile, ad eamdem intelligendi facultatem pertinet; ità visibile, imaginabile, &c. aliorum sensuum obiecta. Prætereà Galeni, Aristotelis, & Platonis affert testi-

Contra hoc Piccolomineus insurgit.
Primo.
Secundo.

Tertio.

K 2 mo-

monia, quod amor Victoriæ, Gloriæ ad Iraſcibilem pertineat, non ad Concupiſcibilem.

Reſponſio quorundam.

Huic argumento, quod antiquius eſt Piccolomineo, reſpondent quidam, non ità eſſe rem intelligendam, quaſi ipſa difficultas ſiue arduitas obtinendi boni terminet obiectiuè appetitus proſequutionem; ſed quià appetitus aliquandò proſequtione ſuà ità bonum expetit, vt per eum reddatur animal expeditum, atque habile ad vincendas, ſi quæ in proſecutione boni occurrant, difficultates.

Partim placet, partim diſplicet. Ratio.

Prior huius reſponſionis pars placet; nequaquam verò poſterior. Nam certè Amor, Odium, & maximè Cupiditas ad Iraſcibilem ſpectare poterunt; tales enim eſſe poſſunt, vt ſint habiles ad omnem difficultatem ſi qua ſe offerat, ſuperandam. Quamobrem in Iraſcibili ſunt etiam ponendæ, quod tamèn neque hi, neque Sanctus Thomas concedent.

Aliorum reſponſio altera. Arnaudi.

Alij ſic Arduitatem exponunt; aientes omnes illas perturbationes, quæ in bonum, aut malum quaſi ſecundo flumine; & abſolutè feruntur, vt Amorem, Deſiderium, Odium cæteraſque affectiones rectè primo ordini, qui appetitui Concupiſcibili tribuitur adſcriptas, à communiori eſſe ſententia. Eas autem quæ in obiectum feruntur arduum; in cuius ſcilicet captatione, vel fugà appetitus Erectio, vel concitatio exigitnr, cuiuſmodi ſunt manifeſtè Ira, Spes, Audacia, quibus Deſperatio, & Timor opponuntur, rectè ad appetum Iraſcibilem eſſe relatas. Siue ardua ſit aſſecutio, vel fuga ſiue non ſit; namque erectionis connotationem non malè arduitatis nomine eſſe ſignificatam.

Quæ etiam ex parte placet, ex parte diſplicet.

Rectè hi etiam in priori parte, malè in poſteriore: primum quià arduitatem quæ eſt in obiecto perturbationis transferunt in erectionem quæ eſt in appetitus facultate, Secundò Erectio debet in ſuo obiecto aliquid præſupponere, vt Perturbatio quæ elicitur, cum erectione, ſeu excitatione eliciatur ab Iraſcibili appetitu; Diſtinctio ergò perturbationum non penes erectionem: ſed penes id quod in obiecto ſupponitur, tanquam erectionis cauſſà, penſanda eſt. Ex obiectis enìm facultates diſtinguuntur. Præterea ſi Erectio eſſe in perturbatione poteſt, non exiſtente difficultate, vel arduitate vlla in obiecti fugà, aut proſecutione; quarè non in Concupiſcibilis perturbationibus huiuſmodi erectio, aut excitatio eſſe non poteſt? Aut cur in operationibus Iraſcibilis ſemper inuenitur? Demùm quæ Excitatio eſſe queat in Deſperatione, aut Timore niſi qualis illa, cum

Virg. Aen. 8.

Pedibus timor addidit alas

Vel etiam illa Drancis:

Aeneid 11.

An tibi Mauors
Ventoſa in linguà pedibuſque fugacibus iſtis

Sem-

Semper erit?

Celeritas, ſcilicet, fugiendi quæ non ab erectione, ſed à demiſſione animi exoritur.

Reſpondent ergo alij Arduitatem ſiuè difficultatem, quæ eſt in obiecto ſpectare intimè ad obiectum Iraſcibilis facultatis tãquam illius rationem formalem: nam cum Appetitus actiones, & motus in acquiſitionem realem, vel in veram fugam tendant obiecti; uerè procliuitas, vel arduitas in eodem obiecto conſideratur. Non autem in alijs cognoſcitiuis, ſenſitiuiſq; potentijs, quæ in obiecta non tendunt, niſi ſecundum quod in ſeipſis eſt ſecundum intentionem. Sed huic obſtat, quod ratio formalis Spei, & Perturbationum proſequentium bonum iucundumue, quamquam ſint in Iraſcibili, debet boni rationem habere, quia allicere, ac mouere debet potentiam ad ſe proſequendum, ac proptereà bonum à Philoſophis motiuum potentiæ dicitur. At verò arduitas mali potius, quam boni habet rationem, vt manifeſtè patet: quarè Sanctus Thomas arduum dixit non eſſe rationem accedendi, vel appetendi, ſed bonum ipſum eſſe quod appetitur. *Tertia aliorum reſponſio.* *Examinatur.*

Quà quidem ratione moti nonnulli dixerunt, arduitatem in obiecto non eſſe niſi conditionem, aut circumſtantiam, ſinè qua non extat potentiæ Iraſcentis obiectum. *Quarta quorũdã reſponſio.*

Sed contrà hos etiam eſt, quià cum perturbationes Concupiſcibilis à perturbationibus Iraſcibilis eſſentialiter, & ſpecie differant, proptereà rationes obiectorum eſſentiales differre debent. Atquî differunt propter arduitatem, Arduitas ergò rationem formalem ingreditur; & plus aliquid eſt, quam conditio in obiecto. Quod eò magis patebit ſi finem, quarè animalibus huiuſmodi à naturà tributi ſunt ſenſitiui appetitus inſpectemus. Quod Sanctus Thomas aliquibus in locis etiam docuit. *Neceſsè*, inquit, *eſt vt in parte ſenſitiuà duæ ſint appetitiuæ potentiæ: vna per quam anima ſimpliciter inclinatur ad proſequendum ea, quæ ſecundum ſenſum ſunt conuenientia, & ad refugiendum nociua, & hæc dicitur Concupiſcibilis. Alia verò per quam animal reſiſtit impugnantibus, quæ conuenientia impugnant, & nocumenta inferunt, & hæc vis vocatur Iraſcibilis. Vndè dicitur, quod eius obiectum eſt arduum quià ſcilicet, ad hoc tendit vt vincat, ſuperetque contraria, eiſque ſuperemineat.* Hæc in primà parte Sanctus Thomas. Addit autem in prima ſecundæ *vis Iraſcibilis animalibus data eſt, vt tollantur impedimenta, quibus Concupiſcibilis in ſuum obiectum tendere prohibetur*. An non ex his Magiſtri verbis clarè diſcimus, Arduitatem in bono ad rationem intrinſecam ſpectare obiecti, atque in eius conſtitutionem venire? Ita ſanè. *Reijcitur etiam illa.* *D.Th.1.p.qu.81. ar.2.in corpore.* *1.2.q.23.ar.1.ad primum.*

Igitur quibuſdam placuit arduitatem conditionis eſſentialis nomine appellare, vt ad mentem S. Thomæ, & ad veritatem attingendam accedere propius viderentur. Sed hi in duabus his voci- *Quinta reſponſio.*

bus

Infirmatur. Primo. bus pugnantia asserunt.

Essentiale enim rei cuipiam, conditio eiusdem esse non potest: quod si conditionem esse fateâre, frustrà ad essentiam pertinere contendas. *Secundo.* Iam S. Thomas ipse nunquam, nisi malè memini Arduitatem in conditionis sortem abiecit. Sed ad obiecti nobilitatem euexit, & ipsum bonum, vel malum secundum, quod ardui, vel difficilis habet rationem, est, inquit, obiectum Irascibilis.

Nostra responsio. Quamobrèm quæstioni existimo respődendum, obiectum Concupiscibilis cum materiale, tum formale, esse bonum, aut malum, conueniens, aut non conueniens, iucundum, aut noxium appetitui, sed ad hoc idem respectu facultatis Irascibilis super addi rationem formalem, sub quà, ea facultas in obiectum illud feratur. Conueniunt ergò facultas Concupiscibilis, & Irascibilis, in ratione cum materiali, quod est bonum, aut malum, tum etiam formali, quæ est iucundum, aut molestum: discrepant autem in ratione formali, sub quà; Concupiscibilis enim obiectum illud suum, sub facilis, & procliuis ratione respicit, aut saltem sub ratione non habentis difficultatem; Irascibilis autem sub ratione ardui, atque difficilis.

Impugnatur à quodam. Sed hanc de Arduo sententiam sic quidam impugnat; Bonum omne delectabile sensui, siue grande, siue exiguum sit, amari valet à Concupiscibili; si autem Irascibilis bona delectabilia, quæ ardua sunt potest appetere, multò facilius etiam, quæ ardua non sunt; atquè adeò vnica erit potentia, quæ in delectabile bonum siue arduum, siue facile feratur. Tùm idem Auctor suam sic astruit. Vtraque potentia versatur circà bonum Sensibile; at Concupiscibilis illud tantùm respicit, vt in se appetibile est, atquè adeò in ordine ad consequutionem; Irascibilis autem respicit vt defensabile, hinc fit vt Irascibilis immediatè circà media versetur, quibus tale est bonum defendendum. Atque ità exponenda opinio de arduo. Et Sanctus Thomas intelligendus. Hæc ille.

Nùm verò hic Auctor in granditate, aut delectabilitatis exiguitate sitam arduitatem existimat? *Defenditur.* fallitur sanè nam arduitas sæpè vincitur, aut ab obiecto depellitur, & tamen eadem remanet delectabilitatis granditas immutata, vel exiguitas in obiecto.

Primum contra instando primo. Secundo. Sed quis negat obiectum etiam Arduum per Appetitum posse amari Concupiscibilem, imò, per aliam nullam facultatem amari vnquâm potest, neque enim obiectum quod arduum est, delectabile non est, atque adeò concupiscibile, Facultas item irascibilis fertur in ardua, neque in alia quæ talia non sint, ferri potest, arduitas enim est ratio sub qua, vt sæpè apud D. Thom. vidimus, Irascibilis operatur, quà deficiente, hæc ab operatione cessat.

Tertio. Quod autem hic Auctor Irascibilis obiectum, bonum esse velit defensabile; vereor nùm hàc voce, Irascibilis operationes omnes

am-

amplectatur. Desperatio enim quæ vna est ex his perturbationibus, in obiecto quidem defensationem non habet, habet autem arduitatem: nam obiectum esse defensabile semper includit posse illud acquiri, & vt ità dicam defendi ab impedimentis: at arduum esse potest, tàm id quod propter difficultates acquiri queat, quam qod propter easdem nequeat.

Illud etiam in præsentià est discutiendum, quod & à plerisque dicitur, Irascibilis perturbationes circà media solùm versari, non verò circà ipsum bonum adipiscendum, malumue fugiendum: quod quidem falsum esse asserimus. Nam desperatio non est de solis medijs, aut præcipuè; sed de bono seu fine, propter impedimenta insuperabilia, quæ in medio posita sunt. Spes etiam non versatur directè circà media, sed circà finem sub impedimentis superabilibus positum, & ratio manifesta est, nam obiectum formale illud est, quod per has perturbationes intenditur, at obiectum Irascibilis est solum bonum sensibile iucundum quod habet rationem finis vt dictum est. Per hæc à nobis contra obijcientem aduersarium relata; sunt etiam eius contra nos obiecta argumenta retusa.

SECTIO VII.

PICCOLOMINEI DISTINCTIO PERTVRBATIONVM REIICITVR.

Opinio Piccolominei proponitur, & refellitur. Iram in appetitu concupiscibili non rectè collocari. Instantia in Piccolomineum. Tibullus, Horatius, Maro, & Seneca illustrati.

SIc auctor hic disserit: Eorum quæ bona videntur, non nulla ad Corpus pertinent, eiusque illecebras: atque hæc appetitui respondent Concupiscibili: alia verò ad Animum magis, veluti Honor, Gloria, Victoria, & similia. Et hæc ad Irascentem pertinent appetitum, cum enim hæc bona distinguantur, & frequenter inter se pugnent, non eidem facultati appetenti; sed distinctæ respondere debent. Erit igitur obiectum facultatis Cupientis id, quod videtur bonum, aut malum ad corporis illecebras, & præsertim ad gustatum, & tactum pertinens, vel ad eorum instrumenta vt diuitias, & similia. *Proponitur opinio Piccolominei.*

Obiectum verò facultatis Irascendi, bonum apparens, vel malum, quod ad Honorem, ad Custodiam, Gloriam, Victoriam, Iniuriæ propulsationem, ad Beneficiorum compensationem, & ad similia pertineat: Hæc ille, & in hanc suam sententiam Platonem

nem aduocat, multaque deducit, ac colligit, quæ ſigillatim ſunt nobis diſcutienda.

Reijcitur. Quia primo nouas inducit perturbationes, & geminatas.

Primum ergò nouas auctor hic parit Perturbationes, quas nemo hactenus excogitauit. Nam præter quã quod duas in Appetitu Voluptates, duos Dolores duos Amores ſpecie diſtinctos ponit, vnum in Concupiſcente in Iraſcente alterum, quod & ipſum nouum eſt; neque enim quis duo Voluptatum, aut Dolorum genera in Senſitiua parte hactenus vnquam conceſſit. Cum tamen conſequenter duplex Deſideſiderium, Timor duplex, Fuga itidem duplex, & reliqua duplicia ſtatuenda ſint: ad minus igitur viginti duas Perturbationum ſpecies Piccolomineo admittere neceſſe erit.

Secũdo Quia eius opinio inexplicabilis.

Deindè quâ ratione Appetitus Iraſcibilis ad eâ, quæ Animi ſunt, appetenda conſurgat, ad quæ tamen Concupiſcibilis nequeat aſcẽdere, quomodò explicet; neſcio: cum vterque ſit ſenſitiui appetitus pars, eumdemque gradum ſenſationis participet, neque euehi ad appetenda, niſi ſenſibilia poſſit, atque adeò corporea, ad quæ præcipuis ſenſuum externorum operationibus manuducitur. Nam cum huiuſmodi geminæ facultates nobis ſint cum beſtijs communes, ſicut in his, illæ non tantum excellunt, vt ad Gloriam Victoriaſque reſpiciant, ſed in corporeis ſemper commorentur, ità etiam in hominibus.

Vndè eſt, ſi in homine Gloriæ, Victoriæ, & ſimilium Amor reperitur, illum vel non eſſe partis Senſitiuæ perturbationem, ſed Voluntatis, & Rationis; vel duplicem eſſe, & permixtum, ità vt in Victoria duplex etiam appetibilis boni ratio emineat: vna Spiritualis, & ſenſui non ſubiecta, altera Senſibilis, & Corporea, & quod de Amore dictum eſt. idem de Ira, deque alijs dicendum, vt non ſolum pars iraſcatur Senſitiua, ſed Anima, ſeu Mens circà Gloriam difficilè adipiſcendam, aut dedecus fugiendum.

Tertio à cõfuſione collocandi in appetitu perturbationes. Præſertim Ira.

Iam quis antiquorum vnquam Iram in Concupiſcente parte collocauit? à quà vna, Appetitus pars altera denominationem aſſumpſit, & tam circà corporis illecebras ipſa verſari poteſt, quàm Amor, audi excandeſcentem Puellæ parum fidæ, parum amanti.

Horat. carminum l. 1. ode 13.

Cum tu lydia Telephi
Ceruicem roſeam, & cerea Telephi
Laudas brachia; væ meum
Feruens difficili bile tumet Iecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa ſede manet; humor & in genas
Furtim labitur arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus; &c.

Habe & alterum contrà amicæ ianuam iraſcentem.

Tibullus l. 1. eleg. 2.

Ianua difficilis dominæ te verberet imber,
Te Iouis imperio fulmina miſſa petant.

Sed

Sed illum de amore differentem quid nēpè secum ferat accipe. *Plautus.*

In amore hæc omnia insunt vitia, iniuriæ
Suspiciones inimicitiæ, induciæ *Terentius.*
Bellum, pax rursum, &c.

Atqui hæc secundum Piccolomineum ex facultate prodeunt Concupiscibili; circà corporeas enim versantur illecebras, & voluptates; cuius tamen Iræ nulla hactenus definitio, aut descriptio, aut notitia data est ab antiquis, qui verè iuxtà Piccolomineum duplicem Iram distinguere, ac definitione certa distribuere debuissent, cum duæ specie essent distinctæ. *Quæ in Concupiscibili necessaria ponenda est aliquando à Piccolomineo. Contra sensum omnium antiquorum.*

Quid quod à bestijs, quibus appetitus sēsitiuus, neq; cū homine cōmunis est, si Piccolomineo credimus; Irascibilis particulā oportet auferre; quæ, nō nisi circà eā quæ corporis sūt, operātur. At ipse iumentis, & feris suas etiam iras, furores, odia, rabiem, & similia tribuit, & sanè Irascibilis appetitus particulam ab Leone subtractam hominique concessam fingunt Poetæ. *4 ab absurdo. Quod scilicet bestiæ carerent ira &c. In quo sibi ipse contradicit.*

Fertur Prometheus addere principi *Amplificatio dictorum à Poetis accepta.*
Limo coactus particulam vndiquè
Desectam, & insani Leonis *Hor. l. 1. od. 16.*
Vim stomacho apposuisse nostro.

Quarè si nihil aliud, certè illud docent Poetæ, Irascibilis Animæ operationes inferis quam in hominibus esse vehementiores.

Sed sciscitor à Piccolomineo, Amor ille, quò Ouis in suam fertur prolem, Odium, quò in Lupum efferuescit, à qua facultate oriuntur? vndè sunt Spes illæ vndè fluunt?

Finirent leto multi mala credula vitam
Spes fouet, & melius cras fore semper ait. *Tibull. l. 2. eleg. 5.*
Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, que largo fænore reddat ager.

Ad Concupiscibilem inquiet Piccolomineus: quæ secundum Platonem auara est. Agricolæ autem auari, colonique auidi, qui parere sibi arua iubent vomere, & aratro, at tu alterum cape non auarum colonum, aut agricolam.

Beatus ille qui procul negotijs, *Hor. Epod. 2. od. 2*
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis.
Solutus omni fænore.

Sanè Amores huiusmodi, & Odia, & Spes neq; ad gustus, neq; ad tactionis voluptates respicere vidētur, imò ad curas ex Animo tollendas. *Rusticæ vitæ laudes. Virg. Georg. 2.*

O fortunatos nimium, sua si bona norint
Agricolas: quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus, &c.
At secura quies, & nescia fallere vita
Diues opus variarum: at latis otia fundis,

Speluncæ, viuique Lacus, at frigida Tempe.
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni.

Et Coricij ſenis Affectiones ad quas nam corporis illecebras, ad quas nam Animi Perturbationes Victoriam, Gloriam, & ſimiles reuocas mi Piccolominee.

Virg. Georg. 4.

Cui parua relicti
Iugera ruris erant, nec fertilis illa iuuencis.
Nec pecori opportuna, seges, nec commoda Baccho.
Nec rarum tamen indumis bolus, albaque circum
Lilia, Verbenasque premens, Vescumque Papauer.
Regum æquabat opes animis, seraque reuertens
Nocte domum, dapibus mensas onerabat inemptis

Reuera oblectant etiam cogitantem.

Profectò huiuſmodi motiones, quæ mihi quidem cum Coricio magnæ oblectationi ſunt eas etiam animo cogitanti.

Senec. in Hippol.

Non alia magis est libera, & vitio carens
Ritusque melius Vita, quæ priscos colat,
Quam quæ relictis manibus, & campos amet.
Non illum auaræ mentis inflammat furor,
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non pestilens inuidia, non fragilis fauor,
Non ille Regno seruit; aut Regno imminet.
Spei metusque liber.

A Concupiſcibili vt aſſeris parte non ſunt, ab Iraſcibili verò eſſe nec poſſunt, vndè igitur fluunt? vndè oriuntur? Stet igitur accepta laudataque Appetitus Perturbationumque diuiſio iam dicta, in cuius ſententiam maior, ac melior Philoſophici Senatus pars ſuis pedibus, ac ſponte diſcedit.

SECTIO VIII.

NEMESII DE PERTVRBATIONIBVS DOCTRINA EXPENDITVR.

An animalis affectionem necessariò voluptas aut dolor consequatur. An Affectio sit Dolor. An sit Doloris sensus. An Dolor sit Affectio. Nemesij Definitio Perturbationum reiecta. Non omnis Affectio contra naturam. Diuisiones appetitus secundum Nemesium improbantur. Cupiditatis diuisio examinatur, & refellitur.

EMiſſenus hic Epiſcopus, & Philoſophus de Animi Affectionibus diſſerens habet multa, nos ad rem quædam noſtram ſelegimus, ne eius verbis vſi productiorem quam par eſt orationem contexeremus.

Dicta Nemesij ad Perturbationes spectantia quinq;

Communiter, & generatim primò Animalis affectio eſt, quā Voluptas, aut Dolor inſequitur: ſecūdo affectionem dolor inſequitur,

non

non Affectio Dolor est, Tertiò si enim ità esset quicquid ità afficeretur Doleret,nunc verò quæ sensu carent afficiuntur illa quidem, non tamen dolent. Quartò non ergo affectio dolor est, sed affectionis sensus. Quinto quam tamen alicuius esse momenti oportet vt sensu percipiatur.

Primum quidem dictum esto, & sæpè à Platone,Aristotele,alijsque Philosophis, vsurpatum est, de quo nos alibi. Secundum explicatione indiget; si enim negat Nemesius omnem Affectionem esse Dolorem, id quidem rectè negat. Quis autem hoc asseruit,aut in cuius mentem id vnquam incidit, vt diceret Amorem, Spem, Gaudium etiam esse Dolorem?quod si neget Affectionis nomine Dolorem esse vocandum, id verò falsò negabit; nisi fortè de Dolore corporis loquatur,de quo Nemesio non est sermo, vt ipsemet contestatur. Præterea nũ est quod ad Affectiones etiã magnas sequatur Dolor, & si quandoq; cõsequitur ex accidenti continget. *Primũ dictũ esto. Secundum dictum aut obscurum, aut falsum.*

Et quidem Nemesij quæ tertio loco signatur probatio, ridicula mihi videtur, Cum ea quæ sensu carent affici quidem, sed non dolere asseueret, Qua tandem affectione insensilia afficiuntur? Ea quæ animalis est? minimè verò: at de hac est sermo, & ad hanc sequitur dolor, non igitur ad rem. *Tertiũ ridiculum.*

Ad id verò, quod quarto numero habet, Dolorem non esse Affectionem, sed Affectionis sensum, quid est hic affectionis sensus, an vnio ipsius Perturbationis cum Anima? At hoc nihil est aliud, nisi affici, aut perturbari. Veluti si de Amore loquamur, Amoris vnio cum Anima est animam amare, Iræ perturbationis vnio cum Anima, est Irasci animam: quod hac tempestate Philosophi effectum formalem alicuius formæ appellant in aliquo subiecto. Iam amoris affectio se habet vt forma, anima vt subiectum harum vnio,seu amoris vnio cum anima est effectus formalis amoris quod est Amare. Itaque si hic est sensus Affectionis, sanè hic sensus non semper Dolor est, nisi velimus philosophiam omnem confundere,quis enim cũ Voluptate vnitũ animũ, Dolere dixerit? *Quartum valde obscurum.*

An verò sensus affectionis Nemesio ille est; sentire me scilicet esse Affectum: sentire me Amare, me Irasci? at hic sensus non est in Appetitu tanquam in subiecto,in quo debet esse Affectio ipsa, & Dolor exoriens ex ipsa; sed existit in Phantasia,aut in Intellectu. Non igitur esse Dolor potest: Quod si Dolor est, sentire quod doleas, & Amare sentire quod Ames, næ absurda sequentur in vita morali plurima, ex quibus se extricare Nemesius vix potest. *Vel falsum etiam.*

Sed fortassè is sensum affectionis vocat, effectum non quidem formalem, sed consequentem ad affectionem. In quo effectu sentitur magis ab Anima affectio, quam in se ipsa. Veluti Irà sentitur adesse magis, quando Dolet homo, quam cum per se Irascitur, Dolor enim est affectio valdè sensibilis vt alibi dicemus, id si asserit,

excuſari quidem poterit in nonnullis Perturbationibus in alijs verò minimè.

Dolorem non eſſe affectionem falsū eſt.
Hoc libro.

Quod autem neget Dolorem eſſe Affectionem, non placet vt videbimus. neque verò hinc eſt, vt abeamus in infinitum: nam ſi ad affectionem vt damus ſequitur Dolor, & hic Affectio eſt, ergo Dolorem omnem ſequitur Dolor in infinitum, non inquam id periculi eſt nam vnus primusque Dolor ſatis eſt, ad quem non eſt neceſſe vt alter ſequatur, cum vnum eumdemque effectum formalem induceret, quem primus induxerat Dolor. Quemadmodum ad ignem nouus calor addi non poteſt, quia nullum poſſet in igne effectum præſtare præter eum quem calor vetus præſtabat.

Obiectio.
Diluitur.

In quinto ſibi ipſe contrarius eſt.

Ex quinto Nemeſij dicto videtur ſequi motionem Appetitus exiguam, quæ ſentiri non poſſit, vel Affectionem non eſſe; vel ſi ſit, ad eam non ſequi Dolorem: Dolor enim non eſt niſi ſentiatur Affectio, Eſt enim affectionis ſenſus. Sed non video quomodò poſſit eſſe motio in Appetitu quæ ab Anima, ſi attendat, &. in alias non ſit res intenta, ſentiri non poſſit, aut ergo Nemeſius exiguas Appetitus motiones eſſe Affectiones negat, quod falſum eſt; aut ſi concedat neceſſe erit vt neget Dolorem eſſe niſi ſentiatur. Quod ſi verum eſt; ſequetur poſſe eſſe Affectionem in Anima ad quam non ſequatur Dolor, nempè illam exiguam, quod tamen ille negarat.

Definitiones perturbationum ſecundum Nemeſiū

Pergit Epiſcopus Animi Affectionum definitio hæc eſt. Affectio eſt motus appetendi facultatis ſub ſenſum cadens ob boni, vel mali phantaſiam. Et aliter ſic: Affectio eſt motio Animæ rationis expers opinione boni, vel mali; ex alio in alium, &c. explicat vero Nemeſius quid intelligat per motum ex alio in alium: in Ira; quæ cum violenter rapit corporis membra ad agendum, dicitur eſſe motus ex alio ideſt ex Anima, in alio factus, ideſt in Corpore, atque hunc motum vocat ille muneris functionem: qui etiam nunquam eſt Affectio, niſi ſit præter naturam, nam Affectio non eſt ſecundum naturam, ſed præter.

Reijciuntur præſertim vltima.

Neque enim requiritur muneris functio.

Sanè Antiſtes falli videtur, cum Perturbationem eam eſſe velit, ſolam quæ ad permouendum corporis membra in executionem eorum, ad quæ inclinat affectio, peruenerit. Fatemur quidem Affectiones permouere organa corporea, & ſanguinem; præſertim verò Iram, quæ eſt feruor ſanguinis circà cor, at non hanc agitationem quærit Nemeſius; ſed eam quæ ſit muneris functio, & motus ex Affectione in corpus ad exequendum munus affectionis. Hoc autem ex ſe falſum eſſe patet, & exemplo Platonis, qui ſeruo fertur dixiſſe, percuterem te niſi eſſem iratus.

Neque vt ſit affectio neceſſe eſt vt ſit contra naturam.
Lib.4 ſect. 3.

Prætereà quod motio Appetitus, vt ſit Affectio, debeat eſſe præter naturam, neque motio vlla, quæ ſecundum naturam ſit, eſſe affectio poſſit, id verò etiam à veritate abeſſe probatum eſt in ſuperioribus, & probabitur infra. Atque hæc dicta ſunt

de

de postrema Nemesij definitione, nam de alijs abundè disseruimus *Hoc libro.*

Item Nemesius: diuiditur autem pars animæ rationis expers, vt diximus, quæ rationi obtemperat, in duas partes Cupiditatem, & Iram. *Diuisiones appetitus secundum Nemesium.*

Rursus Cupiditas bipartitò distribuitur, in Voluptates, & Dolores, nam Cupiditas dum quod vult assequitur Voluptatem efficit, contrà dum non assequitur Dolorem.

Explicantur, & reyciuntur. Lib 4.

Primò docet partem Animæ inferiorem quæ superiori obsequẽs est, & à ratione gubernatur, quemadmodum docemus, hanc inquam partem, quæ Appetitus dicitur, diuidi in partes duas, Cupiditatem, & Iram, quarum duarum nomine videtur accipere Nemesius, non facultates Animæ, seu partes eius duas, ex quibus procedant Perturbationes; sed Perturbationes ipsas, seu Affectiones quibus, seu ad quas consequitur Voluptas, & Dolor; quæ vt superius dixerat à Perturbationibus exoriuntur. Valdè autem confusa est talis Perturbationum distributio, atque etiam falsa, quod ex dictis manifestum est, quamobrem ipse Nemesius alia ratione Cupiditatem distribuit.

Prætereà Nemesius. Alio modo diuisa Cupiditas quatuor omninò species facit. Nam in rebus alia sunt bona, alia mala; & alia iam adsunt, alia expectantur. His generibus constitutis, si duo per reliqua duo, multiplicentur in quatuor partes Cupiditas diuiditur; est enim bonum, & malum: item præsens, & expectatum. Expectatum enim bonum Libido est, iam verò præsens Voluptas: Rursus malum expectatum Metus est, Præsens Ægritudo: in bonis enim Voluptas, & Libido versantur. In malis Metus, & Ægritudo. Quæ ratio nonnullos mouit vt Affectionem in quatuor partes distribuerent Libidinem, Voluptatem, Metum, & Ægritudinem. *Alia per Nemesium diuisio cupiditatis.*

Agitatur.

Neque hîc nomine Cupiditatis accipit Nemesius partem animæ Concupiscentem, quæ etiam Concupiscibilis vulgò solet dici, à qua prodeunt affectiones. Nam hæc non diuiditur in affectiones, vt loquitur Nemesius, cum earum sit fons, & mater: sed accipit nomine Cupiditatis, quamdam rationem genericam, metaphysicam, quæ distribuitur in illas quatuor affectiones: quod patet etiã ex eo, quod pars altera, quæ dicitur Ira nihil aliud est per Nemesium. nisi ipsa Perturbatio Iracundiæ, vt videre est: iam neque bona est multiplicatio illa, quæ fit ex obiectis præsentibus, aut absentibus bonis, aut malis, etiam si enim circà obiecta sic considerata quatuor sint Affectiones, tamen circà illa plures esse possunt quam quatuor vt libro hoc demonstrauimus. *Cap. 21. Accusatur.* *Sect, 6.*

Itaque non benè Libido vna passio tantum est Nemesio, comprehendit enim hæc Amorem, & Desiderium, quæ duo diuersa esse alibi probabimus, & loco supra laudato ostensum est. *Reÿcitur.*

Quod autem à plerisq; Affectio in quatuor partes distribuatur, *Quomodo in quatuor capita diuidatur affectio.*

id

id itâ accipiendum esse diximus, vt quædam ab ijs generalia capita esse assignata dicamus.

Explicatur verũ Nemesij.

Quod verò Nemesius malum expectari dicat, non in ea significatione capiendum est, qua capitur quando expectari bonum dicitur, sed potius in ea qua Poeta.

Virg. Aeneid. 4.

Hunc ego si tantum potui sperare dolorem:

Aut potius expectari malum dicitur, vt eius significetur absentia, & aduentus, quam vt expectatio ex parte nostra denotetur.

Atque hæc de Nemesij doctrina: nam alia quæ de affectionibus edocet alijs nos in locis expendemus, aut expendimus.

SECTIO IX.

PERTVRBATIONVM CAPITA GENERALIA.

Aegritudo, Metus, Voluptas, Libido, perturbationum fontes. Stoicorum Doctrina ex Augustino. Dolor & Voluptas præcipuæ passiones. Quando exurgant spes, & dolor. Quomodò principalia perturbationum capita. D. Thomas explicatur. Quomodo voluptas, & dolor sint de re futura, & de præsente. An loco cupiditatis confidentia cum Aristotele ponenda sit. Confidentia pro Spe, & Cupiditate. Potest esse Cupiditas sine Spe, non verò spes sine Cupiditate.

EXactam Perturbationum in præmissis distributionem assignauimus. Nunc quamobrem, & quemadmodum ad quatuor Perturbationes vniuersæ Capita redigantur, aut quibus ex capitibus aut fontibus educantur differendum accipimus.

Capita generalia perturbationum quatuor. Cic. In Tuscu'an. Plutarch. de virtute morali. Aen. lib. 6. Horatius Lib. 1 Ep. 6.

Omnis ergo scriptorum exercitus, in quatuor eas capita expeditè deducunt? Sunt autem illa Ægritudo, Metus, Voluptas, Libido. Quæ vatum Princeps Virgilius illo comprehendit versu.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque

Et Horatius.

Gaudeat, an doleat, cupiat, metuatue.

Et Boetius illis.

Gaudia pelle, Pelle timorem,

Spemque fugato, Nec dolor adsit.

S. Aug. de Ciuit. Dei lib. 14. ca. 7. & 8. Arist. l. 1 de anima c. 4.

Loco Ægritudinis, & Cupiditatis, Spem ponit. Sed Aristoteles pro Spe Confidentiam. Quam verò Cicero appellat Ægritudinem, Virgilius, & alij Dolorem, Augustinus Tristitiam. Ea scilicet ratione quod Ægritudo, vel dolor vsitatius in corporibus dicitur.

Cic. Tuscul.

S. Aug. loc. cit.

At non iniucundum opere pretium duximus Stoicorum hac de re doctrinam, quam quidem latè Cicero, & Augustinus breuiter, etiam

etiam nos quam breuissimè perlustrare.

Igitur Augustinus, *Stoici*, inquit, *tres esse Eupathias*, (constantias vertit Cicero) *pro tribus perturbationibus in sapientis animo voluerunt pro cupiditate, voluntatem; pro lætitia, gaudium; pro metu, cautionem; pro ægritudine vero, vel dolore, quam nos vitandæ ambiguitatis gratia maluimus tristitiam dicere, negarunt esse posse aliquid in animo Sapientis. Voluntas quippe inquiunt appetit bonum quod facit Sapiens. Gaudium de bono adepto est, quod vtique adipiscitur Sapiens. Cautio deuitat malum, quod debet Sapiens deuitare. Tristitia porrò, quia de malo est, quod iam accidit; nullum autem malum existimant posse accidere sapienti; nihil in eius animo pro illa esse posse dixerunt. Sic ergo illi, vt Velle, Gaudere, Cauere nisi sapientem, stultum autem non nisi cupere lætari. Metuere Tristari. Et illas quidem tres esse constantias, has quatuor perturbationes secundum Ciceronem, secundum plurimos autem passiones*. Hæc ex Augustino.

Stoicorum doctrina de alijs perturbationibus.

Iam cum quatuor hæ inter reliqua principatum Perturbationes obtinere dicuntur, non vno id sensu accipiendum est. Voluptas siquidem ea significatione principalis esse videtur, quia ad omnem Perturbationem boni prosequutiuam, & ad omnem etiam eam quæ à malo abhorret, consequitur: cum enim id quod habent homines in proposito assequuntur; solet voluptas naturali consequutione pullulare. ità ad Amorem Voluptas ad Desiderium Voluptas etiam quædam sua, & ad obiecti consequutionem sua etiam propria enascitur Voluptas, & Spem, atque Audaciam Voluptas comitatur, neque sine Voluptate Timor id quod metuebat euitat.

Qua ratione singulæ dicantur generale caput. Voluptas.

Eodem ferè modo habet Dolor: nam etiam in Amoribus, in Desiderijs, in Spebus, in Audacijs, in omni demum boni prosequutione cum absens est Dolorem aliquem cum Voluptate sentimus. Multò autem magis in ijs Perturbationibus quæ malum detestantur vt patet.

S.Th.1.2.qu.25. artic.4. Dolor.

Ex quibus manifestum est duas hasce Perturbationes non exurgere solum in animo post reliquarum Perturbationum cessationem, aut quietem; aut quando sunt in quâdam veluti quiete, vel demum quando suum sunt obiectum adeptæ: sed etiam emergere cum alijs Perturbationibus quando sunt in motu ad sua obiecta acquirenda, aut fugienda; atque adeò non habere solam rationem finis cuiuspiam ad reliquas, sed rationem etiam concomitantis Reliquæ autem duæ Spes scilicet & Timor alia ratione considerantur. Sunt enim hæ vt apex Theologorum Sanctus Thomas docet, principales non quidem quasi completiuè simpliciter, idest tanquam ad finem aliarum Perturbationum, seu ad consecutionem obiectorum, consequantur ipsæ, & exurgant; sed quia sunt completiuè in genere motus appetitiui ad aliquid. Nam respectu boni incipit in appetitu motus ab Amore: & procedit in Desiderium,

Non solum exurgunt post alias, sed cum alijs.

Spes, & Timor quomodo Principalia Ex S Thoma. Quia sunt post alias tanquam cōplementū motus.

rium, terminatur in Spem: respectu verò mali incipit ab Odio, procedit ad Fugam, & terminatur in Timorem. Hæc Sanctus Thomas.

Qui explicatur.

Quæ nec item sunt accipienda quasi neget Angelicus Præceptor Timorem nasci etiam statim cum Odio, & cum Fuga, aut afferat Spem solum nasci post Amorem, & Desiderium: oriuntur enim hæc simul cum alijs Perturbationibus. Sed quia in harum Perturbationum fine maximè sentiuntur oriri in Animo, atque Appetitu, eoque præsertim tempore animum afficiunt.

Quomodo voluptas, & Dolor sint de re futura, & de re præsente.

At iuxtà D. Thomam ex dictis, hæc etiam eminet differentia, quod Gaudium, & Dolor se habeant circà obiectum præsens; Spes, & Timor circà futurum. Quæ explicanda est: Nam duo priora non existunt solum obiecto præsente; sed eo etiam absente; quod manifestè videmus in Amore, & Desiderio quæ non sine Voluptate quadam in Amante nascuntur. *Trahit enim sua quemque voluptas*. Ad quid autem trahit nisi ad id quod amatur, & desideratur, & absens adhuc est? Voluptas autem gaudium quoddam est. Accipiendum igitur est discrimen vt Gaudium, & Dolor, de re præsenti esse intelligantur præcipuè & per se; de re autem futura, aut absente, per accidens, & minus principaliter enascantur.

An loco cupiditatis sit ponenda cõfidentia cum Aristotele.

Iam verò cum Antiqui vnam ex his quatuor concordi sensu posuerint Cupiditatem, & Aristoteles pro Cupiditate Confidentiam posuerit, Boethius vero Spem: quæ nam pars nobis amplectenda videtur?

Non debet confidentia esse à Cupiditate distincta.

Sanè si Aristoteles Confidentiæ nomine aliquid distinctum à Spe, & Cupiditate intellexit; non existimo ei assentiendum; quæ enimuerò erit hæc ab vndecim appetitus Perturbationibus simplicibus Perturbatio distincta, quas solus ipse admittit? Deinde quarè hæc Confidentia distincta ab vndecim est tanquam earum caput aliquod generale: non uerò distinguantur Amor, Timor, Gaudium, generalia etiam capita? Existimo ergo Philosophum nomine Confidentiæ, vel Spem, vel Cupiditatem innuisse.

Cupiditas ergo potior est.

Ponenda ne Spes an Cupiditas. S.Th.1.2.qu.25. ar.4 ad primum. Lælius Peregr. de effectib. c.5.

Sed vtra harum duarum Spei videlicet, & Cupiditatis sit generalior Perturbatio, Sãctus Thomas inclinare videtur in Spem. Alij contrà, sed nulla ab his ratio sententiæ affertur. Ea mihi esse videtur: quia Spes non nisi in arduis est, & in parte Irascibili exoritur, quæ potest non operari, operante Concupiscibili: Itàque potest esse Cupiditas sine Spe, at Spes sine Cupiditate oriente à Concupiscibili esse non potest; generalior igitur est Cupiditas quàm Spes.

Cupiditas. Ratio affertur.

SECTIO X.

STOICORVM DE AFFECTIBVS DOCTRINA IN VNVM CONGERITVR.

Perturbationis definitiones, & diuisiones, constantiæ quæ? Perturbationum fontes. Ex his riui plurimi. Sed confusi. Sed inepti aliqui. Principia, & fontes, & morbi qui? Sed non bene expositi. Constantijs quid subijciant. Quis perturbationum expers. Sapiens Stoicus exagitatur. An inebrietur. Zenonis dicta duo. Lucianus Stoicos irridens. Eorum circa principia doctrina conuellitur. Absurda ex eorum principijs. Sapiens nullus per eosdem. Principia hæc per eos inexplicabilia. Absurda ex ijsdem principijs. Sapiens nullus per eosdem. Sapiens Stoicus descriptus. Stoicorum superbia, & iactantia ex Seneca, item censura; quam longe à Deo, & Dei notitia absunt.

MVlta in Cicerone, & alijs de Stoicorum super animi perturbationibus opinione seriò disputata leguntur, & nos sparsim aliqua hisce lucubratiunculis pronunciauimus. Nunc ea omnia, quæ vel leuiter tetigimus, aut solum innuimus, aut intacta reliquimus, si in vnum coacta locum ab eodem Stoicorum fonte orta astrictiori oratione, non edisserendi caussa congesserimus, non abs re facturos nos existimauimus.

Abundè in præcedentibus, Perturbationum definitiones, partitionesque ad trutinam reuocauimus, tum cum Augustino docuimus tres à Stoicis poni Eupathias, quas Cicero constantias appellat, hasque in solo sapiente collocari, scilicet voluntatem, gaudium, cautionem, ac præterea Perturbationes quatuor, cupiditatem, metum, dolorem, voluptatem in cæteris hominibus poni. *Definitiones perturbationum hoc libro sect. 2. & 3. Quid in sapiente ponant Stoici. Quid in ceteris hominibus.*

Iam riuulos ex his quatuor Stoicorum fontibus erumpentes breuibus enumerare operæpretium duximus. Cupiditati ergo vniuersaliter acceptæ cupiditatem subijciunt quandam singularem vlciscendi eius, qui videatur iniuria læsisse: quam orgin ipsi, Latini *Iram* simpliciter appellant. Tum aliam, quæ Thimos illis dicitur, estque Ira in suis emergens initijs; *Quæ deriuentur ex cupiditate perturbationes. Stobæus. Eclog. Ethic. l. 2.*

hæc cum paulatim excreuit intumescensque aucta est Cholos, cum vero per temporis diuturnitatem induruit, atque inueterauit Minis nomen habet quæ dum occasiones venatur vltionis cotos cum autem iniuria quispiam lacessitus repentino excandet Picria dicitur.

Præterea sub cupiditate ponunt Herotem, Pothon, Himeron, Philidoniam, Philoplutiam, Philodoxiam, prima est beneuolentiæ impetus pulcritudinis caussa. Secunda cupiditas absentis, tertia cupiditas consuetudinis absentis, quarta cupiditas voluptatis, quinta cupiditas opum, Sexta, ac postrema cupiditas gloriæ.

Quid subsit voluptati. Voluptati autem subdunt, voluptatem de alienis malis, voluptatem de inopinatis, voluptatem oculorum per dolum, vt in Stobæo vertitur vox Goitia, quæ proprie præstigias, & fallacias oculorum ex falsis apparentibusque visis est.

Quid metui. Iam metus partes habet sequentes, metum futuræ actionis metum offensionis, vel lapsus, metum de insueta imaginatione; metum ignominiæ; metum cum voce trepedantem; metum Deorum, ac Dæmonum; metum rei grauis; Metum cum ratione coniunctum. *Quid dolori.* Sub dolorem denique ponuntur, dolor de alienis bonis; Dolor de aliena felicitate, quam sibi quis optaret; Zelotipia, quæ fere idem, ac dolor supradictus, qui zelus nominatur, dolor de eo, qui præter meritum videatur miser; dolor de morte immatura. Dolor ingrauescens. Dolor vocem eripiens. Dolor cum ratiocinatione, dolor penetrans, dolor cum iactatione.

Lib. 2. eclogarū, & bicarum. *Non omnia hæc sunt perturbationes.* Hæc omnia ex Stobæo, qui bene aduertit horum affectuum, quædam vocabula ipsam significare perturbationis naturam quædam vero motionis, seu perturbationis proprietates, & sane magna istorum nominum pars accidentia, quædam diuersa vnius perturbationis extrinsecus etiam aduenientia denotare videntur, potius quam perturbationes sub vno capite diuersas, aut distinctas.

Perturbationum principia, & fōs. Ad has perturbationes eliciendas, duo quædam, quasi principia statuunt. Procliuitatem, & Vitium, caussam autem omnium perturbationum, & veluti fontem, vt Cicero docet, intemperantiam dicunt, quæ est à tota mente, & à recta ratione defectio. *Morbi.* *Cicer. quæst. Tusculi. lib. 4.* Ex perturbationibus autem aiunt morbos in animo oriri, quos illi nosimata appellant. *Diogen. in Zenone.* Apud Laertium morbus esse dicitur opinio eius, quod valde expetendum videtur. Ipse autem Cicero omnes prædictas perturbationes ex quatuor suis generibus emanantes optime, ac diserte explicat ad quem ne longius vager Lectorem remitto, quas

etiam

etiam descriptas videre est apud Laertium, ex quo sequentia de constantijs, quas in solo sapiente ponunt. nam vt sub capita perturbationum, ita etiam sub principes constantias quædam subijciuntur. Sub voluntates quidem, beneuolentia, placabilitas, salutatio, charitas. Sub cautionem reuerentia, suauitas, sub gaudium, delectatio, iucunditas, bonus animus. L. 7. *Constantijs, quæ subijciantur.*

Aiunt autem duo hominum genera perturbationis expertia esse. Vnum sapientum, qui nullo modo labi possunt; aut à ratione deflectere. Alterum improborum, qui ab immani duroque nihil differunt. *Quis perturbationibus non sit obnoxius.*

Atque hæc breuiter de Stoicorum doctrina circa animi affectiones perturbationesque in quibus vellem liberalius excurrisset Lipsij stylus in suis manudictionibus, quas de stoica doctrina tam diligenter collegit.

Videntur autem mihi Stoici ita statuisse, vt sapienti illi suo omnia licere dicerent, quæ stulti ipsi insipientesque facerent; modo ea cum recta ratione operarentur; rectam autem rationem tunc fore, quando, qui operatur; eo iudicio, atque opinione operetur, vt existimet se bene, & cum ratione operari ita Sapiens Stoicus tantumdem vini hauriet, quantum stultus quiuis; scortabitur, vt alius quicunque irascetur, efferetur, cupiet, oderit, quam omnis insanus, imo eo amplius. Sed eo discrimine, quod ille, cum ratione recta se operari opinetur, iudicet, atque iactet; hic vero minime. *Stoici reprehenduntur circa suũ sapientem.*

Sunt autem in magna quæstione inter se Stoici; an cum quis sapiens euaserit, virtutemque acquisierit; rursum insipiens effici, & deperdere virtutem queat. Negat Cleantes; Chrysippus asserit. Itaque Chrysippus, quia negare non potest inebrietate, vitium inesse; propterea sapientem negat inebriari vnquam; etiam si helluauerit, ac se vino totum ingurgitarit, aitque vinolentum quidem tunc euadere, non uero ebrium contra Cleantes inebriori sapientem posse concedens, negat ebrietatem in sapiente esse malam, ob firmissimas animi comprehensiones, quas habet rationi conformes. En dictum Zenonis facetum, cum in conuiuio ebrius esset, interrogatus, cur, cum ceteroqui austerus esset; in conuiuio tamen lætitia diffluerет. *Lupini quoque*, inquit, *quamuis amari, perfusi tamen dulcescunt*. Præclarum sane Philosophum, & sapientiæ Stoicæ Principem egregium; & Lupinus quidem aqua inebriatur; is autem vino multo rationabilior Zenone Lupinus, aqua postulat dulcescere non vino; & eius dulcedo apta esui, illa vero Zenonis risui. *An sapiẽs ebrius fieri possit.* *Zenonis dictum.* *Laert. lib. 7. Athæn. l. 2.*

Item alterum. En aliud eiusdem hominis præclarum bellumque. Puellis raro vtebatur, semel, aut bis ancillula quapiam. An hoc rectæ rationi consonum? ita sane sapienti huic homuncioni. nam huic rei idcirco operam à se dari iactabat; *ne odisse mulieres videretur*. O Nebulonem, ac Sycophantam. Sed de Zenone alias: Multa autem huiusmodi à Stoicis patrata sapientibus referre possem, sed tollo calamum. De sapiente autem isto Stoico, qui nusquam apud Stoicos fuit, aut est; legendus est Lucianus.

Lucianus in Hermotimo. Lucianus quid de Stoico sapiente.

Doctrina illorum de perturbationibus, vt plurimum, superuacanea est, in qua tradenda, dum nimis enucleare contendunt; deridiculi efficiuntur, quis enim laudauerit eam diuisionem metus in suas species, ac formas; vt alius sit metus futuræ actionis, alius offensionis, vel lapsus; alius metus sine voce, alius cum voce; & sic de alijs aliorum capitum diuisionibus. Mitto multas ex his perturbationibus minime malas videri; vt est metus offendendi, metus deorum, metus cum ratione susceptus. Quod ipsum vel Stoici ipsi fateri quandoque coacti sunt. Audi quæso eorum Patronum, & quidem nobilissimum Senecam. *Numquam ego à te ne ex toto mæreas exigam. Et scio inueniri, quosdam duræ magis, quam fortis prudentiæ viros; qui negent doliturum esse sapientem. Hi verò videntur numquam in huiusmodi casum incidisse. Alioqui excussisset illis fortuna superbam sapientiam, & ad confessionem eos veri etiam inuitos compulisset. Satis præstiterit ratio, si id vnum ex dolore, quod & superest, & abundat, exciderit: nam vt nullum eum omnino esse patiatur, nec sperandum vlli, nec concupiscendum est*. Hæc Seneca. Lege in hanc rem A. Gellium.

Perturbationes non omnes esse malas.

Etiam apud Stoicos. Seneca Consol. ad Polyb. ca. 37. De dolore, & mærore.

Gell. l. 1. c. vlt.

Exagitantur circa perturbationũ Principia.

Sed enim, cum afferunt principia perturbationum esse procliuitatem, & vitium: effectum autem morbum, quid quæso his innuunt vocabulis? An procliuitatem intelligunt, naturalem illam inclinationem ad iram, verbi gratia, appetitus sensitiui, aut corporei? At id si afferunt contra se ibunt. cum per illos procliuitas esse debeat aliquid à parte rationali minimè distinctum. Rationalis enim pars per id efficitur expers rationis, quod perturbatione quapiam fædetur, procliuitas autem antecedit perturbationem. Itaque inueniri debet in omni homine, antequam vel sapiens, vel stultus efficiatur. Sed illi procliuitatis vocabulo aliquid præter ipsam rationem intelligunt, non à natura insitum; sed comparatum extrinsecus, quod nihil aliud esse potest, præter ipsum vitium, repetitis sæpius perturbationibus acquisitum: ac proinde non duo erunt perturbationis principia distincta, sed vnum; quod

Stoicis quid procliuitas.

Reijciuntur.

est

est vitium. Cuius definitio ea esse potest, vt sit procliuitas quædam firmior ad perturbationes suscipiendas. Nisi forte illud adijciant, procliuitatem à vitio differre, quod hoc firmissimè homini adhæreat, illa facile depelli ab animo queat. *Vitium quid.*

Præterea procliuitas, vitium, & fons ille omnium perturbationum dictus, intemperantia, si sunt in anima, aut in ratione aliquid; erit ne hoc generale, quidpiam ad omnem inclinans perturbationem, aut cuique perturbationi, suum, ac propterea multiplex? primum quidem explicari neque quid sciet, & vnde ortum habeat potest; alterum si dicant, necesse erit, vt eorum procliuitatum vitiorum intemperantiarumque principia exortusque declarent, quod præstare non est facile. *Vrgentur circa eadem principia.* *Quæ explicari nequeunt.*

Sed fortasse Stoici, omnia ad iudicium referent, & rationem, quæ quando recta constantiam habebit, bonarum actionum in sapiente principium, quando vero distorta inerit in ea intemperantia, quæ procliuitatem parit, & vitium. Quæro ab his, hic vir, qui, per eos sapiens est, vnquamne opinione vlla falsa, aut intemperanti fuit imbutus? quod si quando in aliquam huiusmodi delapsus est, sane tunc repente factus est improbus, à qua improbitate, vt postea euadat obtinere non poterit, vt ipsi volunt. Hominem autem vllum fuisse, qui in falsam aliquam opinionem non inciderit inter incredibilia numerandum. Itaque ex Stoicorum doctrina id demum confici videtur, nullum vnquam probum virum fuisse, sed improbos omnes. *An sint iudiciũ.* *Minime.* *Ex Stoicis deducitur nullum esse sapientem.* *Nemo qui non in aliquam incidat opinionẽ falsam.*

Iam vero quid illud est eorum scitum? sapientem numquam opinari. Lipsius vir in primis eruditus, ac doctus, & de hac schola benemeritus conatur ad rectum tramitem hoc Stoicorum, & alia paradoxa deducere; aiens Stoicum hunc sapientem scire, non autem opinari, idest, non dubitare. Sed miror, quod auferat ab illis opinionem, qui in opinione omnia ponunt, ad perturbationes spectantia, quod ex Cicerone, Stobæo, Laertio patet. Præterea scientiam, cum in illis ponit, quam intelligit? an quæ, ex certis principijs per certam caussam rei deducitur per demonstratiuum syllogismum? at hæc in moralibus nulla, aut fere nulla, mores enim in singularibus hominis actionibus versantes demonstratiuam non admittunt scientiam, scientiam igitur intelliget, opinionem firmam, seu iudicium certum excludens dubitationem omnem de rei, aut bonitate, aut malitia, & asserens eam bonam, aut negans, at hæc scientia, vt recta sit, vnde habet? falli enim potest intellectus, seu ratio, caussæ *Paradoxum Stoicum.* *Lips. l. 3. Manud. dist. 8.* *Cic. qq. Tusc. l. 4. Stob. Eclog. Ethic. Laert. in Zenon.* *Quid nomine opinis intelligant.*

rei,

rei, aut regulæ infallibili non innitens. at in eo inquiunt, qui virtutem sequitur ratio non fallitur. Quis autem is est? aiunt, eum, qui secundum rectam rationem operatur, rectè. Sed hæc recta ratio quenam est, aut cuius? sapientis inquiunt. Hic autem sapiens qua arte, aut labore rectam hanc rationem nactus est? Vnde ipse emersit? aut quando primum sapiens euasit? nam per vos, sapiens nunquam non sapientia locuples fuit, ne momento quidem.

Quid sit operari secundũ rationem

Ad extremum eo mihi videtur omnis Stoicorum turba redigi, vt asserat, omne id, quod efficitur dictante hominis ratione, bonum illud esse; reuera ita esse. Atque adeo, si quis operabitur ante hoc iudicium rationis, aut contra illud, malum operabitur, neque enim ratio hominis, sibi ipsi esse regula, aut lex potest, si autem semel hanc sapientiam, seu rationem rectam nactus est, peccare nequaquam poterit. Vnde, vt in comperto est, infinita scelerum capita exoriuntur.

Absurda quæ ex hoc sequuntur.

Atque vt id ab ipsis asseri manifestum appareat Zeno, & cum Zenone alij omnes tamquam cum magistro duo hominum genera ponit, alterum proborum, improborum alterum. Quorum prius quidem per omnem vitam virtutes colit, posterius autem per eamdem vitam vniuersam vitia sectatur. Itaque probi Viri semper rectè, neque vnquam non rectè agunt prudenter sua omnia temperanterque, & secundum omnium virtutum ductum gerunt, improbi contra nunquam non in vitiorum cœno volutantur, & si quid aggrediantur, perperam imprudenter intemperateque operantur. Sunt enim illi, per Stoicos, magnum quid, atque excelsum, supraque omnem fortunæ insultum consistens; validum, ac uirium præpollens, insuperabile, inuictum, beatum. Atque hanc horum proborum, & sapientum beatitatem, nihil à diuina differre contendit Chrisippus, neque ea, qua Deus beatitudine pollet, hanc esse minus expetendam.

Qualis sit Stoicus sapiens.

Stob. l. 2. Eclog. Ethicarum. Senec. de const. cap. 3.

Vide, quæso te, quos paulatim in scopulos, quas in syrtes impulsa est hæc Stoicorum insana ratis de Stoæ portu auris ingenij sui propriæque existimationis prouecta spiritu. Peccare non potest sapiens, beatus in seipso est sapiens. Deus est sapiens. aut non minor Deo; imo etiam Deo maior. Quis, inqeies, hoc vnquam Stoicus ausus est profari? Scio quidem ipsos vehementer esse sui opinione inflatos, scio se omniscios, omnia potentes iactare, ideo à nemine posse cogi à nemine prohiberi quoquam, à nemine imperari, scio eos iniuria impeti fraude doloue circumueniri, aut decipi nequaquam posse ceterum.

Quo Stoicos deducit superbia.

Senec. ep. 91. Se Deo ipsi præponunt.

Sa-

Sapiens vno minor est Ioue. Horat l.1.ep.1.

At tu audi vnum ex illis cum suo Lucilio de Stoica philosophia superbientem. *Totam huc conuerte mentem, huic asside, hanc cole; ingens interuallum inter te, & ceteros fiat. Omnes mortales antecedes, non multo te dij antecedent. Quid inter te, & illos intersuturum sit quaris, diutius erunt. At mehercule magni artificis est clausisse totum in exiguo. Tantum sapienti sua, quantum Deo omnis atas patet. Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum. Ille natura beneficio non suo sapiens est. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei, &c.* Audistin? si plures huiusmodi, aut vaniloquentias, aut stultitias, & insanias audire patientia tibi suppetit, adi Lipsium plura colligentem. *Impia, & intolerabilis*, inquit Muretus, *arrogantia Stoicorum: qui non satis esse ducebant sapientem suum cum Deo ex aquo componere, nisi etiam anteponerent.* In quo autem anteposuerunt? in duobus, primum cum breuissimi Stoicus æui sit, eo tamen in tantillo omnia, quæ Deus habet bona sibi comparauit. Atqui breuitas vitæ, cum in bonis à Stoico non censeatur, sed in adiaphoris, seu indifferentibus non debuerat hac ex parte cædere Deo. Quid tum si moriare ô Stoice? mors, aut vita in bonis, aut malis à te non censetur.

Sen.ep.53. Testimonium eorum iactantia. Lips.Manud. 3. dissert.14. Muret. in ep.53. Censura contra Stoicos. Et argumenta.

Sed ego, inquit, in hoc Deum supero, quod intra breuissimi curriculum æui tot, ac tanta includo bona, quot, quantaque in æternitate Deus. Ita ne? at tu cum vita tua defungeris, an non tua omnia bona corruent, ac destruentur? Igitur tua caduca Dei æterna sunt bona.

Quam longe à Deo distant.

Præterea præcellere Deo se reputat Stoicus, quia ille à se sapiens, Stoicus autem industria sua. quasi vero Deo industria desit, ad acquirendum, si quid ipsi deesset, si tamen illi summo numini desse queat. ponamus antequam aurum conditum esset, Deo aurum defuisse, an non illud industria Dei emicuit? an non eius est sapientia productum? Itaque miseria est inopem, & egentem nasci, miseria est labori succumbere vt acquiras, miseria est acquisita iam posse deperdere, miseria non talia bona possidere; quæ sint vndiquaque perfecta. Hæc omnia in Stoico reperiuntur, nulla in Deo. Cuius si dignam apud se existimationem concepissent, nunquam aut talia oblocuti fuissent seque obloquendo manifestæ stultitiæ coarguissent, aut minus ventosè de seipsis, ac superbè sensissent. Sed de his satis, neque enim in proposito habeo contra Stoicorum, aut sectam, aut doctrinam dissertationes instituere.

Quam ignari sint Dei magnitudinis.

LIBER

Athen. l. 12. Liber hic cum Stoicis, & ſtoica ipſa finem accipient ijs, quæ de hac ſecta ex Hermiæ Curiēſis iambis affert Athenæus lepida ſane, Dalecamp. in Athen. *eſt autem Curias*, vt Iacobus ait Dalecampius *Cypri opidum*. At Cypri Stephan de Vrſib. id opidū nō Curias, vt Delcāpio, ſed *Curium, aut Curion* Stephano eſt *à Cureo Cinyræ filio dictū, à quo nomē gentile Curieus*, vt etiā habet Athenæus. *Curias autem gentile etiam eſt feminei generis*. Iā eius carmina ſunt.

Hermias Poeta.

Audite Stoiculi nugarum mercatores,
Verborum arbitri, & æſtimatores ſoli omnia
Quæ lancibus apponuntur, nulla ſapientibus data parte
Vos abliguritis: tum deprehendimini
Alia facientes, quam quod tragica voce proclamatis
Iuuenibus illudentes.

Et vere nugiuenduli, ac verborum vocabulorumque nundinatores mihi videntur Stoici, & in Scirpo nodos non quærentes, ſed apponentes, dum affectiones humanas tractant, quibus aut ineſcarent auditores ſuos, aut irretitos paſcerent, donec dementatos in immanitatem ſuam, ſuperbiamque, & in ceterorum omnium non philoſophorum tantum, ſed humani generis vniuerſi cōtemptum inueherent. Nonnulla alia ſuperaddit de Zenone irridens Athenæus, quem Phœnicem appellat, cum Cittienſem, aut Cittieum, antea dixiſſet, ſic etiam à Laertio alijſq; dictum: quæ tamen nos cum alijs in locis partim allata, partim afferenda ſint, in præſentia omitti poſſe exiſtimauimus. Illud à nobis neſcio cum irriſione, an cum indignatione obijciendum Zenoni; in eam ſcilicet iſtum amentiam decidiſſe, vt Deum irrideret, & Atheos vellet videri. nimirum mos illi erat ea, quæ credi voluiſſet ab alijs iureiurando aſtruere, nunc per Iouem ligneum, nunc per canem conceptum, nunc per Capparim. An non deridiculus ſenex iſte homines eos deriſui, quibus cū verſabatur, habebat, qui fidem ſibi ab his præſtari volebat, tanquam ex tripode vaticinanti, qui iurando Iouem deridebat, & per auditorum ludibrium caparrim, canemque teſtes appellabat? Id credo in animo habebat vt iureiurando ſuo nullum in cælo numen regnare doceret. Scio quoſdam populos per Braſſicam iuraſſe, quam quidem illi pro re ſacra venerabantur; & hi ſuæ ſtultitiæ excuſationem nanciſcuntur à Socrate, & Zenone, qui ſimilibus vtebantur. At homines hos, qui Philoſophiam ſoli de cælo deuocaſſe feruntur quis excuſatione dignos putet? quis non irrideat, qui canem nondum quidem allatrantem, vnde aliquis timor: nondum mordētem, vnde nonnihil damni; nec dum cuſtodem atrij, aut venatorem, vnde aliquid emolumenti; ſed informem, inanimum in vtero caniculæ tanquam in officina ſub malleo laborantem; pro numine habebant; niſi numina ridebant. O ſtultā Stoicorum vanitatem; vere euanuerunt in ſuperbiſſima ſua ſapientia, & nimium ſe ſapere credentes ſtultitiam meram, & didicerunt, & docuerunt.

Athen. l. 12.

Idem l. 8.

LIBER

LIBER TERTIVS

DE SVBIECTO PERTVRBATIONVM.

DVplicis id generis, cum Spe ſanitatis vnum, alterum Expes. In hoc Animantes & Dæmon; in illo vnus homo. Igitur perturbationum fontibus, hoc eſt cauſſis effectricibus, earumque riuulis, nimirum naturis hactenus perquiſitis, ad ea nunc; quæ hiſce fontibus infecta, & riuulis commadefacta contractis vitiorum morbis intabuere, ſuo ordine deſcendimus. Vt in altero; æger animi homo, morbi turpitudinem velut in ſpeculo meditetur, ex hac medicamentorum auxilijs comparandis ardentius connitatur.

SECTIO I.

NVM IN VOLVNTATE HOMINIS SINT APPETITVS IRASCIBILIS, ET CONCVPISCIBILIS.

Opinio Piccolominei negans. Excuſari nequit. Pars oppoſita a difficultate finis adipiſcendi. Sed an re ipſa differunt. Sunt qui negent. Horum ratio Sanctus Thomas aſſerit. Eius ratio examinatur, & concutitur. Quæſtionis ſolutio remittitur ad Phyſicos, Rurſum alijs aſtruitur argumentis.



NEgat Piccolomineus in Mente, ſeu Voluntate ineſſe Perturbationes. Nam Potentia inquit Iraſcendi ad ea fertur, quæ ſunt ordinata ad finem: Voluntas verò circà finem ipſum tantum, ad quem, tanquam verum, & vltimum bonum aſpirat: cui, inquit; voluptates puræ, & nō doloribus mixtæ cōueniunt, vt diſputabimus. *In voluntate non eſſe Iraſcibilē ait Piccolom.* *Sect. ſequenti.*

Profectò, ſi contendit hic Auctor, in Mente, ſeu voluntate non dari duplicem concupiſcendi Iraſcendiq; potentiam re à ſe vnam, ab altera diſtinctam, per facilè etiam nos dare poterimus. Verum cum omnem Iraſcibilis rationem, aut ſimilitudinem auferat à Voluntate; id verò minimè approbamus. Quæro enim, an in bono, honeſtoue, ad quod Voluntas aſpirat, eſſe poſſit vnquam difficultas exuperanda? id certè inficiari non poteſt. In ea ergo etiam ſunt Iraſcibilis appetitus operationes, quæ ad vincendas tendunt difficultates, & impedimenta: quæ quidem operationes aliquan- *Refellitur.* *Ratio quia in bonesto adipiſcendo eſt quādoque difficultas.*

 do

do ſunt ſimplices in ſe ipſi affectus, quandoque etiam vſque ad ſpirituum agitationem perueniunt. Itaque in illis, ſi ardui bonum impedientis impugnationem ante oculos proponamus, per analogiam quamdam ad perturbationes ſenſibiles, perturbationum nomine eas etiam poſſumus nuncupare. Quod & Sanctus Thomas docuit, & nos in præcedente libro.

D. Th. 1. p. qu. 83. ar. 1 ad ſecundum

An hæ duæ facultates in Voluntate distinguantur realiter. Phyſici eſt conſiderare. Sunt tamen qui negent.

Sed num huiuſmodi duo appetitus Concupiſcibilis, & Iraſcibilis, tum in parte ſuperiori Rationis, tum etiam in inferiore Senſibili inter ſe differant; & quomodò, aut quatenus, Phyſica contemplatio eſt. Sunt qui in neutra parte realem diſtinctionem admittant, ſed ſolum rationis; ita vt Voluntas ſit vna res ſimplex, quæ diuerſas operationes eliciendo diuerſarum etiam induat rationes facultatum, per quas nunc vnam, nunc aliam eliciat operationem, atque ita à ſe ipſa facultas diuerſa dicatur. Quo etiam pacto differunt de ſenſualitate: vt videre eſt apud Suarez.

Suarez l. 5. de anima c. 4.

D. Th. in ſenſibilibus diſtinguit, nõ in rationalibus.

Sanctus Thomas inter Senſualitatis Appetitus realem ponit diuerſitatem: inter Voluntatis verò nullam realem; ſed rationis tantum. Cuius ratio eſt, quia potentia, quæ reſpicit, atque ordinatur ad aliquod obiectum ſecundum communem rationem, non fit diuerſa re, per differentias ſpeciales ſub illa ratione communi contentas, ſicut quia Viſus reſpicit coloratum, non fiunt diuerſæ videndi facultates reipſa, ex eo quod Oculus nunc in album, nunc in nigrum feratur; quamuis hæc diſtributa inter ſe forma ſint. Cum igitur appetitus ſenſitiui obiectum, non ſit bonum commune, ſed particulare: ideo poſſunt, atque etiam poſcunt realiter diuerſi eſſe: non ità autem appetitus Rationalis; cuius obiectum eſt bonum in communi. Hæc Diuus Thomas.

Eius ratio.

Quia hæ reſpiciũt bonum in cõmune.

Illæ in particulari

Oppoſitio rationi ex arduitate accedente ad obiectũ.

At ſicut Arduitas in bono ſenſibili, non eſt differentia intrinſeca diuidens genus boni, aut iucundi, ſed accidens quoddam, ſæpè ex caſu cũ aliquo bono ſenſibili coniunctũ: & tamen, quia ſuperanda eſt ab appetitu, propterea datur peculiaris ab omni alia facultate diſtincta facultas: Ità cum in bono communiter accepto, reperiri poſſit arduitas aliqua quæ ſuperanda ſit; propterea in Voluntate facultas dari deberet à facultate Cupiendi reuera diſtincta. Maximè cum in ſpiritualibus etiam Sanctus Thomas Charitatem, & Spem ponat omnino diſtinctas, propter arduitatem quæ eſt in obiecto ſpei. Ità vt in Voluntate vnus appetitus in bonum feratur abſolutè vt bonum eſt; alter in bonum vt arduum: vel ſi in Voluntate huiuſmodi ratio non militat, neque etiam in Senſualitate diſtinctio admittenda. Præſertim cum Senſitiuus Appetitus in iucundum vniuerſaliter, & in commune conſideratum feratur, quemadmodum, & Viſus in colorem, & Voluntas in bonum. Sed hæc ſint Phyſicis relicta, vt alias etiam reliquimus; nunc ſatis ſit probaſſe Voluntati partem eſſe Iraſcibilem etiam concedendam.

Augetur difficultas exemplo Spei, & Charitatis.

Remittitur ſolutio ad Phyſicos.

Quæ

Quæ etiam si ad finem tendat; mediorum tamen impedimenta nullo potest modo præterire. Quæ quidem pars nisi spiritualis esse possit, atque adeò menti ipsi concedi; sanè neque Deo Optimo maximo in scripturis ipsa, aut eius similitudo apponeretur. Quæ & Deum irasci, & excandescere contra homines frequentissimè docent.

Irascibilis est in Voluntate.

Ex eo quod in Deo per similitudinem ponitur.

SECTIO II.

PERTVRBATIONVM PROPRIVM SVBIECTVM ASSIGNATVR.

An id Appetitus sensus solum, vel etiam rationis. Progressus facultatum animæ ad excitandas Perturbationes descriptus. Obiecta, quomodo Voluntati proponuntur. Quando erga illa hæc mouetur. Quot motus excitantur in hoc progressu. In quo motu sint Perturbationes. In sensitiuo certum est. An in rationali? Negat Piccolomineus cum Platone, & Pythagora. Explicatur. Et refellitur primum experiētia. Virgilio lux. Tum ex eodem acuta sententiæ confirmatio. Tertio ex fine Voluntati humanæ proprio. Quarto ex Aristotele, & Platone. Quinto ex Angelorum casu. Quid superbia. Sexto ex eiusdem Angeli pœna. Quæ dolor est in Voluntate contra Aegidium.

IN statuendo Perturbationum Subiecto non leuis profectò est difficultas. Num illud, scilicet sit facultas ipsa Sensus appetens, quam sæpè assignauimus, aut etiam aliqua ex parte Voluntas rationalis. Ad quod pauca quædam prius sunt de ipsarum Perturbationum ortu præmittenda. Excitantur igitur Perturbationes hoc ferè modo. Primum facultas sentiendi, seu ex quinque externis sensibus vnus aliquis, propositum sibi obiectum sensatione facta percipit; vt Visus colorem, Auditus sonum; tum hæc sensatio facultati Imaginatiuæ, postea Sensitiuæ appetenti se se offert: hinc Intellectui Agenti, vt dictum est, vnde ad facultatem Rationalem intelligentem peruenit. Demum obiectum per tot aditus admissum in Voluntatis penetralia ingreditur. Sunt hæ duæ postremæ facultates nempè intelligendi, & volendi valdè inter se coniunctæ; nām Appetens vis cum ex se sit cæca, nisi à facultate cognoscente excitaretur, nihil prosequeretur, aut vitaret. Cui facultati obiectum sub veri, vel falsi ratione respondet; appetenti verò sub ratione boni, vel mali, iucundi, aut molesti; sed Cognoscens non excitat appetentem ad obiectum suum, si illud tanquam verum, aut falsum solummodò cognorit, verum illud ipsum iudicat vt bonum, vel malum, delectabile, aut noxium, non

Num facultas sēsitiua an etiam rationalis.

Quomodo oriantur Perturbationes.

Primum anteit operatio sensus externi circa obiectum.

Tum facultatis imaginatiuæ.

Postea facultatis sēsitiuæ appetētis.

Hinc intellectus agentis.

Vnde itur ad intellectum intelligentem.

Demum peruenitur ad voluntatē.

Quomodo obiectū Voluntati proponatur.

Quando Voluntas erga obiecta mouetur.

absolutè quidem, & vniuersaliter; sed peculiariter nobis, vel nostris rebus, tunc inquam excitatur Voluntas in adeptionem eius, vel fugam: in qua quidem excitatione spiritus nostri vitales alterantur, & permutantur, corpusque ipsum quodammodo afficitur: denique vis ipsa Cognoscens vna cum appetitu dirigit instrumenta corporalia ad eamdem consequutionem, vel fugam. Atque in vniuersum, hoc quidem ordine; sex subordinatos motus perspicimus. Primum in Sensibus externis; secundum in Imaginatione, seu Phantasia; tertium in Appetitu Sensitiuo; quartum in Corporis spiritibus, organis, aut instrumentis; quintum in Intellectu; sextum in Appetitu Rationali, seu Voluntate. In primo quidem secundo, quarto, & quinto nullatenus Perturbationes existunt: nam illi has vel antecedunt, vel consequuntur. Reliqui duo tertius, & sextus sunt motus appetentium facultatum, in quorum vtroque, aut alterutro certum est Perturbationes consistere, & de sensitiuo Appetitu cum per se satis, & ex dictis manifestè constet, de altero nobis disserendum restat.

Vltimo commouentur organa corporalia ad Obiecti consecutionem, vel fugam.

In quo motu ex dictis consistunt perturbationes.

In sensitiuo certū est consistere, & in eius appetitu.

Quæritur an etiā in rationali.

Piccolomineus in appetitu solo Sensitiuo collocat, tamquam in subiecto: appetitum Rationalem caussam solum, & directorem perturbationum facit; quæ fortasse antiqua fuit Pythagoræorum, & deindè Platonis, tum etiam aliorum opinio. Sanè si nomina vocabulaque spectemus perturbatio, passio, perpessio corporeorum affectuum, & motuum sunt, si verò rem consideremus, nequaquam. Nam affectus, seu affectiones, quocumque demum nomine appellentur Amoris Odij, Timoris, Doloris, Iræ, &c. siue recta ratione ordinati sint, siue inordinati, & modum rationis excedentes in Rationali etiam appetitu existere docuit experientia. Et quamuis Poeta corporeo appetitui has adscribat affectiones.

Piccolomineus in solo sensitiuo asseris esse tanquam subiecto. Rationalem esse solum directorem perturbationum. Decisio est consistere etiam in rationali perturbationes.

Etiamsi corporeæ dicantur esse. Virg. Aeneid. l. 6.

Igneus est illis vigor, & Cælestis origo
Seminibus quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus moribundaque membra
Hinc metuunt cupiuntque

Vbi ex commistione cum corpore vides Metum, Cupiditatem, in Animam oriri; tamē vt verum sit Perturbationes in Anima non existere nisi corpori vnita; non propterea necessè erit, concedere eas in solo Sensitiuo appetitu generari. Sicut enim neque Intelligere, nisi in Corpore potest, & tamen sola intelligit ratione; ità etiam si Anima nō perturbatur nisi intra Corpus, potest in Voluntate esse Perturbatio.

Explicatur Virg.

Sed vt etiam, cum Poeta respondeam, an non ille animas extrà corpus degentes, huiusmodi affectionibus, & perturbationibus subiectas fecit?

Qui perturbationes in animabus separatis ponit.

Proxima deinde tenent mæsti loca.

Ecce

Ecce dolorem, seu mœrorem.

Illa solo fixos oculos auersa tenebat
Tandem proripuit sese atque inimica refugit

Virg. Aeneid.l.6.

En Didonis odia in Æneam

Circumstant Animæ læua dextraque frequentes
Nec vidisse semel satis est.

En Troianorum amores in Eumdem.

At Danaum proceres Agamennoniæque Phalanges,
Vt videre virum fulgentiaque arma per vmbras
Ingenti trepidare metu, pars vertere terga.

Ecce Græcorum metum; & fugam à Troiano duce denique

Curæ non ipsa in morte relinquunt.

Idem ibid. Poetis missis.

Sed Poetarum fauore vti nolumus, neque enim magni ponderis rationes, nec grauissimorum virorum auctoritates desideramus; qui velint Perturbationes in facultate appetendi Rationali hoc est in Voluntate rationis compote etiam consistere. Quod enim necessarium sit vt in ea quoque inueniantur, ex eo satis conspicuè cognosci posse arbitror, quod Perturbationes ex facultate Rationis experte procedentes, communes homini sunt, & bestijs: ille verò nedum his, sed alijs quoque, ac vehementioribus perturbationibus est obnoxius. Neq; enim quæ ad suũ finẽ consequendum euitandumque illa omnia, aut acquisitioni possint officere, quæque etiam ab eodem fine vel abducunt, vel retardant, sed vel citra modum, & rationem molliores, vel vltra ardentiores, aut aliorsum abeuntes Perturbationes ipsum perturbant. Quæ cum hominis sint propria, oportet vt per propriam quoque ei competant facultatem, quæ est Voluntas.

Probatur in Voluntate esse perturbationes.

Ex fine hominis peculiari supra ceteras animantes.

Et ab Aristotele, & Platone non vno ferè loco perturbationes Menti etiam tribuuntur. Nemo, inquit, Plato nescit, quanta sint, quæ humanam rationem agitant, atque perturbant: adeò vt humanæ sapientiæ duces hominem cæteris animantibus miseriorem esse, quia pluribus Perturbationibus, quasi ventis exagitetur, affirmare non dubitauerint. At quæ nam esse queant plures, huiusmodi vehementioresque hominis propriæ perturbationes: si in ea parte quæ solius hominis est Voluntate, scilicet, nulla prorsus perturbatio consistit?

Ex auctoritate Arist. & Platon.

Sed vlteriora, Philosophis quoque prætermissis, delibemus, & quidem quærò, quodnam fuit Angelorum peccatum? non ne Superbia? initium enim omnis peccati Superbia: ità est, & cum apice Theologorum D. Thoma sentio. Sed audi Augustinum: *Superbia est inordinatus excellentiæ appetitus*: & Appetitus quidem excellentiæ in genere suo valdè spiritualis est, adeoque naturæ Intellectuali, aut Rationali maximè proprius. Quod si appetitus hic vehementissimus in Angeli Voluntate fuit: fuit etiam in illo ea res,

Eccl.10. Probatur ex Theologia in peccato Angelorum.

aut

aut affectio, quæ cum est in homine, solet perturbationis nomine nuncupari? Et quæ itidem est Angeli damnati pœna? Dolor, at hic est in Appetitu Rationali Voluntatis, & falsò Ægidius Dolorem in Intellectu Dæmonis existimat esse ponendum. Sed si placet agamus paulò fusius id quod veluti per transennam inchoauimus de malis Spiritibus.

Item in pœna eorumdem.

SECTIO III.

IN DÆMONIBVS NVM SINT PERTVRBATIONES.

Poetis, obnoxij sunt. Amori præsertim, & inhonesto. Credo quò licentius homines tanto exemplo peccare docerent. Sed an ament amore naturali honesto? videri ex varijs effectis. Sed falsò nam omnia in damnum ex Basilio. Dæmon pardalis est. Ex Tertulliano. Iuuando lædit. Etiam cum maximè prodesse apparet. Exemplo ostenditur. Præclarum Catonis dictum de Græcis in Romanos. Aptatur Dæmoni in homines. Cur opicos Græci Latinos vocarint. Ananiæ dictum de natura Dæmonum. An hi in hominem odio ne, an ira feruntur. Odij, & Iræ effecta diuersa. De Asmodæo Saræ in Tobiæ libro. De Genio Socratis vtroque vel malo, Vulgata lectio in libro Tobiæ defenditur. Græca explicatur. Maximus Tyrius erroris conuincitur. In Dæmone ne vmbra quidem Virtutis. Sed num suos in malo adiutores amet? vllo modo. Assentitur quidam, sed reprobatur ratione auctoritate, exemplo. Dæmon homini Lupus.

SI Poetas, vel antiquissimos legamus nihil frequentius occurret, quam Deos (nam *Dij eorum Dæmonia*) nunc Ira nunc Spe, nunc Odio, vt plurimum verò Amore, & hoc incestuoso agitari, quæ credo de suis Dijs illi manifestarunt, vt nobilissimo exemplo docerent hominem impudentius licentiusque peccare.

Psal. 95. Poetæ Perturbationibus obnoxios fecere suos Deos.

Terent. Eunuch. Actu 3. Scena 5.

Supectans tabulam quandam pictam: ibi inerat pictura hæc, Iouem
Quo pacto Danae misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id spectare cœpi: & quia consimilem lusærat
Iam olim ille ludum, inpendio magis animus gaudebat mihi;
Deum se se in hominem conuertisse, atque in alienas tegulas
Venisse clanculum per impluuium fucum factum mulieri.
At quem Deum? qui templa cæli summa sonitu concutit.
Ego homunicio hoc non facerem? ego illud vero ita feci, ac lubens.

Sed peculiaris nunc ante oculos quæstio sese offert de Amandi affectu. An scilicet ament Dæmones aliquando hominem, amore quo-

quodam naturali, vt amicus amicum, aut beneuolentia quapiam in illum ferantur, vt hoſpes in hoſpitem, neque enim nunc de turpi amore, atque inhoneſto ſermo mihi erit vllus: & miſſos hic iure facio Poetas, & Pictores, quibus quodlibet audiendi ſemper fuit æqua poteſtas. *Horat.*

Amorum incendijs illos aduri, teſtari poſſunt ipſi ijdem, dum quoſdam à periculis imò, & à peccatis defendere ſe iactant; dum Theſauros, & pecunias oſtentant, offeruntque; dum ſeruiunt, dū miniſtrant, dum ea præſtant quæ ſunt amoris, & indicia, & illicia. *Videntur Dæmones poſſe amore percelli.* *Ex multis ſignis*

Quid quod eorum opera reuelantur, vt habet Tertullianus, & honores ingenia per quietem præſtantur, & medelæ produntur, & furta conferuntur, & Theſauri? *Tertullian.*

Sed apagè vt capitaliſſimos Dei omnipotentis hoſtes poſſe non malis amoribus capi putemus erga imaginem Dei eiuſdem ideſt erga hominem. Id vero ſic probatur. Hæc quæ vel amores eſſe videntur, vel amorum amuleta cauſsæ, aut effecta, in eum finem Dæmones dirigunt omnia, qui damnoſus ſit ſemper, & pernicioſus ei quem amare ſe ſimulant: Igitur ille non amor, ſed odium dicendum potius fuerat, & iurè Sanctus Baſilius Pardali feræ Dæmonem comparat, *quæ quia hominem odit, obiectam ſibi hominis imaginem maximo furore diſcerpit*, Et Tertullianus. *Eadem*, inquit, *induſtria etiam per beneficia fallentes, medicinarum, & admonitionum, & pronunciationum: quo magis lædant iuuando; dum per ea, quę iuuant ab inquiſitione verę diuinitatis abducunt.* *Sed minimè amāt.* *Quod probatur.* *Baſilius.* *Dæmon ſimilis Pardali.* *Dum videtur iuuare nocere intendit.*

Iſtiuſmodi eorum perfidiæ intentionis, adeò exemplis, euentibus, experimentiſque veritas conſtat, vt nullus ſuperſit dubitandi locus. Quòd ſi quandò ad eorum opera nullus cōſequutus eſt huiuſmodi malè ominatus exitus; id verò accidit, vel quia Deus telam hanc quam Dæmon ordiebat, perfici nequaquam permiſit, vel quia ſequutus eſt quidem; ſed nondum homini factus palam; vel tandem quia in altera vita ſecuturus expectatur.

At ſunt inquies Dæmones quidam quibuſdam mitiores, humaniores, & facilioribus vt ità dicam, moribus, nullam præ ſe ferentes damni inferendi libidinem, multam benefaciendi, notum eſt illud Dæmonis cuiuſpiam Paredri, qui cum diu Militi fideliter miniſtraſſet de mercede pacta, atque accepta conflari iuſſit æs campanum, erigique altius in Æde quadam ſacra ad conuocandos diebus Dominicis ad ſacrum cætus. Vides Dæmonis non mali bonam indolem? Sed fugite *Dæmones quoſdam bonis eſſe moribus.* *Exemplum ex Delrio.*

O pueri fugite hinc latet anguis in herba. *Virg. Eclog.*

Haud dubiè inquit Del Rius, *latebat fraudis aliquid, & ſpes lucri maioris affulgebat*. Mirandum quoque nihil mali intuliſſe Militi. Vix vnquam Paredri ſine dominorum noxa ſolent recedere. *Satisfit obiectioni.*

Præ-

Præclarũ de Dæmonibus dictum. Plin. Hist. lib.

Præclarè hic inseri potest id, quod de Græcis præcipuè de medicis dicere solebat Cato ad Marcum filium suum scribens. *Vincam*, inquit, *nequissimum, & indocile genus illorum, & hoc puto Vatem dixiße: Quandocumque ista gens suas litteras dabit omnia corrumpet: tum etiam magis si medicos suos huc mittet, iurarunt inter se barbaros necare omnes medicina; sed hoc ipsum mercede faciunt, vt fides ijs sit, & facile disperdant. Nos quoque dictitant Barbaros, & Spurcius nos quam alios Opicos appellatione fœdant*. Hæc Cato. Et sanè hi Spiritus nequam omne hominum genus, & præcipuè Christianos disperdere coniurarunt, & nunquam illos nomine tam Illustri appellant, sed semper aliquo alio insulso, aut turpi, vt Romanos Greci inhonesto vocabulo Opicos appellabant, de qua vocabuli turpitudine lege apud Turneb. Quamobrem autẽ id Romanis Græci appingerent vide apud alios.

Turnebus l. 10. c. 12.

Ananias. Alter altero peior.

Cæterum vt docet Ananias cum huiusmodi Dæmones non omnes æqualis sint potestatis, neque vnius etiam malitiæ, licet omnes sine vllo discrimine, nihil nisi exitium semper struant, haud æqualiter malas ab illis operationes exerceri contingit; sed vnus alio nequior, & in malefaciendo artutior, atque ita vnus aliquandò Diabolus multa ad aspectum beneficia confert, diutius beneuolentiam simulat: alter altero præcipitantior manifestarius inimicus statim ad damna deuolat.

An Dæmon iratus homini, vel Inimicus. Arist. lib. 2.

Sed inimicus ne homini est Satan an iratus? vel irascitur ne illi, an odio illum habet? nam inter duo hæc multum ponit discriminis Aristoteles, & effectus odij, & iræ hos ille memorat.

Odij, & Iræ effectus diuersi.

Quod hæc contrà eos excitatur, qui nobis aut rebus nostris nocuerunt, illud in eos etiam qui tales minimè sunt. Ira semper est aduersus singulos, ut Socratem Calliam. Odium etiam aduersus genera; & Ira quidem sanabilis est tempore, Odium vero insanabile. Illa molestia afficere appetit, & sentiri vult; hoc malo inferendo gaudet, neque sentiri curat. Præterea Iratus cum nocet, molestia afficitur minimè verò qui odit. Et Iratus si multa faciat tandem miserescit. Hic verò nunquam; nam ille rependere iniuriam, & veluti talionem vult reddere; hic autem hominem omninò non esse. Hæc ex Aristotele ex quibus manifestum est quo affectus genere pessimi isti spiritus in hominum genus ferãtur. quos nomine Inimici hominis zizania superseminantis intellexit, Christus dominus in Euangelio.

Dæmõ inimicus, & odio habens hominem.

Thob. c. 6. Obiectiones ex duobus exemplis. Asmodæi Saræ Et Genij Socratis Apule. de Deo Socr.

Sed duo hic iurè facessere non nihil negotij videntur. primum ex historia Thobiæ, in qua secundum Græcam septuaginta interpretum editionem Asmodæus legitur Saram adamasse, conseruandamque suscepisse sua custodia pudicitiam eius puellæ, ne à quoquam violaretur. Alterum Socratis, vel genius, vel Dæmonium, vel Paredrus, vel Deus, varijs enim nominibus famosus est Dæmon iste Socratis apud Scriptores. De quo maximus Tyrius

rius sic habet. *Hoc præ reliquis à Dei huius colloquio, quem contemplatur mente, consequutus est Socrates. vt primò vitam suam honestè tanti comes numinis instituerer; alijs deinde, quoties necessitas ferret, sine inuidia se exhiberet.* Igitur amare hominem, & quidem honestè Dæmones norunt.

Tyrius dissertatione.

Verumenimverò neutrum ex allatis testimonijs, beneuolos esse Dæmones, conuincit: Ac propterea Cacodæmonas semper, an Dæmonas nunquam vocandos esse censemus.

Responsio Dæmonas semper Cacodæmonas.

Amores Asmodæi in filiam Raguelis Saram expuncti sunt in editione vulgata. Vnde probabilis coniectura fit, eorum mentionē à septuaginta nullam esse factam, sed aliquo post tempore, ad mētem scioli alicuius, ex Syriaco libro in marginem primum, deindè in textum immissos voluminis græci. Esto autem eadem ipsa verba sint ab ipsis interpretibus in historia apposita; non tamen tanquam vera accipienda sunt, sed tanquam à Tobia ità putante; vel secundū vulgi existimationem publico sermone vulgatam ab ipso Tobia, prolata; quod scilicet ex cæde illa septem virorum facta, vulgus inductum sit, vt crederet Saram esse in Amoribus Asmodæi. Quod ipsum suadent verba Tobiæ dicentis. *Audio quia, &c.* Legendus est Serarius. De Socratis Dæmonio solum id in præsentia dicam, quod ipse Tyrius de eodem addit illo, de quo loquimur. *Dæmon Sacratis simplex erat, priuatus, popularis, qui, cum aut flumen transire cogitat Socrates, reuocare etiam solet; aut cum Alcibiadem amare instituit; differre suadet; aut cum defensionem parat, nō permittit; aut cum mori statuit; non repugnat.* Hęc Tyrius, bonus videlicet Dæmon qui venenum, & cicutam suo familiari propinat, & vt mortem sibi voluntariam consciscat, suadet: bonus qui Alcibiadæos illos amores differendos censet, quò ardentius erumpant; & restinctu difficiliores euadant: bonus qui coli se volebat vt Deum; bonus cuius propositum semper fixum, vt malum inferat: cuius ad malum non solum prona voluntas, sed obstinata: lege Sanctum Thomam.

De Asmodæi amoribus doctrina

Serar. in Tob. c. 6.
De Socratico Dæmone.

Qui malus omnino.

Et ad malū obstinatus.
1. p. q. 64. nu. 2. ad 5.

An vero tandem in pessimis hisce spiritibus possit esse vmbra aliqua virtutis, aut bonitatis? nam tametsi amicitiam ijs, aut beneuolentiam, aut inclinationem ad benefaciendum negemus; tamen obstare videtur nihil quo minus speciem illis aliquam, simulacrumque virtutis concedamus. Verumtamen *Si quando,* inquit, S. Thomas, *aliquod bonū facit Dæmon, non tamen bene facit, sicut dum veritatem dicit, vt decipiat.* Hipærita est, & fallax, ac plenus versutiarum.

An in Dæmonibus vllum sit bonitatis vestigiū.

Minime:

Sed numne amore aliquo prosequatur Diabolus quospiam, quos habet administros, & adiutores suos ad scelera perpetranda inducendosque alios ad malum agendū? assentitur quidā, hos amari ab eo tāquā à venatore canes, & accipitres; à Piscatore retia, & hamos; à domino mācipia, & iumēta. Sed si spiritus hi nequā nullas ex peccatis, in qua inducūt, ex ruinis, in quas p̄cipitātur, ex dānis, q̄ inferūt, voluptates in se sētiūt; quos tādē amores erga eos habebūt ex vtili-

An eos qui illum adiuuāt ad scelera, amet.

Asserit quidam.
Iustin. in Tobiam

Negatiua respōsio.

O tate,

Probatio responsionis.

tate, atq; adiumẽto eorum ad hæc perpetranda? si nulla inter se dæmones amicitiæ, aut amoris habent vincula, quod ex Sancto Thoma colligitur; quem fouebunt amoris igniculum erga hominem illum? si dum eo ad malum vtuntur, ipsum magis ac magis reum Tartari faciunt; quem, si possint, illicò occiderent; quomodo amant? Venator canes à morbis, à damnis defendit, Piscator retia reficit, Dominus Seruo bona procurat, quid horum Diaboli præstant sagis suis? igitur neque amant. Sed amores simulant vafri.

Confirmatur exẽplo, & simili.

Fertur Lupum enutrisse Venator quidam, & ad ætatem adultam attulisse: Hic dormienti domino ad guttur inuadendum sæpe subsilijsse, & à cane proximo repulsus ab incepto recessisse, quod vt Herus aduertit, Lupum statim occidisse. Hoc est sagis, & improbis Dæmon, quod Venatori illi lupus, etiam si ei famulere, etiam si seruias; lupus tibi est, nunquam cicur, nunquam mansues, nunquam amicus, quod si homo homini lupus sæpè; vt est in prouerbio. Sanè Diabolus homini lupus vsquequaque.

SECTIO IV.

AMENT NE DÆMONES ETIAM INHONESTE.

Videtur quia hic amor summa perturbatio est, & testimonia sunt apud Scriptores luculenta. Vnde aliquando incubi aliquando succubi. Firmatur ex Scriptoribus in Genesim. Dæmones mundi muliebris inuentores ex Tertulliano. Locus ex Genesi explicatur. Et error Tertulliani, & aliorum ostenditur. Dæmon assumpto corpore mari, aut fœminæ permisceri quit. Sed nunquid generare? Libidine certè ferri nequit incorpus cum sit spiritus. Quod si videtur, simulat tamen in malum.

Primũm testimonium afferens. Pleni sunt Poetæ Amoribus Dæmonum inhonestis Lege Arnobium Tertull. Clementem tom. 1. 2, 3. bibliot. Secundũ testimonium est de incubis, & succubis. Delrius disp. magis l. 2. q. 15.

SEd num amoris passione Dæmones, inhonesti, & turpis erga mulieres, aut etiam viros tangantur; quam breuissimè inuestigemus. quia in amore isto summa perturbatio, & molestia inest. Dæmonem igitur perturbare posse videbitur. Et sanè si antiquorum Poetarum scriptis fides est aliqua præstanda, plena sunt eorum opera amoribus Deorum inquinatissimis. Legendus in hanc rem Arnobius, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Tatianus Assyrius, Athenagoras, Lactantius, Theophilus, Antiochænus, alijque Christiani Scriptores. Sunt etiam quæ & astruere videntur testimonia fæda scilicet illa, quæ à recentibus Scriptoribus narrantur; dum se Dæmones in incubos deformant modo, modo in succubos. Nos pro hac parte testimonium luculentum habe-

habemus multorum;dum verba quædam exponunt ex sacris litteris, legitur enim in Genesi. *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant*. Filios autem Dei plerique doctissimorum patrum Angelos intelligunt fuisse, siue bonos, siue iam factos malos: & hos aiunt deuictos fuisse puellarum amoribus lasciuis, ac sic, vel præuaricatos esse, cum essent boni; vel malum malo superaddidisse, cum fuissent mali. Audiamus quid in hoc argumentũ proferat Tertullianus tractans de habitu mulierum ornamentisque earum, *nam & illi* inquit, *qui ea constituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur, illi scilicet Angeli, qui ad filias hominum de Cælo ruerunt*, & paulo inferius. *Vtrum ne mulieres, sine materijs splendoris, & sine ingenijs decoris placere non possent hominibus, quæ adhuc incultæ, & incompositæ, & vt ita dixerim, crudæ, & rudes Angelos mouerant?* & paulo post. *enimuero, qui vtique interdum cogitabant, vnde cecidissent, & post libidinum vaporata momenta, cœlum suspirabant*, hæc & alia Tertullianus. Amant igitur Dæmones, minus quam honestas iubet, & forma humani aspectus capiuntur, alliciunturque, & voluptate perfruendi trahuntur. Quod si pro filijs Dei, non Angelos intelligendos, cum multis, & cum meliore etiam Patrum parte asseramus, sed homines scilicet probos, ac studiosos, aut viros nobiles, atque illustres, proptereaque filios Dei nominatos: aut quosdam de stirpe Seti ex Adam progeniti; nihilominus Tertullianus, & qui de Angelis hæc verba intellexerũt; id nequaquã intelligere, aut opinari potuissent, nisi Angelos in humani vultus, & corporis amores delabi posse existimasent. Nisi forte dicamus idcircò hos scriptores putasse in Angelis amorẽ hũc reperiri, quia existimauerint id in sacris litteris eo loco doceri, in quo quidẽ errarunt. Errarũt, inquã, nã pro filijs Dei homines accipiẽdos esse pleriq; oẽs cõmẽtatores asseruerũt vt dixi, quorũ in sẽtẽtiã eũdẽ esse iudicamus.

Tertium ex interpretibus loci sacræ scripturæ. Genesis c. 6.

Philo de Gigan. Iustin. apol 2. Clem. l. 2. strom. & alij Iustinus Athenagoras. Ambros. Tertullian. de habitu mulier.

Vera loci huius interpretatio.

Sed sunt qui omninò negent posse spiritus coniugio cum humano corpore permisceri. natura enim id fieri non potest, neque assentitur philosophia, spiritus corpore nudatos, amore fæminarum capi, aut ex eis generare posse.

Quidam negant posse Dæmones hominibus permisceri.

Hi Auctores si spiritus sine assumpto corpore intelligant, iurè negãt permisceri posse corporibus; iurè ẽt amore, desiderioq; coniugij, & fœminarũ ardere. Sed si assũptis eos in corporibus considerẽt rectè quidẽ amorũ perturbationibus capi negãt; sed dũ permisceri etiã posse inficiãtur, nõ rectè faciũt. hoc enim melior Doctorũ pars multis ducta argumentis euidentissimisque fatetur, Delrius, Torreblanca, & alij. non quod corporei vlla ratione sint, sed quod assumere illa ex aliqua materia, ac sibi circumdare possint.

Explicantur.

Hier. in vita S. Paul. Aug. l. 18 de ciu. c. 23. Isid. l. 8. c. vlt. Delrius l. 2.

Curiosior, & minus patens est quæstio, an per commistionem hãc generari proles in fœmina possint à Dæmone incubante, vel in spiritu corpus mulieris succubantis gerente, & à viro ineunte: qua-

An possunt generare.

Ab alijs quære.

Negatur Dæmones amare etiam inhoneste.

de re consule, si lubet alios.

Nunc quod nostræ rei est, nego spiritus hos nequam amore hoc libidinoso, & malo erga humanum corpus ferri vnquam, etiam si ipsi in corpore assumpto commorentur. nam corpus, siue anima informatum siue ea carens assumatur, nullam appetitu, vel sensu suo habet vim, qua possit excitare intellectum, aut voluntatem Angeli ad illius corporati vultus formam amandam. Si igitur spiritus secundum suam naturam passionum corporearum affectionibus nullis subiacent, neque cum corpora, siue aerea, siue mortua assumpserunt, ardere his ignibus poterunt, quorum corporum, ipsi quidem forma naturalis esse non possunt. Cuius rei occasione aliquid corporeæ passionis in se contrahere posse viderentur.

Ratio quia corpus assumptum non potest spiritum inclinare.

Quia non est corporis eius forma.

Quare videntur amare.

Vt noceant.

Phlegontem de rebus mirabilibus & alios consule.

Simulant ergo hos amores, & voluptates, atque delitias pessimi hi Dæmones, & vxorios, aut vxores se præbent homini, ea sola cupidine ducti, vt decipiant; vt in pessimorum genera scelerum detrudant, vt in errores contra rectam fidem, contra bonos mores, contra publicam humanamque viuendi rationem; contra publicum communemque virtutum rerumque publicarum statum adobruant. Lege varia de hac re exempla apud Scriptores. Sed vero ad principale nostræ inquisitionis caput redeamus: inuestigaturi an Dæmones aliquo alio perturbationis genere laborent.

SECTIO V.

NVM DÆMONES LÆTITIA, ALIAVE SIMILI PERTVRBATIONE AFFICIANTVR.

Platonici, & alij aiunt, quia corporales putant, sed vt falsum illud itidem hoc. Spiritus enim solis perturbationibus feruntur, quæ possunt in voluntate residere. Quarum quædam ab initio ruinæ, ortæ adhuc perseuerant. Num vero intendi, aut remitti aliqua in illis potest? Diuersi Dæmonum mores, Serenus Abbas apud Cassianum declaratur: an lætari ex occasione possint? semper tristes ob dissonantiam naturæ, ex pœnis quibus subiecti, ex memoria amissorum iugi. Num gaudere possint. Negant quidam, alij concedunt, sed cessaturos post Iudicium vniuersale. Fauet his Basilius Seleucianus. Infirmatur posterior opinio. Sententia, Dæmones lætari non posse. Ex odio in Deum, in homines summo, vel semper augescente. Ex odij natura. Elucidantur nonnulli sacrarum literarum loci de gaudio Dæmonum, Sancti Thomæ de hac re locus alijs inexplicatus, explicatur: Dæmon in malo desiderio insatiabilis. Risus Dæmonum, sed sardonicus, & exultatio simulata.

Pla-

PLatonici, & Christiani etiam aliqui Platonis doctrinam sectati existimarunt Dæmones corpore quidem contineri secundum suam naturam, sed tenui, subtili, insecabili. hi illis non dubitant suas adscribere perturbationum species; queis etiam circa aliud corpus versantur. Ceterum cum hæc opinio non reiecta solum, sed etiam grauiore sit censura reprobata, & Dæmones fatendum sit puros spiritus, nulla vllius corporis naturali consociatione detineri. Dicendum est sola eos perturbatione posse commoueri, quæ in spirituali eorum voluntate commoretur. harum autem perturbationum præcipuæ sunt, & perpetuæ, inordinatus excellentiæ amor, eius acquirendæ desiderium, odium erga Deum impedientem, inuidia erga hominem vt Dei imaginem, tristitia de suis pœnis, & suæ felicitatis habendæ desperatio.

Plato. Quidam corporeos esse Dæmonas censuere. S. Iustin. m. Apolog. ad senat. Apol. ad imper. Senesius de Bo-em. Sed omnino fatendum est esse omnino spirituales. Quibus sint perturbationibus subiecti.

Sed horum pleraque omnia ab initio, cum primum peccauere Dæmones, in eorum voluntatibus exarserunt; neque vnquam postea restincta sunt, aut refrigerata. Quæramus, an pro diuersis occasionibus, interdum ira percellantur, nunc vehementiore, nunc remissiore erga aliquem; num tristitiæ fluctibus interdum mitioribus, interdum etiam grauioribus opprimantur.

An nouis perturbationibus tangātur per occasiones

Huc faciunt varia diuersorum Dæmonum genera, diuersis, varijsque cōstantia moribus. de quibus latè Delrius. alij ignei, aerei alij sunt, & terrestres, & subterranei, & aquei, & grassatores, seu de die, seu de nocte, omnes diuersis studijs, aliqui animo hilariores, alij ferociores, alij mitiores, alij subiracundi, procaces alij censentur. De quibus apud Cassianum Serenus Abbas sic differit. *Tot autem esse in immundis spiritibus. quot in hominibus studia, non dubie comprobatur. Nam nonnullos eorum, quos etiam Faunos vulgus appellat, ita Seductores, aut Ioculatores esse manifestum est, vt certa quæque loca, seu vias iugiter obsidentes, nequaquam tormentis eorum, quos potuerint prætereuntes decipere, delectentur; sed de risu tantummodo, & illusione conati fatigare, eos potius studeant, quam nocere, & alia quæ persequitur eo loco Serenus.*

Varij Dæmonum diuersiq; mores. Delrius. Disquisit. magic. Cassianus.

In quibus Sereni verbis obseruandum docet Delrius illud (non delectari eos tormentis hominum) accipiendum comparatiuè scilicet non æque delectari, atque alij illi crudeliores delectantur. Verius enim est omnes omnino Dæmones optare quam grauissima hominibus mala inferre, si Deus permittat.

Expositio verborum Sereni per Delrium.

Sed enim verba Sereni Abbatis, & argumentum ipsum de quo nunc nobis sermo institutus est, suggerunt, vt inquiramus sentiantne aliquam voluptatis stillam aliquando pessimi hi spiritus; vel nulla planè vnquam hilaritatis guttula, & ad temporis momentum aspergantur.

An aliquando Diaboli voluptatem, aut hilaritatem sentiant.

Et sanè illis continenter ob oculos mentemque versari obiecta eorum intellectui, voluntatique ac demum naturæ dissonantia; circa

Primum semper sunt in tristitia. ex obiecto, quod habēt semper propositum.

Suadetur negatiua pars. circa quæ perpetua consideratione ferantur necessario, certum est. Quæ consideratio dolorem, atque tristitiam excitat vehementem ac perennem. Hæc tristitia ex alio etiam fonte mirum in modum augetur, nempe ex contemplatione, aut vt ita loquar, ex sensu pœnarum, queis subijciuntur, & culpa propter quam ijs sunt addicti. *Ex pœnis quas sentiunt.* Adde alium mæroris fontem perennem scilicet memoriam, & iugem bonorum amissorum, malorumque recordationem, in quibus tamquam omnino ad pœnam æternam damnati volutantur; *Ex memoria amissorum bonorũ.* his persuasi quidam negant posse in Dæmonum volũtatem voluptatis vllum riuulum illabi ex illa operatione, aut congressu, quem contra homines susceperint, exercuerintque: etiam si optatos exitus, euentusque sortiantur. *Quidam ergo negant posse hilarescere.*

Alij affirmant. Nihilominus sunt qui alteri parti, quæ affirmans est, faueant, graues, & doctrina præclari viri. Nam in Dæmonibus est desiderium alicuius rei consequendæ, quod sæpe quemadmodum ipsi intendunt, perficitur. At desiderij complementum, & rei concupitæ consequtio, sufficiens est gaudij, & delectationis obiectum. desiderium enim nullum esse potest, quin de aliquo bono, aut boni speciem habente sit: quod autem bonum excitat desiderium quando absens est; id ipsum, cum præsens sit, delectationem ingeneret aliquam necesse est. *Ex desiderio, quod habent, & eius complemento.* Plura in hanc disputationem lege apud Suarez. apud quem latè posterior hæc sententia tamquam priore probabilior confirmatur; & additur postremò, quod & Alensis docuerat, hoc qualecumque Dæmonis gaudium, quod nunc in illo locum habet, cessaturum esse post iudicium vniuersale quia postea cessabunt occasiones tentandi, complendique desideria aduenientia, quibus consequtis gaudium exoriri solet. *Suarez de Ang. Sed hoc gaudium cessaturum esse post iudicium.*

Claudamus hoc argumentum verbis Basilij Seleuciani præsulis, de casu prothoplastorum loquentis. *Ridebat forte Diabolus cum dedecore Dei conspurcasset imaginem. Tales enim Dæmonis sunt machinationes cum voluptate; sauciat; & accusat pudendum in modum ad ruinam impellit, & ruentes publicis ignominiæ notis consignat.* *Cofirmatur auctoritate. S. Basil. Seleuc. Or. 3.*

Examinatur id quod dictum est de die Iudicij. Ego vero vt fatear, vereor vt hæc posterior de tempore post iudicium coniectura vera sit; nam, tam etsi post iudicij diem occasio adimplendorum desideriorum desitura sit, memoria tamen adimpleti olim desiderij non deerit; & sicut ex completo desiderio delectatio aliqua, ita ex recordatione boni tum accepti nonnulla voluptatis titillatio exoritur, vt patet in homine. Quid ergo impedit, quo minus, post examen illud vniuersale voluptas in Dæmonibus ex memoria oriatur? *Videntur enim posse delectari ex memoria desiderij iã adimpleti.*

Non solum dæmones, sed damnati omnes. Adde quod sicut Dæmonibus ex memoria boni consequti delectationem innasci necesse est, vt hi volunt, ita etiam in damnatis omnibus etiam nunc ante iudicium, & postea peracto iudicio orientur continenter delectationes nonnullæ ex memoria bo-

ni olim comparati, & ex completione cupiditatum, quas quondam, dum in terris viuerent, habuere; non solum circa obiecta, quæ bona, & ex virtute essent, sed etiam quæ turpia, & sceleratissima fuissent: quantoque vehementiore consequendo libidine exarsissent, tanto ex memoria illorum consequtionis delectarentur amplius. Quæ omnia vera esse, negandum censeo. Non enim cum summa damnatorum siue hominum, siue dæmonum miseria, post iudicium præsertim, consociari potest vlla vmbra delectationis.

Quod absurdum est.

Si ergo boni accepti memoria ex adimpletione desideriorum, voluptatem ingenerare nullam potest, cur ipsa illius obiecti, aut boni apparentis concupiti assecutio voluptatem ingenerabit ante diem iudicij? quod si aliqua excogitari possit ratio per quam suadeatur, memoriam bonorum olim obtentorum nullius caussam esse posse voluptatis, hæc eadem, credo, suadebit, nullam ex adimpletis desiderijs emergere ante iudicium, voluptatem. Quamobrem priori ad hanc quæstionem sententiæ accedendum puto.

Ex hoc sumitur argumentum contra partem affirmantem posse Dæmones lætari.

Conclusio est non posse Dæmones hilarescere.

Sed assignanda aliqua ratio simpliciter etiam est, quamobrem Dæmonibus lætitiam, aut voluptatem adimamus omnem. Ea esto odium eorum in Deum, & in homines summum, & acerrimum, quod si non est summum; in dies, & in horas, immò & momenta crescit. Quoniam & pœna singulis momentis maior extensione, & diuturnitate efficitur: tum inuidia, quæ fomes est odij, nouas semper habet, recentesque caussas, quare etiam atque etiam adaugeatur. prosperitate, scilicet, Ecclesiæ triumphātis, militantisque; Dei gloriam quotidie magis ac magis se in operibus suis manifestantem. egregias virorum studiosorum virtutes, & res gestas insignes atque heroicas; & alia similia. Hoc itaque odium, atque inuidentia stimulant, atque vrgent vehementissimè Diaboli impiam voluntatem ad aggrediendum, enitendumque vt hominibus noceat; Deoque Optimo Maximo inferat iniuriam. Sed hoc inter iram, & odium distat, quia illa percellitur dulcedine, cum possit talionem retribuere; & quandocumque vlciscendo retribuit; hoc verò cum insatiabile sit, etiam si quod optat ex parte assequatur, nunquam vlla tangitur, edulcaturque instillatione voluptatis. Quamuis dæmonis voluntas in obiecti consecutione sibi satisfecisse videatur. Neque enim omnis actus voluntatis simplex per quem vult quispiam aliquid esse, quod est, gaudium statim appellari debet, vt inferius dicam.

Ratio ex odio Dei & hominum sūmo, vel in horas augescente.

Tum ex inuidia.

Quæ plurimas habet caussas.

Quid inter iram, & odium distat.

Quod odium voluptate non tangitur.

Extant contra nostram opinionem sacrarum litterarum sententiæ quædam, vnde confici videatur delectari Dæmones. *Non super gaudeant mihi, neque dicant in cordibus suis euge euge animæ nostræ deuorauimus eum, & ferant confestim confusionem suam qui dicunt mihi euge euge. Et auertantur statim erubescentes qui dicunt mihi euge euge.* Interiectio

Obiectio ex sacris litteris, quod Dæmones lætantur.

Ps. 34.
Ps. 39.

iectio, hæc repetita magnam exultationem indicat eorum, qui contra Dauidem insurgebant, solent autem hæc verba à commentatoribus de Christo patiente intelligi: de cuius captura, atque cruciatibus, ac demum de morte exultationem Iudæi præ se maximam tulerunt, & sibi inter se de hoc immani scelere gratulabantur.

Explicationes auctoritatum allatarum.

Adscribuntur etiam Dæmonibus, quorum & figuram, & personam gestabant Hæbrei. Euge autem eum in hoc loco sensum habet; quem in Plauto: eas legiones copiasque sumus, euge, potiti, & euge, Dij seruatum me volunt, quo vtroque loco magna animi exultatio demonstratur. Sunt & alia loca in quibus Inimici Dauidis, quorum nomine Dæmones accipiunt plerique, delectatione efferri posse videntur. *Nec delectasti inimicos meos super me, & nequando super gaudeant mihi inimici mei.*

Plaut.

Ps. 29.

Ps. 34.

Quamquam autem respondere quidã posset sacras litteras Dæmonibus attribuere eas affectiones, quas quidem non habent, sed quas haberent in talibus obiectis, & rerum euentibus, si possent; quosque alij habent, qui possunt. Vel de gaudio dæmonum eas loqui, quod phantasticum appellat alicubi Sanctus Thomas, & vmbraticum. nihilominus tertiam responsionem addamus nempè per effectum explicari à scriptura caussam ipsam, pro gaudio scilicet intelligere id, quod gaudium ipsum caussare in inimicis Christi possit ipsius videlicet mortem, & ignominiam perpetuam, qualem Diabolus, & Iudæi optabant, & adeptos se esse existimabant.

Responsio prima ad obiecta scripturas loqui sub conditione.
Respondetur secundo loqui de gaudio phantastico.
S. Thom.
Tertia responsio, per gaudium intelligi adimpletionem perfectam desiderij.

At Sanctus Thomas, inquiès, tale adscribit hisce spiritibus gaudium, qualem dolorem: Cum enim agamus de gaudio secundum quod est simplex actus complacentiæ in voluntate, quod scilicet velit voluntas rem non ita esse, quemadmodum est. vel ita esse, quemadmodum non est. Cum igitur verus in Dæmonibus dolor existat, vt patet, cur verum etiam non existit gaudium? quandoquidem sic possunt illi velle rem aliquam ita esse, quemadmodum est, sicut velle possunt non esse, sicut est.

Obiectio ex Sancto Thoma grauis

Huic argumento nequaquam satisfacere videntur partis nostræ asseclæ, tametsi multa afferunt, & reuera multam videtur ingerere difficultatem. Ego verò negarem Dæmonem vnquam velle rem ita esse, sicut est; aut vnquam rem esse, sicuti vult. exempli gratia. Tentauerit Dæmon hominem, & in peccatum precipitauerit: immo in desperationem: adde etiam intra tenebricosum Tartari Baratrum detruserit. an tunc ille vult eum hominem ita esse, sicut est? aut omnino homo ita est, sicut ille vult? minimè vero, et cur tandem? Quia adhuc mallet ipsum non esse, aut perire, aut in statu esse peiore, & hoc vellet vehementissime. Id enim proprium est summi odij vt velit rem non esse vt docet Aristot.

Cui non videntur satisfacere alij, qui nostram sequuntur sententiam.
Nostra responsio acuta.

ristot. Adde quod peruersi illi spiritus, & omni malitiæ fœditate conspurcati, non solum vellent rem, seu hominem eum nequaquã esse, sed in eius hominis interitu, ac damnatione Deum iniuria, contumeliaque affectum optarent. Qui quidem homo in tantum à Dæmonibus vexatus fuit, vt, scilicet, Deo ipsi contumeliam, quam quisque potuisset, vehementem facerent. Quòd tamen ipsis nunquã euenit. Igitur Dęmonis voluntas nunquam vult rem esse, ita, sicut ab illo posita est, nũq̃ igitur delectatur. Si cui hæc respõsio nõ arridet, videat quemadmodum ex D. Tho. desumptum argumentũ euadat. *L. 2. Rhet.*

Nam quòd aliqui asserunt summam tristitiam omnem voluptatis gustum expellere, non est tanti. Si enim voluptas est, rem esse, sicut illam esse vult Dæmon; & hominem videt in peccato existere sicut ille, & volebat, & per tentationem induxerat: certè voluptatis aliquid summis saltem labijs delibabit. summa autem illa tristitia, non impedit, quominus eius voluntas velit hominem in peccato esse sicut est, &c. *Expenduntur aliorum responsiones.*

Sed risisse illos, & cachinnum etiam solutiorem edidisse legimus, cum virum quempiam religiosum adigerent in peccatum etiã leue, & veniabile. Legimus etiam, de lapsu multorum, in suis cõciliabulis exultasse inter se victores, & à suo Principe laudes, & præmiũ victoriarum accepisse. Quasi verò non Sardonium risum, & exultationem simulatam Dæmones cierent, & nescirent simulare Gẽs vaferrima, & ad omnem astum, & dolum edocta. *Obiectio quod Dæmones riserũ.* *Dilutio obiectionis.* *Rosueid. in vitas PP. l. 3. n. 14. lib. 5. c. 54 & alibi.*

Difficilius illud est qua ratione desiderent tam vehementer hominis ruinã, qua tamen consequta non sint lætitiã, sed potius tristitiam hausturi. An quia tristitia si sũma sit cũ voluptate pugnat, cũ desiderio autem non pugnat? & bonũ prout est obiectum desiderij absẽs ita apprehendi potest vt placeat futurũ: adeptũ tamẽ non existimetur esse bonũ in tanta miseria? Hæc non videntur nedum soluere, quin immo potius inuoluere: si enim in ipso desiderio est quędam complacentia de futuro, cum spe acquisitionis, certe hæc sine aliqua delectatione esse non potest. Docet enim Aristoteles ad omnem iram consequi aliquam voluptatem, ex spe vlciscendi, *iucundũ enim existimare, se consecuturũ quod appetit*. rursũ paulo infra Idẽ Arist. *consequitur enim* inquit *voluptas quædam, & ex hoc, & ex eo quia versatur in vlciscendi cogitatione, quæ igitur tunc fit Phantasia voluptatem parit, vt quæ in somnijs.* Igitur cessat ratio, quando intentando homine ex spe victoriæ sua etiam exsugitur Dæmoni voluptatula. *Cass. coll. 8. cib.* *Quare Dæmones desiderent id ex quo dolituri sunt consecuto.* *Responsio prima. Reijcitur.* *Arist. Rhet. l. 2.*

Negamus ergo inclinationẽ illã tẽtãdi in malis genijs existere cũ vlla delectatione ex spe futuri, sed sine illa esse, ipsã autẽ inclinationẽ malefaciẽdi oriri ex inuidia, & odio cõtra Deũ, eiusq; imaginẽ, & aduersus diuina cõsilia ꝓuidẽtiæ, & p̃destinationis ipsius, q̃ duo in illis tãta, tamque vehemẽtia sunt; vt etiam si nullam in victoria sperent fore lætitiam, & nullam in spe victoriæ sentiant voluptatem *Responsio nostra.*

immo adaugeri ſibi fortaſſe ſentiant mærorem. aggrediantur tamen, & pugnam capeſſant, quod etiam ex mala eorum, & obſtinata naſcitur ad praue operandum voluntate. atque hæc de malorum Dæmonum perturbationibus ſatis.

SECTIO VI.

DE ORGANO PERTVRBATIONVM SENSITIVARVM.

Variæ auctorum opiniones in varijs corporis partibus appetitum iraſcibilem, & concupiſcibilem ponentium. Anima in homine toto vna, eaque rationalis. Suas facultates diuerſis in eius partibus exercens. Irati deſcriptio ex Horatio; ex Seneca. oculorum ex Plinio. ſunt qui in toto corpore diffuſas putant, ac in inſectis, quæ diuiſa appetunt. Ariſt. ſententia. In corde perturbationes. cur curæ dicantur. Ennius, contra quæ Manutius accipit, intelligendus, de cura ſub pectore. Virgilius explicatur. colores in hominis vultu varij, cur? cor aliorum membrorum vitijs non maceratur: id quare. cur inſecta ſecta appetũt.

CVrioſa quidem inquiſitio; ſed medicorum, ni fallor, aut etiã Phyſicorum propria, ideo eam quã breuiſſimè agitabimus. Porrò, qui hos diſtingunt appetitus poſſunt in vno, vel duobus organis conſtituere. Fernelius iraſcibilem in corde ſtatuit. quod etiam ſenſit Pythagoras; concupiſcibilem in iecore, quem ſequitur Claudianus, qui Prometheum iram in corde, in iecore cupidinem poſuiſſe aſſeuerat, quod & Nemeſius exiſtimauit. *instrumẽtum cupiditatis*, inquit, *quæ ex ſenſu naſcitur iecur eſt, Iræ Cor:* ſui autem dicti rationem affert, quia *cor pars dura, & vehementioris motionis capax ad grauia negotia, & difficilia, & ad contentum impetum deſtinata; quemadmodum contra, iecur pars mollior mollis cupiditatis inſtrumentum eſt factum.*

Cor iraſcibili tribuunt aliqui. Fernelius dialog. lib. 8. Claudianus lib. 4. de Conſulat. Honor. Nemeſius de anima facult. c. 16. Iecur Cõcupiſcibili.

Sed in iecore iram tanquam in ſede collocat Horatius.

Difficili bile tumet Iecur
Et meum iecur vrere bilis

Alij Iram in Iecore ponunt. Horat. lib. 1 ſer. ſat. 9.

Et alibi iram in ſtomacho poſitam à Prometheo ſcribit. Quod mihi in mentem reuocat Nemeſij opinionem, qui metum in ore ventriculi collocauit; ſed & in ipſis præcordijs iram quandoque ſitam cecinit Horatius.

Et in ſtomacho. vel in præcordijs. Horat. Epod. od. 11.

Quod ſi meis inæſtuet præcordijs
Libera bilis

Plutarchus ſic habet: *cum autem animæ, etiam Philoſophorum iudicio, pars ratione prędita in capite ſit collocata; altera ratione carens; cuius ea vis, qua iraſcimur, in corde ſedem habet: quę appetit in ventri propinquis*

Plutarchi lib. de Homero opinio de hac re.

quis partibus; videamus num nam ijs prius Homerus nouerit hoc discrimen. Atque ita Plutarchus late ex Homero prosequitur ostendere irascibilem quidem in corde; concupiscibilem vero in ijs quæ ventri sunt vicina consistere.

Sed illud omninò animaduersione dignum, hos scriptores, si existimarunt animam, quæ ratione sit prædita, in sola capitis parte vel arce commorari, non vero in reliquo corpore; in corde verò solo irascibilem animam; & in ventre concupiscentem, atque adeo tres esse has animas inter se seiunctas; hos quidem errore manifesto detineri. Vna enim anima est in homine, eaque rationalis; quæ tamen cum brutis in sensitiua portione conueniat, quæ anima cum secundum substantiam suam toto sit in corpore diffusa; suas tamen functiones, quæ multæ sunt, non in qualibet corporis exercet particula. in capite enim ratiocinatur, videt, audit, cogitat, non vero ibi ambulat, aut res ad se attrahit, sed in pede, ac manu; ita irascitur in corde, non in aure, concupiscit in ventre, aut alio membro particulari, &c.

Explicatur prædicti scriptores de Anima loquẽtes.

Anima vna in toto corpore.

Legendus Plutarchus de virt. moral.

Alij perturbationum omnium sedem cerebrum faciunt. Sic ille iracundum cerebrosum vocat.

Alij organũ perturbationum faciunt cerebrum.

Horat. lib. 1. serm sat. 5.

Donec Cerebrosus prosilit vnus
Ac mulæ, nautæque caput lumbosque saligno
Fustè dolat.

Et alter id affirmat *huc* inquit, *venarum omnis à corde vis tendit, hic desinit, hic culmẽ altissimũ, hic mentis est regimẽ, hanc habet sensus arcem.*

Plin. l. 11. c. 37.

Alij iram in toto corpore.

Quidam verò aliquis tibias, alter genas, vt mirum non sit, quosdam per totum animalis corpus esse diffusas existimasse. Si Venusino credimus, ira in tota anima, totoque residet corpore licet præcipue in iecore.

Difficili bile tumet Iecur

Et addit.

Horat. carm. lib. 1. od. 13.

Tunc nec mens mihi nec color
Certa sede manet: humor & ingenas
Furtim labitur, arguens.
Quam lentis penitus macerer ignibus.
Vror seu tibi, &c.

Vides iã irã in iecore, in mente, in vultu, in genis, in corde. Sed & audi iratũ à Philosopho descriptũ. Flagrãt, & micãt oculi; multus ore toto rubor exæstuãte ab imis præcordijs sanguine; labia quatiũtur, dẽtes cõprimũtur; horrẽt, & subrigũtur capilli, spiritus coactus, ac stridẽs; articulorũ seipsos torquẽtiũ sonus; gemitus, mugitusque, & parũ explanatis vocibus sermo præruptus; & cõplosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totũ concitum corpus, magnasque minas agẽs. fæda visu, & horrẽda facies deprauãtiũ se atque intuentiũ.

Senec. de Ira lib. 1. c. 1.

At miror certe neminem in oculis hosce appetitus constituisse,

Mirum quod non in oculis.

Cicero in Verr. lib. 5. act. 2.
Plinius l. 11. c. 37.

nisi fortè huc respexerit, cum dixit *Inflammatus scelere, & furore in forum venit. ardebant oculi: toto ex ore crudelitas emicabat.* Si Plinio credimus, *non aliunde maiora animi indicia cunctis animantibus. sed homini maxime. idest moderationis, clementiæ, misericordiæ, odij, amoris, iustitiæ, lætitiæ. contuitu quoque multiformes, truces, torui, flagrantes, graues, transuersi, limi, submissi, blandi. Profectò in oculis animus habitat. ardent, intenduntur, humectant, conniuent. hinc illæ misericordiæ lacrimæ. hos cum osculamur animum ipsum videmur attingere.*

Quædam opinio de organis perturbationum reijcitur

Verum enimvero haud mihi solida eorum ratio videtur, qui velint in ea corporis parte perturbationem, aut appetitum residere; quo commoto etiam, & illa moueatur; vt enim menti subiectus est appetitus ita corporis etiam pars obedire, ac obsequi præparata quæcumque.

Argum. pro ponentibus illas in toto corpore ex Insectis.
Plin. l. 11. c. 1.
Quid sint insecta.

Lepidum sanè pro opinione perturbationes in totum corpus diffundente, argumentum occurrit ex insectis deductum. Quæ, quauis parte decisa, sentiunt, appetunt, & pungentibus irascuntur. Sunt autem insecta Plinio, animantia, ita appellata ab incisuris, quæ nunc ceruicum loco, nunc pectorum, atque alui præcincta separant membra tenui modo fistula cohærentia. sic sæpe, cum pueri iactu lapidis caudam lacertæ à reliquo corpore separauerint, illa mouetur, & semianimis micat, & contra pungentem torquet se; & se, ac vitam tuetur.

Sententia Arist. de organo perturbationum.

Sed quænam fuerit sententia Aristotelis, est inuestigandum, vt commode huic satisfaciamus argumento. Quidam ergo negant ab Aristotele dictum, qua in parte corporis appetitus, appetitionesque resideant; posse ex eo tamen colligi, quod in corde. Vnum Nos Philosophi locum assignabimus, ex quo omnia perdiscamus. Cor statim omnium partium primum existens sanguinolentum est, motus etiam lætitiæ, ac tristitiæ, ac omnium denique sensuum hinc oriri, eodemque desinere videntur. ratione quoque itá esse probatur. Principium enim vnum esse oportet, vbicumque fieri potest. Altissimus autem omnium locorum medius est. Medium enim vnum est; & tale, vt vndique attingi, vel neque, vel proximè possit. hæc qui paulo superius ad hæc, dixerat, in medio cor positum est, sed magis superius, quam inferius, & parti priori admotius, quam posteriori. natura enim rem nobiliorem constituere in locis nobilioribus solet; nisi quid maius impediat. Cordis hunc esse locum latissime in homine patet. Sed in ceteris quoque animalibus pári ratione tenere sibi vult medium corporis necessarij. ex his vides quomodo in corde omnia ponat Philosophus præsertim verò perturbationes, & appetitus.

Arist. l. 3. de partibus animalium c. 4.

Aristoteles.

Arist. cor est perturbationũ sedes.
Perturbatio quare latinis cura dicta.
Varro l. 5. de ling. lat.
Festus Verb. cor.
De senectute.

Profectò à Latinis rectè perturbatio curæ nomen est sortita, quasi cor vrat, in quo residet; ad quam ethimòlogiam allusisse Ennius apud Ciceronem videtur.

O Ti-

O Tite, si quid ego adiuro, curamue leuasso.
Quæ nunc te coquit, & versat sub pectore firma;
Ecquid erit pretij?

Sub pectore cura est, idest in corde, vbi vrit. Manutius sub pectore, postrema, seu infima pectoris parte, ore scilicet stomachi accipiens errauit: neque enim hoc loci idest infra pectus, seu extra pectus: sed intra pectus, aut subter pectus. Manutij error. Explicatio Ennij.

Est mollis flamma medullas.
Interea, & tacitum viuit sub pectore vulnus. Virgilij Aen. 4.
Vritur infælix Dido.

Annoto hoc vulnus illud esse, quo amor in Iulum conuersus percusserat Didonis

Iampridem resides animos desuetaque corda. Aeneid. 1.

Igitur non infra pectus cor, sed in eo, sub quo tegitur. iam vide autem vt cordatissimus Poeta noster hanc amoris perturbationem, curam, velut in corde existentem vocet.

At Regina graui iamdudum saucia cura
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni

Igitur cor subiectum, atque organum est appetituum, & perturbationum, à quo deinde ceteras in partes corporis, per transmissos spiritus veluti diffusæ varias cient motiones, alterationes, & diuersos colores inducunt. quæ varietas in sanguine, eiusque mutatione perspicitur. Cuius vis ad singula momenta in homine mutatur ad singulos animi habitus. pudore, ira, metu, palloribus pluribus modis, item ruboris. alius enim iræ; & alius verecundię. Nam & in metu refugere, & nusquam esse certum est: multisque non effluere transfossis; quod homini tantum euenit. Itaque non est mirum, naturam cor, viscerum aliorum vitijs, morbisque macerari noluisse; nec vitæ supplicia trahere, vt ait Plinius. satis habet pænarum, ac morborum, quibus continuè maceretur ex æstuantibus in ipso perturbationibus. Statuitur sedes perturbationum Cor. Vnde fit colorum in homine mutatio. Pl. l. 11. c. 38. Pl. l. 11. c. 37. Quare cor non laboret vitijs aliorum viscerum.

Sed quid ad insecta, quæ in hunc locum transtulimus? de his hæc docet Philosophus. *Omnium tres partes communes sunt, caput, Aluus, & quod inter iacet, quodque in ceteris pectus, & dorsum est, vnum id, quod interiacet magna ex parte est, quæ tamen sunt longa, & multipeda, ijs ferè totidem sunt quæ interiacent, quot incisuræ. Vnde etiam diuisa viuere, atque appetere possunt; exceptis ijs quæ vel admodum frigent. cum in vna quaque incisura sit quid pectoris, aut cordis instar. in quo & vita, & appetitus, & perturbationes residere queant.* Ita Aristoteles argumẽtum luculenter dissoluit. De insectis agens Edoardus Vuestonus sapienter dixit, quod pars illa, quæ cordi proportione respondet, inter caput, & aluum est. quæ & si magna ex parte simplex est, in nonnullis tamen est multiplex; vt Iulis, & similibus prælongis. quo fit, vt præcisa viuere possint. quod in cæteris animantibus per- Soluitur argumẽtum ductum ab insectis per Aristotelem. Quomodo insectis insit cor. Edoardus Vuest. l. 9. de diff. anim. c. 199.

perfectioribus nequaquam contingit, quorum cor in pectore solo est.

SECTIO VII.

PERTVRBENTVR NE PLANTÆ.

Asseri potest ex aliquarum amoribus inter se, aut odijs. Manichęorum, & Erasmi stulta opinio. quæ Manetis eorum principis: animos hominum transmigrare in animalia, & plantas, quod & Empedocles. quæ & Pythagoræ Anaxagoræ, & Democriti: Empedoclis carminum varia lectio. non à Christianis solum, sed ab Aetnicis Philosophis deridetur. numerantur multarum plantarum sympathiæ, & antipathiæ. Cardanus reijcitur. Plantæ non proprie habent sympathias. Rursum de quibusdam plantis, attactus fugientibus, quas quidam plantanimalia vocarunt, & perturbari dixere cum Aristotele, & Platone, & Plinio. Sed falsò. Aristotelis vera sententia. reijciuntur aduersarij exemplis quibusdam. de fascino mira; ex quo argumentum, & declaratio nostræ sententiæ. de spongijs Erasmi argumentum irridetur, & serio ex consequentibus.

HOc idem est, ac quærere, an sentiant, & appetant: an sint animalia, aut duplici fruantur animi portione, aut genere: vegetantis scilicet, & sensitiuæ? quam quæstionem Aristoteles studiose exagitauit.

l.1. de plãtis c.1.

Affirmari autem id posse videtur saltem de quibusdam plantis; ex amoribus, odijsue inter ipsas mutuo existentibus: & ex contractione, distensioneque quarumdam repentina: quo quidem errore allucinati sunt Manichæi, quos longa post tempora Erasmus vt malus malos sequutus est, existimantes, vt Augustinus affirmat, arbores anima sensitiua præditas. Suidas refert Manetem eorum antesignanum animarum in alia corpora transmigrationem docuisse, & alia græcanica. & Prateolus discipulos Manetis scribit etiam elementa animata fecisse, quod & Sanctus Gregorius Nissenus de ijsdem Manichæorum delirijs docuit. ideoque nulli dubium, etiam in plantis, arboribusque animas posuisse. & valde quidem verisimile est, hæc de arboribus sensisse Manetem, vt qui Empedoclis disciplinam fuerit sectatus. Hic autem stirpes sensibiles fecit, adhæsit vero Pythagoræ; cuius discipulus fuit; qui animarum in alia corpora transmigrationem, & animatas plantas existimauit. vt docet Aristoteles. quod etiam de Anaxagora, Democrito, Empedocle testatur. Et Empedoclis quidem de hac re ex-

Pars affirmans prior ex amoribus & odijs aliquarũ plantarum.
Hic error fuit Manichæorum olim, postea.
Erasmi.
S. August. l. de moribus Manichæorũ c.17.
Suid. Manes
Prateol. 5. Manichæi.
Nissenus serm. 1. de anima.
Manes asseclã Empedoclis.
Empedocles Pythagoræ.
Aristot. l. 1. de plant. c. 2.
Hic plantas fecit animatas.
Vt alij etiam Philosophi.

extant carmina apud Clementem. Clem. Str 6.

Ipse ego namque fui, puer olim, deinde puella,
Arbustum, & volucris, mutus quoque in æquore piscis.

Quæ etiã à Laertio in Empedocle, & ab Athæneo laudantur non nihil differenter. quem enim Clemens mutum, ait, in æquore piscem; illi ignitum, seu coctum habere videntur, vt benè aduertitur in collectaneis ad Clementem. nostro tamen proposito nihil prodest, aut obest varia hæc lectio. Habemus autem ex opinione Empedoclis animatas esse plantas, ac propterea affectionibus subiectas. Et hæc quidem istorum hominum crassissima stultitia non solum à Sanctis Patribus est reiecta, ac derisa; sed & ab ipsis antiquis Philosophis, qui aliquid cum ratione, & intellexerunt; & cum iudicio expenderunt. lege Tertullianum, & in eum Pamelium.

Laertius in Empedocle. Athen. lib. 8. in fin. Falsa omnino opinio, & risu digna. Tertullian. lib. de anima c. 32. Pamel. notat. 32.

Iam ad id, quod ex sympathia, & antipathia desumitur argumentum, mirabile est, quantum quædam eiusdem speciei arbores sese inuicem ament. adeo vt nisi se quodammodo contingant, fructus suos, aut non edant, aut non educent, aut non maturent. Ficus sine caprifici adiumento abortum facit. Pistacea sine Pistacij vicinia inanes nucleos habet. Palma sine mare sterilis. Imo herbis etiam vtrumque sexum esse diligentissimi naturæ vestigatores tradidere.

Sympathia aliquarum plantarũ. S. Ambros. in Examer. Plin. lib. 15. c. 19. l. 13. c. 4.

Contra aliæ, quam se se oderunt implacabiliter? Olea, & Quercus; Brassica, & Vitis; Cucumis, & Olea. Præter hæc, aquas odere Cupressi, Iuglandes, Castaneæ, Liburnum, easdem amant Salices, Populi, &c. quæ passim apud plures inuenies.

Aliarum Antipathia. Cardanus. Mathiolus. Mizaldus. Durerus.

Quibus persuasus Cardanus quamdam sensus imaginationem plantis adscripsit, & affectuum perturbationes. Sed si quid efficaciæ hoc argumentum præsefert; multum sanè etiam, & plusquam ipsi velint, qui eo vtuntur, probat. Nam & elementa inter se symbola, & disymbola sympathiam, & antipathiam patiuntur. an igitur & hæc cum Empedocle animantia esse dicemus?

Ex his ductus Cardanus dat plantis imaginationem. Sed si argumentum valet, multo plus proficit. Probatur ex elementorum sympathia, & antipathia.

Actites lapis, quia aquilarum oua fæcunda efficit, erit nè animal? clauus ferreus, aut terra ex aratro sub gallinæ nido posita tonitrua auerruncat, ne oua disperdant, animalia censebis? Pellis lupina, quæ agninam corrumpit; & plumæ aquilæ, quod id ipsum in aliarum pennis præstant, animalia sunt? Testudo fæmina coitum fugit, donec mas festucam aliquam imponat auersæ. Igitur festuca animal est? Pellis vituli marini corpori eius detracta, atque arida sensum æquoris retinet; & inhorrescit æstu maris recedente. Cedri combustæ odor serpentes fugat; sic & hagates, & alia. lapis scyrius integer fluctuat, comminutus immergitur. Alius viua corpora erodit, cadaueribus abstinet. Amiantus nihil igni deperdit; Igitur hęc animalia sunt? Et luna ipsa ad fæcunditatem,

Plin. in varijs locis l. 10. Idem probatur ex sympathia, & Antipathia, & alijs virtutibus aliarum rerum. Elianus l. 3. c. 2. Plinius l. 3. c. 10. & 12. & l. 36. c. 17. & 19.

& partum, atque etiam ad sterilitatem omnium plantarum, & animalium, quantum habet virium, & efficacitatis? sic & reliqui Planetæ, nunc in vna Cæli parte, aut signo cum felicitate coniugia, fæcunditates, partusque largiuntur: in alia non item. Demũ Oceani fluxus, refluxusque, & Eurypi, & freti Siculi nullis agitantibus ventis; immo sæpe contra obnitentibus celeres cursus, recursusque, animam ne in illis arguunt? Sed has ineptias relinquamus. Et sympathiam, atque antipathiam planctis, arboribusque impropriè conuenire, & per quamdam similitudinem ad eam, quæ in animantibus est esse existimemus. Sensum autem vllum inesse ijs ne credamus. Est & alterum, quod pudicitiæ argumentum appellant nonnulli fultum exemplis. Plantæ Alaphitis apud Photiũ prehendere conantem, & eius contactum refugientis. An verò hæc sit illa Aglaophitis nota magis, de qua Plinius, & Aelianus? Arboris Memphiticæ languescentis, dum tangitur manu, retracta, reuirescentis, de qua Theophrastus, & Plinius. Æschynomenis, seu herbæ viuæ, quæ dum maximè viret, si quis apprehendere tentet, illicò folia contrahit. si audacter apprehendat, exiccatur: semota manu reuiuiscit. idque facit quoties tangitur, Vnde & nomen accipisse refert Plinius. de qua multi suis in operibus egerunt. Neque minus est admiratione dignum, quod de planta in insula Cimbulone reperta Borneo propinqua; cuius in terram delapsa folia tanquam animantia repunt, pedusculis vtrinque binis, pusillis, cum tanguntur fugientia. Sunt autem folijs mororum similia.

Impropriè in plantis esse sympathia dicuntur.

Alterum argum. pro parte affirmãte ex pudicitia herba.

Et alijs exemplis plantarum.

Pl. l. 24. c. 17.

Aelian. var. hist. l. 14. c. 24. 27.

Theophr. c. 3.

Garz. lib. 2. c. 22. arom Inde.

Ouied. hist.

Scaliger.

Hoc argumento moti quidam existimarunt, hos non plantas, sed animantes esse sentientes, aut plantanimalia, quamuis imperfectò admodum motu, & sensu obscuriore, & mediæ velut naturæ. Gloriantur autem hi, se in hac opinione auctorem sequi Aristotelem. Sed falsò. Itaque per istos haud mirum est arbores morbis infestari, & vermiculationem illis, & siderationem, & membrorum dolorem accidere, adeo vt partium debilitas nominum societate cum hominum miserijs communicet: cum vtrumque sit animal scilicet, & arbor. cui fauère ēt opinioni videtur Plato, qui Spongijs, & Pulmoni marino animam tribuit, quemque Aristoteles esse sentientem dicit. Quid? quod quædam arbores suam nobilitatem sentiunt, & superbiunt? nã dãda expertis fides. Translationem enim quædam fastidio, aliæ contumacia indignantur. Fastidit balsamum alibi præter Iudeam nasci. Assyria malus alibi ferre; nec non, & palma nasci vbique, aut nata parere, vel cum promisit etiam, ostenditque, ea educare, quæ tanquam inuita peperit. Non ferunt Amomi Nardique delitiæ, ne in Arabia quidem ex India naue: peregrinari. tentauit enim Seleucus Rex. Illud maxime mirum, ipsas arbores plerumque exorari, vt

Aliqui has, & similes plantas animalia imperfecta esse putant.

Nemesius de natura hom. c. 1.

Raynaud. or. 3. q. 1. ar. 3. n. 27.

Et Arist. suum esse putat, sed falso.

Augetur argum. exemplis.

Plin. l. 16. c. 32.

viuant,

viuant, atque transmigrent. Ex quibus persuadere sibi aliquis posset in quibusdam saltem sensum aliquem inesse, atque adeo appetitum, & in appetitu perturbationes.

Sed vt sententiam nostram hac de re commodius explicemus, visum est integrum antea Aristotelis locum transcribere, ex quo quid ipse senserit, videre possimus. *Vertibula autem, inquit, parum sua natura à plantis differunt, sunt autem spongijs viuaciora, quippe cum spongiæ vires habeant plantæ. Natura enim continuè ab inanimatis ad animalia transit per ea, quæ viuant quidem, sed non sint animalia. itaut parum admodum differre alterum ab altero videatur, propter suam propinquitatem. Spongia igitur, vt dictum est, cum adhærendo tantum viuere possit, absoluta autem nequeat viuere, similis plantis omnino est. quæ autem tubera vocant, & pulmones, atque etiam plura huiusmodi animalia in mari, parum ab ijs differunt, cum ipsa absolutione. Viuunt enim sine vllo sensu, perinde, ac plantæ absolutè: nam & in terrestribus plantis sunt nonnullæ huiusmodi, quæ & viuant, & gignentur, aut in alijs plantis, aut absoluta.* (& post pauca) *ex quo fit potissimum, vt & hoc, & quicquid simile in animalium genere est, planta iure appellari possit: nec enim planta vllum habet excrementum. quas autem vrticas appellant, non testa operiuntur, sed exclusæ omnino sunt, ijs quæ in genere diuisimus. Ancipiti natura hoc genus est, ambigenis, & plantæ, & animali, absolui enim, & escam petere nonnullas, & sentire occurrentia posse, atque etiam asperitate corporis vti ad se tuendum, animalis est. at verò quod imperfectum sit, & saxis celeriter adhæreat, nec aliquid excrementi emittat; manifestè, quamquam os habeat, plantarum generi simile est.*

Sensus Aristot. de spongijs. & de tota quæstione.

De partib. anim. lib.4.c.5.

Vides ergo Aristotelem primum Platoni aduersari in spongiæ pulmonisue marini anima. Vides item, apud illum adhærentiam, contractionem, extensionem foliorum, accessum, contactumue, aut recessum non esse indicia animæ sentientis. Vides demum, nihil inter animalia connumerari, quod instrumenta non habeat cibum accipiendi, concoquendi, & digerendi. Quamobrem miror Nemesium dixisse spongiam secundum Aristotelem inter Zoophita numerari.

Responsio ad argumentum de motu plantarum.

Quid ergo? tanti ne erit illarum arbuscularum, seu plantarum pudicitia, vt inter animantes percenseri, & meliori, quam plantarum sit digna fortuna, putari debeant? quod si has animantes faciamus, quia motum aliquem cieant, veluti ex appetitu progredientem; saxis etiam anima quibusdam est danda; & quando magnes ferrum ad se attrahit, amare hic lapis dicetur.

Amplificatur exemplis.

Et lapides suus ardor agit, ferrumque tenetur
Illecebris, rigido regnant in marmore flammæ

Audi Nazianzenum. Quod etiam ex coitu saxorum saxa creantur.

Vt memorant lapidum quibus est perspecta facultas
Res quoque tangit amor rigidas, vitaque carentes.

Vide Plin. l. 36. c. 18. Solinum c. 56. Nemesium Eegl. 4.

Et Nemesium.

Et montes syluæque suos habet arbor amores.

Lapis syderitis mouetur si acri succo perfundatur; ad succinum paleæ, stipulæque accurrunt. erunt igitur hæc omnia animalia.

Augetur exemplo Fascini.

Sed exemplo hanc totam difficultatem dissoluam. sunt qui oculorum suorum intuitu vel inuido, vel maligno, vel furibundo, vel admirabundo non recentes solum animantium proles, pueros, pullos, hinnuleos; sed arbores etiam floribus, fructibus ad elegantiam, aut miraculum ornatas, potius, quam oneratas, repente inficiunt morbo, ægritudine, tabo, ariditate, nece. Nec defascinationum generibus nobis in præsentia est animus differendi; deque earũ ratione, ac modo. quidue fascinantibus ex oculis prodeat, aut à qua oculorum parte, de ea loquimur, quę naturalis est, & Philosophis Theologisque accepta, explosa nemini. de qua Poeta.

Virg. egl. 10. Plin. l. 7. c. 2. Solin.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Et Plinius, ex quo Solinus Polyhistor ait in Scythia fæminas, quæ bythinæ vocantur, in oculis geminas pupillas habere, & perimere visu si quem fortè iratæ aspexerint. illud hic non tacebo, quod amicus mihi meus se vidisse enarrauit. Eram inquit ille, cum patre in hortulo, vbi erat arbuscula non magnæ quidem molis, sed magnis sanè, & quamplurimis malis persicis grauis. è quibus aliqua manu nostra decerpta gustaueramus; tota viridans, vegeta, viuax. inter hęc amicus Patris accessit, & vt in arbusculam oculos iniecit, qui felini erant, admirabundus, ac stupeus exclamare occepit. O pulchrã arborem? quid plura? hodie, ad vesperam oculos coniecit in arborem. Imus omnes domum, crastino mane ego cum parente redimus. Persica illa arbor tota arida, folijs deciduis, fructu flaccido, ac vieto. patris iussu eruta, atque euulsa est. qui ad me stupentem cõuersus, scis ne, inquit, quare id arbusculæ accidit? homo ille heri suis illam oculis tam admirabundè intuentibus fascinauit.

Ex his solutio elicitur argumenti.

Quid hoc ad rem? inquies, multum sanè. sicut enim afflatus quidam, aut contagio, aut spiritus, aut aura ex oculis effluens aerem inficit, donec ad obiectum attingens in illud nociuum aliquid imprimit; ita ex hominis corpore, aspectu, manu ad mota ad pudicam illam de qua sermo erat plantam halitus, aura, afflatus, aut quid simile prodire potest; ad cuius contactum planta de suo statu dimouetur commotione naturali, quo deinde impedimento sublato ipsa suum in statum reuertatur. qua in re nullo opus est sensu, appetitu, aut perturbatione. Hoc in Spongijs planè cernitur, quas Aristoteles omnino plantis similes esse asseruit. hæ tamen ad contactum ita retrahuntur, ac sese constringunt,

vt

vt velli vix à saxo, cui adhærescunt, queant: quam quam, & alias etiam rationes afferat Aristoteles.

Verum enimverò si spongiam, aliaque similia in mari nascētia inter animalia percenseri velis, non multum contendam. Illud addam magnum esse discrimen inter hæc marina, & inter terrestres illas plantas; in illis enim, si non omnia, non nulla saltem animæ sentientis indicia conspiciuntur, præter contractionem, & distensionem ad externos attactus, at in plantis nulla præter hæc alia, quę ad animam sensibilem inducendam satis sint. Plinius vrticis marinis, & Spongijs sensum arbitratur inesse; quæ nec animalium, nec fruticum; sed tertiam ex vtroque naturam habeant. male omnino de vtrisq; nam spongijs nulla, vrticis vero sētiēs anima statuēda est. *Discrimen inter marina, & terrestria.* *Plin. l. 9. c. 45. De spongijs, & vrticis.* *Reijcitur.*

Quod verò pertinet ad Erasmum, qui ex eo sensitiuas esse arbores probare contendit, quod cum ad primum ferri ictum molles fuerint, ad secundum indurescant, quasi ictum senserint. Vera profectò Erasmo esse illa possunt, quæ Lucianus fabulatur. Vites mulierum instar græcarum, lydarum, indarum accedentes hospites salutantes, amplexus, & aliquid amplius ex viris illis hospitibus cōcupiscentes, & ad fructus sui decisionem dolentes, ingementes. Veri esse luctus Cyparissi, qui cum puer esset de cerui iactura dolens, à Phæbo petijt, vt tempore lugeret omni, cui tandem in cypressum conuerso. *Erasmi ridiculū argumentum.* *Irridetur.*

Ingemuit, tristisque Deus lugebere nobis. *Ouid.*
Lugebisque alios, aderisque dolentibus inquit,

Veras esse dicet flentium adhuc arborum, nec non flammis adustum Phætonta fratrem dolentium heliadum lacrimas; sensientem dicet Myrrham, & suum perhorrescentem nefas.

Quæ quamquam amisit veteres cum corpore sensus,
Flet tamen, & tepidæ manant ex arbore guttæ.

Vt etiam quæ de Myrrhæ vtero prolem gestante canit Poeta.

At modo conceptus sub robore creuerat infans, *Ouid. met. 10.*
Quærebatque viam, qua se genitrice relicta
Exereret: media grauidus tumet arbore venter.
Tendit onus matrem, neque habent sua verba dolores,
Nec lucina potest parientis voce vocari.
Nitenti tamen est similis, curuataque crebros
Dat gemitus arbor, lacrymisque cadentibus humet.

Quid enim obstat, quo minus hæc per hominem istum vera sint, si arbores sentiant, & doleant? num falsa dicet quæ de Daphne in laurum versa, dum Apollinem fugit?

Sentit adhuc trepidare nouo sub cortice pectus;
Oscula dat ligno, refugit tamen oscula lignum. *Ouid. met. 1.*

De Syringe in calamum, Narcisso in florem, Leucothoe in turis arborē, Clytia in Heliotropium, de Crocho, & Smilace in florē.

Sed ad his abeamus; nam etiam si iocosa videantur, non est nobis cum Nebulone iocandum.

SECTIO VIII.

NVM BESTIÆ PERTVRBENTVR.

Stoici negant. At male. Quos Grillus apud Plutarchum irridet. Vt Philosophos Metempsicosim ponentes Gregorius Nißenus. huius de perturbationibus pulchrum dictum. nos ratione, & exemplis reijcimus. Multa de animantium inter se inimicitijs, Signa perturbationum in belluis. Præsertim in Leone, in Cane. animantium somnia. quænam somniant. quæue non. somniorum caussæ. infantes cur minimè somnient.

Negant Stoici.

IVre suo negant Stoici, cum perturbationes non nisi in ratione constituant, quæ in solo homine reperitur. Sed affirmant Peripatetici, eas in appetitu etiam sensitiuo collocantes, qui cum non minus in brutis, quàm in hominibus inueniatur, profecto fit, vt in illis etiam affectiones ponantur. Et quidem ratio, seu voluntas in homine nihil ad perturbationis naturam, atque essentiam in appetitu constituendam, confert. Sed ad malitiam, & bonitatem, honestatem, aut turpitudinem illarum. Vnde vitia in homine, aut virtutes emergunt. Potest igitur tota in bestijs perturbationis natura seruari; etiam si nullo rationis vsu fruantur.

Asserunt Peripatetici cum quibus sentiendum. Ratio.

Plutarch. opusc. quod animalia.

Huc non illepide reuocari potest Grilli cum Vlysse colloquium: contendit enim has affectiones animantibus meliorem in modum esse à natura concessas, quam hominibus. Quemadmodum ira in pugna: nam tamquam fortitudinis quædam acies, & induratio est animi feruor, quo puro vtantur bruta in certaminibus. *Vobis* inquit Grillus, *cum ratione commistus veluti aqua dilutum vinum, cedit periculis, & occasionem dimittit*. Vide quam eleganter Grillus phylosophãdo Stoicos irrideat: *sunt quidam vestrum*, inquit, *qui omnino in pugna debere animum excandescere negant; sed feruore excluso sobria vtendũ ratione dicentes: rectè quidem quo ad salutem tutandam, & pessimè, quoad vltionem, & robur exercendum. Quî enim non sit absurdum quod cum naturam incusetis, quæ corporibus stimulos neque dentes ad vlciscendum paratos, aut curuos vngues non adiecit, ipsi animæ arma animata concessa aufertis, aut attenuatis?* nonne eruditè Grillus? qui non solum bestijs perturbationes adscribit; sed carpit etiam Stoicos malas omnes illas facientes. rationem autem ijsdem brutis concedit, Scepticum Philosophum præseferens. Vnde iure quidem illi Vlysses respondet, *papè*, inquit, *Grille videre mihi egregius effectus sophista, qui tam strenuè de proposito argumentaris*.

Stoicos irridet.

Et Scepticos.

Iam,

Iam, ij qui Metempſicoſim, aut Palingeneſiam animarum olim inuexerant, Perturbationes in beſtijs clariſſimè agnouerunt; namque cum eaſdem eſſe beſtiarũm animas dicerent, quæ in hominibus fuiſſent, neceſsè etiam habuerunt confiteri, eaſdem eſſe perturbationes, quæ animas hinc illuc commigrantes, conſequuntur: Itaque Platonici, vt eſt apud Gregorium Niſſen. animarum alias furioſas, alias iracundas, alias rapaces cum viderent, has Luporũ, & Leonum corpora ſubire putauerunt. Illas verò quæ incontinentiæ, & luxuriæ ſeſe dederunt, in Aſinos, & alias huiuſmodi belluas abire iudicauerunt.

De Philoſophis Palingeneſiã ponentibus.

Niſſen. ſerm. de anima.

Et cum Sancti Gregorij mentionem fecerimus, cur non etiam ipſius, hac de re ſententiam in medium afferimus? Ipſe igitur perturbationes, quæ in nobis, & in brutis exiſtunt cognatas quodãmodo eſſe cenſet. *non enim*, inquit, *fas eſt dicere originem perturbationum quibus afficimur, ad humanam naturam eſſe referendam, cum ea ſit ad ſui ſimulacrum conformata; ſed quia prius in hoc mundo bruta extiterunt, cum quibus non nihil eſt homini commune. modus videlicet ortus; idcircò, & alia quædam brutorum naturæ, ac hominum communia eſſe ceperunt.* Hæc Gregorius.

Niſſeni ſententia de perturbationibus in brutis.

Gregor. lib. de homin. opific. c. 18.

At animantibus perturbationes inſitas eſſe vt probare incepimus, proſequamur. Videmus autem, quaſdam ex his vehementius aliquid appetere, quam aliud quidpiam, aut quam illud idẽ aliæ appetant. item perſpicimus aliquid vehementiſſimè ab ijſdẽ abhorreri, aut id à quo abhorruerant, ſenſim adamari, ac concupiſci; ſuum igitur habent obiectum iucundum, moleſtumue; atque adeò perturbationibus varijs concitantur.

Probatur iterum in animantibus eſſe perturbationes.

Fraxinus adeò ſerpentibus inuiſa eſt, vt ne matutinas, veſpertinaſque arboris vmbras. etiam quam longiſſimas attingant. *Experti*, inquit Plinius, *prodimus ſi fronde, & giro claudatur ignis, in ignem potius, quam in Fraxinum fugere ſerpentem.* Semen buxi omnibus inuiſum animantibus. Burri, aut burrhi florem apes non attingunt. Alpina hæc eſt arbor, nec vulgo nota fortè ſic dicta à colore rubro, qui & burrhus. Coturnicibus veneni, ideſt veratri ſemen, gratiſſimus cibus; capræ venenis pingueſcunt: ſerpentum ouis Ibis infeſtiſſima.

Confirmatur exẽplis.
Serpens fraxinũ odit.
Pl. l. 16. c. 13. 16. 18. & 34
Animalia buxũ.
Apes burrum.
Coturnix, capræ venena paſcuntur
Ibis ſerpentibus inimica.

Quid de inimicitijs, quas inter ſe eiuſdem generis quædã ſeruant? Elephanto mirabiles ſunt cum draconibus, ſuibus, equis, muribus inimicitiæ. tantæ ſcilicet Beſtiæ cum tantilla. Leoni cũ Gallo gallinaceo, cum igne, ſeu flamma collucente. Stellioni cũ Scorpio. Aſtaco cum Polypo. Polypo cum locuſta. locuſtæ cum congro. Mugili cum lupo. Trottis cum Delphine, Camelo cum equo. feli cum mure, & ſimilia, quæ in Ariſtotele cum reliquis animalium affectionibus, & moribus luculenter leguntur. Quæ omnia non ex naturali ſolum inclinatione, & declinatione oriuntur,

Elianus l. 6. c. 21. & 22.
Elephantis hoſtes
Leonis hoſtes.
Stellionis.
Aſtaci.
Locuſtæ.
Polypi.
Mugili.
Cameli.
Felis.
Lib. 9. hiſt. c. 1.

tur,

Signa externa internarum perturbationum.

tur. Hoc enim & in ſaxis, & in herbis, ac plantis ineſſe iam demonſtrauimus; ſed ex commotione ſenſuum, & imaginationis, ex quo ſanguinis etiam ſequitur immutatio; & corporis, membrorumque agitatio; clamor, rugitus, curſus, pallor, fuga, latitatio, ſaltus, quæ ſunt indicia internarum perturbationum manifeſtiſſima.

Rurſum augentur exempla ex animantibus ipſis ſumpta.
Quæ ex inimicis amicas
Aelian. de Hiſt. Anim. & de var. Hiſt.
Io Tzeze in chiliad.
De Leonis perturbationibus.
Plin l.8.c.5.

Quid quod animalia inter ſe natura inimiciſſima per conſuetudinem in amicitiam veniunt: Pardalis cum homine, & hædo. Aquila cum puero educatore. Canes cum dominis, atque in ſpecie eius qui fuit Gelonis, Erigonis, Silanionis, Darij, Lyſimachi, Glauci, & aliorum. In Elephanti amoribus erga hominem non immorabor, cum de ſingulis animalium affectionibus ſim infra plura dicturus: Leone quid animoſius? Obſident Africæ Vrbes, eaque de cauſſa Afri circum mænia cruci ſuffigunt captos: quia reliqui metu pœnæ ſimilis abſterrentur. Sed de varijs perturbationum generibus in Leone, omnino legendus eſt Plinius. *Leoni tantum ex feris clementia in ſupplices, proſtratis parcit, & vbi ſæuit in viros prius, quam in fœminas fremit. in infantes non niſi magna fame. Credit Lybia intellectum peruenire ad eos precum. Cauda immota, placidus, clemens, blandientique ſimilis. quod rarum eſt. Crebrior enim iracundia eius. In principio terra verberatur; incremento terga cum quodam incitamento flagellantur*. En plura in vno Leone perturbationum exempla. Sed Leoni Canis, nec item concedit. fideliſſimus ante omnia homini canis; eius ſolertia, ac ſagacitas in venatu quam præcipua? Leporis veſtigia perſcrutatur, aut alterius cuiuſcumque beſtiolæ, & de diuerſis odoribus ad narem vndequaque peruenientibus, ſcit vnum illum à ſe quæſitum eligere, ex quo perſpicies, quare à Poeta dictum ſit,

Canum affectiones deſcribuntur.

Et odora canum uis,

Virg. l.4. Aen.

In hoc enim quædam virtus explicatur; qua inter multos, varioſque rerum odores, penetret canis ad illum, quem veſtigat. Comitantem dominum, ipſumque loro, vincliſque continentem trahit colli niſu. Viſa deinde fera, quam ſilens, & occulta, quam ſignificans demonſtratio eſt? cauda primum plaudente, deinde roſtro, nunc ad dominum conuerſo, modo ad prædam directo, tum murmure vocis, & voce ſemipreſſa, vt ſolius aures Domini feriat. Quid? quod abſentes heros vocibus emiſſis vocant aberranteſque à fera increpant. Clamorumque varietate ſpeciem prædę prædocent? quantus triumphus ſuper captura? quanti plauſus, ioci, itus, redituſque ad Dominum, inſultus in aera, curſus recurſuſque, & hæc quidem in venatione, ſoli canes Dominum, domeſticoſque omnes, ſoli nomina ſua vocemque domeſticam nouere. externis non viſu, non odoratu, ſolo vocis auditu allatrant. Nec vlli præter hominem memoria maior. Vlyſſem poſt annum

Sagacitas, & ſolertia in venatu.

Familiæ notitia.

Plin. l.8.c.40.

vice-

vicesimum domum redeuntem nemo agnouit præter Argum canem eius. Homer. odys 17.

Canis autem caputque, & aures iacens eleuauit
Argus Vlyssis laboriosi, quem quondam ipse
Nutriuit, neque fruitus est, &c.

Ex animaliũ dormiẽtiũ sõnijs perturbatiões eorũ colligimus.

Quid? quod ex ipsis canum aliorumque animalium somnijs perturbationes eorumdem colligere manifestius quimus.

Lucr. l. 4. de nat.

Quippe videbis equos fortes cum membra iacebunt
In somnis sudare tamen, spirareque sæpè.
Et quasi de palma summas contendere vires.
Tum quasi carceribus patefactis, sæpe quiete
Venantumque canes in molli sæpe quiete
Iactant crura tamen subitò, vocesque repente
Mittunt, & crebras redducunt naribus auras.
Vt vestigia si teneant inuenta ferarum
Expergefactique sequuntur inania sæpè
Ceruorum simulacra fugæ quasi dedita cernant
Donec discussis redeant erroribus ad se
At consueta domi catulorum blanda propago
Degere sæpe leuem ex oculis voulucremque soporem
Discutere, & corpus de terra corripere instant,
Proinde quasi ignotas facies, atque ora tuantur
Et quam quæque magis sunt aspera semina eorum
Iam magis in somnis eadem sæuire necessum est.

Canum somnia.

Plin. 18. Asinus somniat. Arist. l. de histor. anim. 4. c. 10. Aliaq. animalia An ouipara sõniant.

Asinos somno visa concipere ait Plinius. somniare etiam docet Aristoteles, non solum homines, sed etiam Equos, & Canes, & Boues, & Oues, & Capras. Denique genus omne quadrupedum, idemque animalis fæcundum. quamuis de ijs, quæ oua pariunt, incertum habeat an somnient. Sed Lucretius volucribus etiam somnia tribuit.

Lucr. ibid.

At variæ fugiunt volucres, pennisque repente
Sollicitant Diuum nocturno tempore lucos
Accipitres somno in leni si prælia pugnasque
Edere sunt persectantes visæque volantes.

Somnia vnde oriantur.

Iam somnia fiunt quidem in phantasia, dum per varios vapores à stomacho sursum in cerebrum ascendentes mouentur temere rerum imagines impressæ; præsertim quæ recenter, aut frequenter ex rerum sensationibus sunt susceptæ. quibus motis imaginibus, excitantur appetitus, ad ea quæ iucunda sunt consectanda; molesta verò fugienda: vtrasque perturbationes corporis mutationibus significando. Vnde est, vt editis nuper infantibus nullum penitus somnium contrahatur, quorum in Phantasia nulla hactenus sunt impressa simulacra rerum, vt docuit Aristoteles. Atque hæc quidem in genere. nunc de earum perturbationum specie-bus

Claris sunt signa perturbationum.

Cur infantes non somnient. lib. de somnijs.

bus aliquantulum per otium libuit pertractare.

SECTIO IX.

DE AMORIBVS BESTIARVM.

Amant ex naturali generis conseruandi inclinatione. Virgilij locus illustratus ex Sophocle, & Aristotele, item Senecæ. Amor cur sacer ignis apud ipsum. Qui in bestijs vehemens semper, & cur. In Leone, Tauro, Vrsa, Equa, Tygre, Apro, Sue, homine maxime. Omnibus his equa Virgilio præfertur, Aristoteli equus. ante equum homo. Signa Tauri amantis. An bestię medio visu ament? Virgilius concedit. Plinius olfactu. Vaccæ formosæ quando. Pisces etiam forma piscium capiuntur. An bestia bestiam alterius generis amet, ita & quæ. ex Aristotele bestiæ per oculos capiuntur amore, sed magis per odorem. Macies amoris signum, contra pinguedo alterum amoris signum tremor corporis. tertium illecebrę, & quales hæ in varijs animantibus. quartum vocis mutatio. quintum sunt, & alia in varijs bestijs, sed in volucribus precipuus cantus.

Amant bestiæ omnes propter generationem. Arist. de hist. animal. l. 6. Plin. l. 8.

AMore capi Bestias quis neget? à natura est hic illis insitus, generum conseruationem procurante. Ita nullum quidem animal ab animali genitum reperitur, in quo non coniugij ardor ad prolem suis temporibus faciendam. Aliæ enim hieme ardent, aliæ per æstatem æstuant, aliæ autumnò, pleræque verno tempore, nonnullæ toto anno.

Virg. Georg. l. 3.

Omne adeo genus in terris hominumque, ferarumque
Et genus equoreum, pecudes, pictęque volucres
In furias, ignemque ruunt. Amor omnibus idem

Sophocles. Arist. l. 6. de hist. anim. c. 8. 18. 21. & 22.

Quæ à Sophocle mutuatus est Maro: si non ab Aristotele; aut si hic etiam non ab illo, ait enim Aristoteles commune omnium animantium esse, vt cupidine, voluptateque rei venereæ maxime gestiant, atque incitentur. Immo Poeta elegantissimus quicquid de animalium amore festiuissimè cecinit, id omne à Philosopho accepit, & ab vtroque in hunc modum Seneca non minus eleganter.

Senec. Hyppolito.

Sacer est ignis, credite lesis
Nimiumque potens, qua terra salo.
Cingitur alto, quaque ęthereo
Candida mundo sydera currunt

Amor sacer.

Et ea quæ sequuntur multa.

Cur ita?

Ignem sacrum appellat amorem Seneca, quod quidam timidum expli-

explicat, nescio cur. alij execrabilem, quibus non accedo, neque enim hoc loco Seneca amorem damnat, aut vituperat; sed eius naturales vires enumerat, excusans potius, aut dilaudans. puto ergo illum appellare ignem sacrum per allusionem ad eum morbum, qui ignis sacer est dictus; qui Colummellæ insanabilis vocatur, & iuxta Celsum accidit maximè in pectore cum rubore, atque pallore: ex Plinio medium hominem cingit, & enecat, quæ cum amori maxime quadrent, non male sacer ignis vocabitur.

Colůmel. l. 7. c. 5.
Celsus l. 5.
Plin. l. 26. c. 2.

Amor in bestijs maximus.

An non hæc in animantibus perturbatio, & quidem maxima? quam nec timor, nec pudor, nec paupertas, aut sollicitudo educandi, nec prolis numerus, aut partus dolor impedit, sed impetus naturæ impellit, exagitat, turbat, & ad omnia incitat, vrget, præcipitat. Si in animantibus hic affectus furor est ab appetitu concupiscentiæ prorumpens cum omnibus spirituum organorumque agitatione vt sanè est, certè ipsissima perturbatio, & vehementissima est. Quis igitur perturbari animantes neget?

Sed non in omnibus æqualiter.
Georg.

Sed non in omnibus ardor æqualis. In quibusdam sanè maximus. Poeta quidem pro exemplo animantium genera cumulauit, vt Leænam, Taurum, Vrsum, Aprum, Tygrem, Equum, Suem, Hominē; salicitatis tamen, & furoris palmam equabus adscribit.

Scilicet ante omnes furor est insignis equarum.

Cerda in Virg. Georg.

De quarum quidem singularum animantium amoribus multa affert Cerda ad quem, me volente, lector abito.

In eo autem, quod omnibus his equam præfert Aristoteli videtur contraire Virgilius. Illi enim salacissimum omnium tum marium tum fæminarum equs est, Homine excepto. De quo Plinius vt hoc etiam obiter notem, *ceteris*, inquit, *animantibus stati per tempora concubitus. Homini vt dictum est omnibus dierū̄ noctiumque horis. ceteris satietas in coitu, homini prope nulla.* quod & in Aristotele perleges.

L. 10. c. 63.

De hist. anim.
Signa amoris in animantibus.

Quam multis autem sese indicijs hæc in animantibus perturbatio patefacit? in Tauro macies amorem signat.

Virg. l. 1.

Carpit enim vires paulatim, vritque videndo
Fæmina, nec nemorum patitur meminisse nec herbæ.

An bestiæ pulchritudine obiecti incitentur ad amorem.
Videri non duci.
Plin. l. 10. c. 63.

Quid? num etiam Bestijs sunt oculi in amore Duces? & videndo amant, vruntur, & pereunt? at illæ pulchritudine, aut forma obiecti duci non videntur. Plinio quadrupedes olfactu accendi docente. Ouidius Pasyphaen Taurum ardentem, & propterea se vt formosa appareat, ornantem sic irridet.

Ouid.
Amori

Quid tibi Pasiphae pretiosas sumere vestes?
Ille tuus nullas sentit adulter opes.
Quid tibi cum speculo montana armenta petenti
Quid toties positas frangis inepta comas?
Crede tamen speculo, quod te negat esse iuuencam.
Quam cuperes fronti cornua inesse tuæ.

Videri tum quod forma ducantur in amorem. Quod & probatur auctoritate. Georg. l. 3.

Forma igitur bestiæ non capiuntur. Sed alia, inquies, formæ humanæ pulchritudo est, alia bestiarum, illa homines, hac bestiæ diliniuntur teste Poeta.

Pascitur in magna sylua formosa iuuenca.
Illi alternantes multa vi prelia miscent

Plutar.

Quasi diceret è pastione formosam effici iuuencam, & talem apparere, pro qua meritò pugnēt riuales tauri. Plutarchus ait bestias femellas pulchriores reddi pascendis cum rore herbis, ideoque mares ad se allicere suaui corporis odore, & peculiari corporis ornatu excultas; rore, & pura herba repletas, & alibi. *roscidum* inquit *hunc herbarum pastum ad suauiorem redolentiam prodesse*: Vnde mares maiore amore accenduntur. Lego apud Ælianum Capitones pisces vehementissimo amore ferri. Vnde Piscatores femellam eius generis eligunt formosam, & benè corpulentam, vt plures ad eam accedant pulchritudinis illecebra, tanquam esca illecti, nam si macilenta sit, & sine corpore multi ea spreta discedunt. habent igitur, & bestiæ oculos in amore suo duces. *Circa Phœnicem*, inquit Philosophus de piscibus agens, *pisces vel mutuo sensuum aspectu capi accepimus. Mugiles enim mares à piscatore subducuntur quorum aspectu fœminæ congregantur, atque ita obretiuntur, versaque vice mares capiuntur subductis fœminis.* Sed an vnius generis mares in femellas alterius generis amore deferantur illarum odore illecti? Id quidem inter piscinum genus, & maris incolas accidere negat Mediolanensis Ecclesiæ columen eximium, & hoc exemplo inuehitur in hominum adulteria.

Et exemplo. Ælian l. 1. c. 12.

Lib. 5. c. 5.

An vnius generis animal feratur in amorem alterius generis animantis. de piscibus negat Ambr. ex l. 5. Idem forte in volucribus.

Idem fortasse in volucribus; & hinc tanquam adinaton dixit Horatius.

Adulteretur, & columba miluio.

Oua quæ minus iucunda. Plin. l. 10. c. 6. De quadrupedibus. Quæ intra eandē sunt speciem magis se amant, & odore trahuntur.

Quamquam alites inter femellę se inuicem saliant, vt Gallinæ, Perdices, Columbæ, Pauones, Anseres quo casu sterilia oua gignuntur, minora, & minus iucundi saporis, magisque humida, quod in Gallinarū partu facile obseruatur. Id quidē inter quadrupes. cū multis euenit, vt infra, interim audi Arist. Aphrica multiformes profert animātes, vnde prouerbiō fact⁹ loc⁹. Sēper aliquid noui Aphricā afferre. hoc efficit aquarū in ea regione penuria, vt variæ belluarū species in eūdē locū concurrant bibendi caussa, occasione loci etiam quæ aliena sunt specie coeunt et generant. quorum tempora eadem ferendi vteri sint, & magnitudine non inter se discrepent.

De quadrupedib.

Verūtamē vnicuiusq; speciei inter se notus magis amor, & familiarior est. quāobrē Mātuanus noster equæ auras equo notas dixit.

Si tantum notas odor attulit auras.

Plutar. in Grillo.

Et Grillus Vlyssi *Porcæ*, inquit, *Sues, & capros capræ, aliæque fæminæ sui generis mares proprio odore alliciunt*; naribus igitur magis, quam oculis in amorem feruntur bestiæ. Nescio an hoc idē in volucribus.

Sed

Sed in viam redeamus. Primum amoris indicium Macies vt dixi. Sic Bubulcus ille plorans. *Reditus ad indicia amoris. Macies.*

Heeu quam pingui macer est mihi Taurus in Eruo. *Virg. egl.*
Idem amor exitium est pecori, pecorisque magistro.

Vt non admireris Ouidium cum amatæ Ianitorem rogitaret dixisse.

Quod precor exiguum est, aditu, fac ianua paruo
Obliquum capiat semi ad aperta latus.
Longus amor tales corpus tenuauit in vsus;
Aptaque subducto corpore membra dedit.

Non minus amat homo, quam bestia: macrescit igitur vterq; amando. Contra impedit amorem pinguedo: vnde Elephantus pabuli copia amoris furorem mitigat. Verres porcæ subantis audita voce, nisi admittatur, cibum non capit, vsque in maciem. *Pinguedo impedit amorem. Elian. Plin. l. 10. c. 63. Alterum amoris indicium tremor.*

Tremorem præterea conceptus amar animantibus incutit.

Nonne vides, vt tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas odor attulit auras? *Georg. 3.*

De Auibus Aristoteles ait horrescere illas amando, & excuti. *Aristot.*

Adde tertium illecebras à Poeta memoratas. *Tertium illecebra. Georg. 3.*

Dulcibus illa quidem illecebris, & sæpe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantes.

Quæ autem sunt amoris illecebræ? in iuuenca quidē vt Aristoteles docet, mariti furiosa conquisitio, vt Bubulci eam detinere nequeant, inuentū sedulò sequitur, eique assistit, inque ipsum insilit. *Aristot.*

Aspice vt ante ipsum teneris exultat in herbis

Eædem illecebræ sunt in equabus, caniculis, auiculis, céterisque animantibus.

Quartum amoris indicim vox eo tēpore in acutiorem mutata; qua sæpè maritum absentem inclamat, inuocat, trahit. *Quartum indiciū Vox immutata.*

Mollibus in pratis admugit fęmina Tauro
Fęmina cornipedi semper adhinnit equo. *Ouid.*

Troia subans voce amores suos Verri manifestat, sic Caniculæ, Feles, & aliæ. Multa præterea in animantibus amorum signa, & illecebræ sunt, in columbis mutuæ osculationes, eædem in Coruis: vnde ore eos parere, aut coire vulgus arbitratur. In passerculis quædam titillationes subtilissimæ: in Vulpe complexus mariti. Quid de Pauone referam? quantis se suarum plumarum opibus exornat, vt vxori placeat? *ornatum* inquit Diuus Eustachius *pandit suum. & pēnarum speciosum Theatrum ostentans dilectam à se femellam allicit, pulchritudinem hanc veluti pennarum pratum spectandam proponens.* *Plin. l. 10. c. 63. Alia signa promiscua. D. Eustachius in Exameron.*

Quid de Luscinia per dies quindecim integros continuo cantus ciente, dum amat, dum ardet, dum prolem meditatur? Verè huc illud quadrat; Amor musicam docet. de amoribus accipitrum erga suas fæminas lege Elianum. Sanè Aristoteles pro indicio amo- *Plutar. Elian.*

Arist.l.1.hist.c.1. amoris hoc habet. omnium inquit vocalium animantium communis mos est, vt sui initus tempore potissimum canant, & blaterent.

Pl.l.10.c.63. Arist.l.6.c.18. Adde etiam animantes aliquas in amore furere. Porcæ in tantum efferantur, vt hominem lacerent, candida maximè veste indutum; sic Equæ, sic Hirci, sic Feles, sic Iunices, sic Corui, quid enim amor, nisi furor? in Summa, omnis amans catulit, etiam homo.

SECTIO X.

DE ZELOTIPIA, SEV ÆMVLATIONE BESTIARVM.

Hæc amoris filia, In bestijs maxima. Suis descriptio æmulantis, Qua ratione sus dentes acuat Virgilius, Bargæus, Ouidius, Plinius, Seneca, Aelianus illustrati. An subigat terram? quod soli tauro Plinius. Sed falso. Sus vnde dictus Isidori error. Taurorum æmulatio. oculi eorum in pugna truces, victo non abscedit Zelotipia, quæ etiam in marinis. Cammari, Crocodili, Leonis, Onagri, Capri exempla.

Zelotipia quid. ZElotipiam voco æmulationem, qua amantes laborant: vt vnus re amata potiatur altero expulso: quales erant duæ illæ fœminæ circa Vlyssem de quibus Lyricus.

Hor.l.1. od. 17.

Dices laborantes in vno.
Penelopem, Vitreamque Cyrcem.

Amoris filia. Vtraque enim ne ab se discederet, & ad suam Penelopem redire, satagebat. Hæc perturbatio amoris est filia: fœtus turpissimus à pulcherrimo genitore, non in humano solum educitur appetitu, Etiam est in bestijs. Arist.l.6.c.18. est & in bestijs, sæuus, & manifestus. *Dimicant inter se sues feri mirum in modum sese armantes, & cutem, quam crassissimè preparantes, indurantesque arborum attritu; sępè etiam luto abducto, & resiccato tergus inuictum contra ictus efficiunt, pugnant adeo acri certamine, grege relicto, vt sępè mortem vterque aduersarius obeat. Simili modo & Tauri efferantur, & Arietes, & Hirci, qui enim socij iugi concordia pascebantur, coitus tempore diffident; & alterum alter libidinis rabie occidit,* hæc Aristoteles. Ex quo acceptum est illud Virgilij.

Georg.3.

Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus,
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas
Atque hinc, atque illinc humeros ad vulnera durat.

Qua ratione sus dentes exacuit. Iam quomodò dentes exacuat sus, siue domesticus, vt exponit Seruius, siue agrestis, vt alij, quærendum est. quidam Plinium scripsisse aiunt fieri dentium attritu ad arbores, quod & Ouidius. At hoc fieri posse ipsi negant, aiuntque aprum dentes inter se inuicem superiores scilicet cum inferioribus collidēdo acuere, quod

&

& varijs antiquorum testimonijs confirmant, vt eleganter describit Bargeus, aitque superiores pro cote esse inferioribus, cetera inutiles.

Nam qui se proni mittunt è parte suprema Barg.Cineg.l.1.
Aduersis vsum præstant modo cotis, & illos
Exacuunt, belloque parant, & fortibus ausis
Ipsi hebetes prorsus, frustraque ad prælia nati.

Hunc aprorum morem innuisse videtur Seneca Senec. de iral. 1. c.1.

Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu.

Sed quod ad Plinium spectat, eius verba sunt. *Dimicant inter se indurantes attritu arborum costas*, est & alius locus manifestior. *cum arbore exacuant, limentque cornua. Elephanti, & saxo Rhinocerotes, & vtroque Apri dentium sicas* Ouidij locus est de Apro Calidonio. Plinius. Lib.18.c.1.

Dentibus ille ferox in querno stipite tritis Ouidius Met. Elian.l.6 c.1.

Miror autem hos auctores nullam mentionem fecisse Eliani probatissimi in scribendo viri, qui aprum ait ad leues, & politos lapides, dentes acuere, quod Homero etiam notum fuisse testatur.

Illud, quod sues pede prosubigunt terram, dum irascuntur, nisi Virgilius diceret incertum esset. Plinius solis Tauris terram pedibus imprimere, & spargere in altum arenam, eoque stimulo ardescere scribit: sed falsò, nam canibus id in vsu, tum ante conflictum interse, tum à ventris exoneratione. Iam quod Isidorus suem dictum refert, quod pascua subigat idest terra subacta escas inquirat, non pede id, sed rostro facit, neque hoc ad iram excitãdam, sed ad famem sedandã. Sed neque à subigendo dicitur sus, sed à græco sys sus, sicut mus à mys. Plin. Isidor.

Iam de Taurorum Zelotipia quid non canit Poeta? Taurorum Zelotipia. Virg.Georg. 3.

Illi alternantes multa vi prælia miscent
Vulneribus crebris, lauit ater corpora sanguis,
Versaque in obnixos vrgentur cornua vasto
Cum gemitu, reboant siluaque, & magnus Olympus. Et pugna inter se.
Nec mos bellantes vna stabulare, sed alter
Victus abit, longeque ignotis exulat oris.
Multa gemens ignominiam, plagasque superbi
Victoris; tum quos amisit inultus amores;
Et stabula aspectans regnis excessit auitis.

Taurorum duello nihil celebrius apud Poetas ad æmulationem significandam, cui duello subdit amor stimulos, vt ait Statius, & iure Taurum Oppianus riualis impatientem vocat, ex quo noster sua hæc omnia sumpsit, præter oculorum truces intuitus de quibus Oppianus sic habet. Statius. Oppianus in Cineget.

Primum quidem frontibus aduersis alter in alterum intuentes,
Acerbe æstuante indignatione vehementer ruunt, & ignem spirant.

Et

Pl.l.9 c.45.

Et Plinius tauris in aspectu generositatem ponit. Neque verò ei, qui victus est, vel per pudorem, vel per vulnera, amoris æmulatio minuitur, quin vero pudore, & mœrore magis acuitur, ergo frequentiam pecoris exosus in siluas se, ac lustra minitabundus tantisper abdit; donec amissas vires quiescendo, & ruminando reficiat. Tunc in aciem rursus procedit audacter, & duella nonnunquam feliciore euentu redintegrat. nolo hoc ab Homero nostro desumptum transcribere; vnius Statij carmen referam.

Tauri victi pudor & reparatio.

Statius. Thebaid.

Veluti dux Taurus amata
Valle carens, pulsum solito quem gramine victor
Iussit ab erepta longe mugire Iuuenca:
Cùm profugo placuere Tori, ceruixque recepto
Sanguine magna redit; fractæque in pectore vires.
Bella cupit, saltusque; & capta armenta reposcit
Iam pede, iam cornu melior pauet ipse reuersum
Victor, & attoniti vix agnouere magistri.

Bellum redintegratum.

Hunc eumdem Tauri morem, & amorem expressere alij poetæ. Sed neque marina animalia morbus hic relinquit immunia. Camari pisces in amatores suarum coniugum odio acerbo agũtur, acerrimasque edunt pugnas, nec pro multis certamen est, sed non aliter, quam Menelaus cum Paride pro vna decertant Helena. Crocodilus, si cum alio fæminam suam concubuisse compererit: auidum se Veneris simulans, odore rursum inuestigat, est enim circa hoc acerrimi sensus. flagitio, & stupro pollutam videns, vnguibus aluo discerpta illius viscera deuorat. Huic simile habet Leo. Nam Leæna quandoque cum Pardo adulterat; ille ex odore alienos attactus sentit in adultera, totaque vi consurgit in pœnam, Idcirco Leæna se in flumine abluens adulterinum odorem exuit, aut longius interea maritum comitatur. Alia ratione æmulatur Onager, nam vt ipse solus gregibus armentisque imperitet editos à se pullos mares truncatis testibus emasculat; ne qua facultas reliqua sit generandi. De Capro Caprarium propter æmulationem occidente lege apud Elianum.

Zelotipia in piscibus. Aelian.

Crocodilus Zelotipus crudeliter

Item Leo.

Onagri propter Zelotipiam sæuitia.

Caper Zelotipas. Elian.l.7.c.42.

SECTIO XI.

DE AMORE IN PROLEM.

Amor in prolem communis naturæ lex. Gallinæ amantis exemplum illustratum ex Sancto Augustino, & Plutarcho. Cornicis. Merulæ piscis. Glauci itidem Caniculæque piscium, Animantis Indiæ. & Simiarum, de quibus Plinius, Oppianus, Sinesius diuersa asserunt.

Eurip. apud Stob.

EVripidis dictum est.

Vna

Vna quædam communis est omnium lex
Et diuinitus instituta, quod iam dico.
Vt nullum non animal natum ex se satum amet.
In ceteris autem peculiares sunt leges.

Amor hic communis omnibus.

Amores ergo suos cum vellet Christus Dominus amplificare, gallinæ pullos educantis assumpsit exemplum, super quo Sanctus Augustinus, videtis, inquit, quemadmodum gallina infirmetur cum pullis suis, nulla alia auis, quod sit mater agnoscitur. Plutarchus hoc ipsũ de gallina graphice describit. *Gallinas* inquit *quotidie ante oculos habemus, ac cernimus quomodo pullos suos foueant, alios passas sub alas recipientes; alijs tergum conscendendum, & vnde quaque aditum præbentes, simulque blandam, & indicem gaudij vocem edentes. Canes & angues fugiunt cum sibi metuunt, cum vero pullis timent; defendunt, & vltra quam vires patiantur, ijs propulsandis certant.* videbis autem hanc alitem in custodia circũ pascentium pullorum vigilantem, & ex vmbra, aut ex volatu internoscentem hostiles aues; & proprio, pullisque cognito vocis sono receptui statim canentem, & accurrentes sub alas abscondentem, videbis illam pedibus terram effodientem, & vermiculos, semina, vel aliud quidpiam intentis oculis quæritantem; & ad repertum pullos alacriter aduocantem: ipsam interim in edia tabidam, & à cibo abstinentem.

Aug. tr. 15. in Io. Amor Gallinæ in pullos. Plutar.

Canis, & anguis.

Gallinæ educantis descriptio.

Cornix in hoc auibus omnibus præferenda, nam aues ceteræ pullos vbi creuerint, deserunt. hæc tota vita pascit. Sed de merula pisce, sic habet Elianus, omnium piscium est maximè Zelotipus in hoc genere: mas enim semper alias, tum maximè cum eius vxores pariunt. Cum igitur parturiendi doloribus eæ tenentur, domi quiescunt. mas autem tanquam maritus, foribus incumbens, cauet ne extrinsecus insidiæ inferantur metu paruulorum. videtur is nondum genitos amare, metuque paterno motus his timere; totosque dies in eorum custodia permanere nihil gustans cum ipsos alit. Venustum verò admodum est id quod de Glauco itidem pisce subtexit. *Glaucus*, inquit *pater, fœtus, quos sustulit ex cõiuge, diligentissimè cauet, ne insidijs impetantur; neue pernicies vlla eis inferatur. itaque donec læti, & sine timore natant, tam diu ille custodire non intermittit; nunc à tergo cum eis natans, nunc vero non à tergo sed adnatat, modo ad vnum eorum latus, modo ad alterum; si quis verò ex paruulis timere ceperit, ille timore cognito ore hiante filium excipit: ereptum de periculo, quem deuorauerat, reuomit, qualem exceperat: ille rursus natat.* Venustius est etiam exemplum de canicula ex eodem. Hic piscis simul atque peperit, prolem suam secum connatantem ducit, quod si quis natorum timore aliquo corripiatur, rursus per genitalia matris in vterum regreditur; pulso periculo, ac metu prodit, tanquam rursum editus. Venustissimum illud etiam, quod de animante quadam indica traditur eam scilicet habere infra vterum ad mammas

Cornicum.

Ælian. l. 1. c. 14. Merula piscis.

Glauci piscis.

Canicula piscis.

Animantis indica.

mas bursam quamdam, intra quam filios inserit, & os bursæ obducit dum venatores fugit, vbi euasit, obductum saccum reserat, & eos emittit tutos ad pascua. Simiarum generi præcipua erga fætum affectio. gestant catulos, quos mansuefactæ intra domos peperere, omnibus demonstrant, tractarique gaudent; similes gratulationum intelligentis. Itaque magna ex parte complectendo necant. Ita Plinius. cuius extremis verbis opposita habet Oppianus. Namque docet simias ex duobus quos pariunt, alterum quidem amare, alterum odisse, & hunc statim necare arctiore complexu. Oppiano Synesius videtur opponi. *Simias aiunt* inquit *postquam pepererunt intentis oculis in catulos tanquam sacras imagines intueri* admirantes ob pulchritudinem, vsque adeo natura liberos amat.

Simiarum.

L.8.c.54.

In Epistolis.

SECTIO XII.

DE ODIO IN PROLEM.

Hoc in bestijs esse quis credat? In Aquila. Aquilarum genera. Status in alendo. Odij caussa. Aquilæ ossifragæ pietas. Lupi impietas in filios. Aquilæ Halieeti generositas vnde ex Plinio, qui defensus. Corui impietas, & natura ex Aristot. Plin. Iobo, Dauide. Iobi, & Dauidis loci explicati. Qua ratione pulli coruorum à Deo pasci dicantur. Varij modi examinati. Corui an, & cur pullos deserant. Virgilij locus explicatus, Strutionis natura. Gillius, & Ribera improbantur. Locus Micheæ Prophetæ de strutionis planctu explicatus cum Montano. Locus Iobi.

QVis credat hoc genus perturbationis tam innaturalis, tam impiæ esse in bestijs? quæ duce natura reguntur: est tamen in quibusdam, & hoc in Regina volucrum. Cuius cum sex extent genera, sola quæ Mehenæsos à Græcis dicitur fætus suos alit, ceteræ fugant, de quibus sic ex Aristotele, Eustachius. *Aquila in educandis liberis iniustissima est, binos pullos excludit, quorum alterum sibi conciliat, alterum fugat, alarum ictibus expellit, labore, & tædio, vt aiunt, nutriendi. digna venia culpa. quippe eo temporis ipsi cibum negauit natura, ne omnium ferarum fætus raperentur. Vngues eius quoque inuertuntur diebus illis: albescunt mediæ pennæ, vt merito partus suos oderit. neque tamen pullus ille incolumis odium matris omnino fugit. adultum persequitur, & longe fugat. æmulum scilicet rapinæ.*

Sunt qui odere. Pl.l.10.c.3.

Aquilæ quedam. Eustach. in exemer. Arist. de histor. anim l.6.c.6.

Ei.l.9.c.32.

Huius ergo perturbationis caussa est egestas, & impotentia nutriendi. Quæ vtinam non in hominibus hanc eamdem excitaret perturbationis flammam, qua impulsi infantes eijciunt ab se, aut

Caussa odij, egestas.

quod

quod est crudelius, enecant, aut quod crudelissimum mandunt.

Aliam paulò diuersam huius rei rationẽ affert Aristoteles. *Emittit namque suos Aquila antequam tempus sit, & adhuc parentis operam desiderantes, nec volandi adeptas facultatem: quod per inuidiam ita facere creditur, natura enim inuida, & famelica est, nec copiosæ venationis, magnum tamen quid nanciscitur, cum venatur, inuidet igitur suis liberis iam maiusculis, atque edaciusculis, & ob eam rem vnguibus secat. pulli etiam ipsi pugnare inter se incipiunt de sede, & pastu. Itaque à parente eijciuntur, & pulsantur; deiecti vociferantur, periclitanturque, sed ossifraga, aliud aquilarum genus, recipit eos benignè, & tuetur, & alit dum, quantum satis sit, adolescant.* Aliud odij caussa.

Diuerso modo lupus cibum filijs à matre delatum præripit, sui potius, quam illorum misericors. de quo Bargæus. Lupa vim mariti præcauens, escam filijs paratam aliquo in loco condit, donec Lupus tantisper abscedat; at ille quid? *Aquilæ ossifragæ pietas.* *Lupi in suos odiũ*

Namque vbi dira fames rabiesque exegit edendi,
Oscula, fragrantis lambens ieiunus amicæ
Sæpequè deprendit sociæ furtumque, dolumque.
Dentibus hinc frendens, & iniquo vulnere cogit
Improbus effari raptæ quo viscera prædæ
Deposuit, semesa loco, qua texit in vmbra.

Bargeus in Cineget.

Sed ad Aquilas redeo. Vnũ earum genus est Haliæetus, omnium Aquilarũ generosissima, ac nobilissima, perspicacissimi visus, marinis auibus, piscibusq; victitans, hæc implumes etiãnũ pullos suos percutiens subinde cogit aduersos intueri solis radios, quod si quẽ conniuẽtẽ, nictantemq; animaduertit, præcipitat è nido, velut adulterinum, atq; degenerem; illũ cuius acies firma contra steterit educat. Caussa huius rei plerumq; vulgo attribuitur generositati Aquilæ; sed aliam ex Plinio mihi videor conijcere. *Haliæeti*, inquit, *genus suum non habent, sed ex diuerso Aquilarum coitu nascuntur.* Eo igitur experimento Haliæetus femellas à maribus internoscit, & quia in femellas matris generositas deriuatur, mares verò patrum sequuntur ignauiam, à matre proijciuntur. Quare, addit Plinius, *id quòd ex his iactum est, in ossifragis genus habet;* quia scilicet ab Heliæeto tamquam degener proiectum est, & ab ossifragis susceptum. Iniuria igitur ab Adelcampio reprehenditur Plinius tamquam incogitanter Heliæetum in ossifragarum genere posuerit. *Aquila cur filios probet ad Solẽ.* *Ratio acuta ex Plinio. Lib. 10. c. 3.* *Defenso contra Adelcampium.*

De coruo scribit Aristot. eũ è nido pullos expellere ceu alienos: at hoc fieri docet cũ ij ætate creuerint quos tunc propter ingluuiẽ nõ mõ de nido, sed tota de vicinia extrudit, atq; abigit, & bini tãtũ in vno loco corui regnãt ex Plinio, sicut & de Aquilis scribit Aristot. *Corui odium in filios adultos.*

Verum maior est coruorũ impietas quã quæ Aristot. memorata. pullos enim vbi educti sunt, illico deserunt, rerũ omnium egẽtes, audi Iobum. *Qui preparat coruo escam suam; quando pulli eius clamant* *Lib. 10.* *Corui impietas magna.* *Iob. cap. 38.* *Deserentis modo exclusos.*

S. Gregor. l. 30. in Iob. Io. Hierosol.

ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos, quo loco illud vagantes non denotat pullos extra nidum eiectos, aut abeuntes huc illuc vagari, sed, quod alij obseruarunt, intra nidos ipsos se se circumquaque agitantes, oscitantesque ad cibum captandum. Idem à Dauide discimus de coruis agente. Qui dat escam pullis coruorum inuocantibus eum.

Ps. 146.

Dei prouidentia erga pullos coruorum.

Mirabiliter autem in hoc elucet miserentis Dei prouidentia, quæ derelictis cibum pullis procurat: modus procurandi varij narrantur, Primus est, genitores pullis eductis carnes afferre, atque excedere. ex his enasci vermes, quos coruiculi depascuntur. hic modus non placet. iam enim haberent quodammodo cibum à Parentibus paratum, neque esset opus dapem quærere. Alter modus est, enasci ex ipsorum corporibus, nidique nidore vermiculos, culicesque, quibus reficiuntur, sed neque hic placet. Iam enim hũc qualemcumque cibum haberent naturaliter enatum. Tertius rore immisso viuere. Quartus aura suaui, afflante, & aerem in ora pullorum hiantia immittente, refici. Neque hi animo sedent.

Chrisost.

Caussa cur coruus pullos deserat. Isidor. l. 12. Et Imol. c. 7. Virg. Geor. 1. Cerda 16. Seruius.

Iustè autem Dominus ingluuiem voracissimæ auis futuram ea præcastigat parsimonia. Sed caussam referamus tantæ coruorum crudelitatis. Vulgaris illa est. enati pulli albicant coruus dissimiles sibi pro filijs, non putat; ergo abit: interea plumescunt, & nigricant, post deinde coruus ad nidum naturæ ductu trahitur, & nigricantes patrem ferre dum videt, pro filijs habet, & educare incipit. Altera. coruus edax, vt maximè est; ne cibi ergo desint quos deuoret, desinit alijs prouidere; ac deserit. Itaque ingluuiem pietati præfert.

Pined. in c. 58.

An vera quæ de coruo dicuntur?

Sed enimuero sunt, qui hanc de coruo historiam pro fabula æstiment, alius quia nemo astruat, alius quia nemo prophanus scriptor, sed credo, vtrique satis esse debuerant plurimi doctrina, & eruditione, & Christiana fide præcellentissimi viri, qui hæc de coruo scribunt. Quos apud Pinedam in locum Iob, laudatos reperias, & ad hunc corui morem procul dubio allusisse Virgilium asserit Cerda cum dixit.

Virg. Georg. 1.

Et sæpe cubilibus altis
Inter se folijs strepitant, iuuat imbribus actis
Progeniem paruam dulcesque reuisere nidos.

Seru. in Virg.

Quem in locum Seruius sic habet. Plinius in naturali historia dicit coruos esse obliuiosos, & plerumque minimè ad nidos reuerti, quod & sentire videtur Virgilius, dum ait coruos post imbres solere nidum natosque reuisere ante imbrem derelictos. Id autem eos facere: quia per mutationem tempestatum species eorum immutatur quasi qui arente cælo cerebrum habuissent exsiccatũ, ac propterea obliuiosum factũ, postea humescente, species redintegratas, & memoriam recuperarint. Illud autẽ, *cubilibus altis*, non

nidos

nidos ſignificari ſcito, ſed arbores altas intra quarum folia corui cubare ſoliti, quod iniuria Cerda non admittit, ipſo reclamante Virgilio, ac ſubdente *inter ſe folijs ſtrepitant*.

De Struthione ſic habetur in ſacris libris *quando derelinquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea? obliuiſcitur, quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat. duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui, fruſtra laborauit, nullo timere cogente, priuauit eum Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam*. Miror hæc de ſtruthio camelo à nemine prophano ſcriptore dici, cum certiſſima eſſe vel hoc ſolo conſtet, quod in ſacris exarata libris habeantur. Gillius in hiſtoria animalium, quam ex Eliano aliiſque auctoribus concinnauit, ait Struthionem non omnia oua fouere, ſed quædam; Venatores autem nidum cum pullis obſidere peracutis ex ferro ſudibus: per quas tamen mater, omnia prius ſpeculata, vbi aliunde ingredi non datur in nidum, ſe inijcit, & cuſpidato ferro transfixa enecatur. Struthio. Iob. 32. Iſid. l. 12. c. 7. Alb. l. 23. Olymp. in Caten. Gillius. Aliquibus pius eſt.

Ex hac narratiuncula, probabile putat Rebera illud Michææ Prophetæ dictum, *faciam planctum quaſi draconum, & luctum quaſi ſtruthionum*; intelligi eo ſenſu, vt ſtruthiones, ſeu filij ſtruthionum luctum faciant pro matre demortua. id ſi verum eſt, Struthio pium animal eſt, neque duratur ad filios ſuos, quaſi ſui non ſint, quod tamen aſſerit ſcriptura. cui addi poteſt. Illud Hieremiæ. *Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio*. igitur, & Gillij narratio fabula eſt, & Riberæ expoſito non probabilis. Riber. in Michæam. Sed falſo. Nam crudelis eſt. Hierem. cap. 4.

Accedo Montano, qui in hoc Rabbi Dauidem ſequitur aientem, ſtruthiones, aut vt habent Hebræa volumina, filias ſtruthionum eſſe pullos, qui præſidio matris deſtituti, & fame confecti flent, atque vlulant, quæ ſententia cum ſenſu Iobi congruit.

Eorum autem verborum, *fruſtra laborauit nullo timore cogente*, diuerſa multorum eſt explicatio. Genuina mihi videtur; ſtruthionem ſine cauſſa peccare contra filios, & à naturæ præceptis præuaricari, cum nullus eum hoſtium timor cogat ita facere, laborare enim, & labor in ſacris litteris ſæpe pro errore, aut ſcelere accipitur. Alij ita exponunt fruſtra laborauit educens oua, & pullos educans, ſi deinde deſerit. Sed hic ſenſus contrarius eſt litteræ dicenti ſtruthionem oua ſua derelinquere in terram. De ſtruthionum vero ſtultitia. Lege Plinium.

§:✠:§

SECTIO XIII.

DE GLORIÆ HONORISQVE AMBITIONE.

Pauo gloriosum animal et quomodo. Plinius reprehensus Pauonis gloriabundi descriptio ex Gregorio. Galli Gallinacei superbia. Gallorum, coturnicum pugnæ. lusciniarum cantus. Elephanti gloria, ea amissa mors. Equi superbia à Iob descripta. locus apprime elucidatus. Locustarum mos.

Pauo gloriosum animal. Anser verecundum. Plin. Arist.

HOccine etiam in bestijs? sanè suo modo. Plinius de Pauone. *Ab auctoribus* inquit *non gloriosum tantum animal traditur; sed & maleuolum; sicut anser verecundum; quoniam has quoque quidam addiderunt notas in his haud mihi probatas*. Verum iniuria Plinius hoc improbat, & Aristotelem tacitè carpit, quasi ita gloriam appeterent animantes, quemadmodum & homo. Homo enim ex prælectione, & ratione, & sciens quid agat, ambit, appetit, & gloriatur. Bestiæ affectu solo appetituque nescio quid superbię, honori, humanæque gloriæ, aut etiam gaudio simile concupiscunt. Quod si Plinius maleuolentiam Pauoni solam adimere contendit; id ipsum postea examinandum. Nunc de eius gloriæ honorisque ambitione. Qua de re audi Gregorium Theologum.

De Pauone. Naz ianzen. Sese cũ aspicitur adornante.

Qui fit vt arrogans ille, & Medicus Pauo elegantiam, gloriamque adeo affectet, vt quoties aliquem propius accedentem viderit, aut etiam feminis, vt aiunt, sese ostentare voluerit, nec enim pulchritudinis suæ ignarus est, confestim alata ceruice, atque alis quæ aureum fulgorem referunt, ac syderum splendorem imitantur, in orbem concinnatis, corporis sui pulchritudinem amasijs suis cum superbo quodam incessu, velut in theatro, spectandam proponit! Hic cum laudatur suas explicat pennarum gemmas, colorumque gazas; gaudet cum spectatur; & se se eo ornat magis: cum flores illi decidunt; decidunt autem quotannis, pudibundus, macrescensque sese in latebras abdit.

De Gallo gallinaceo. Pro victoria triũphante.

Quid verò superbum illud Galli gallinacei super suum genus imperium, & maestas consortis impatiens? dimicat pro principatu, etiam ad mortem. Cui victoria arrisit, is cantu sibi plaudit, & pro Principe se ipse proclamat. Victus in occulto demissus caput, atque alas inediam suscipit.

Gallorum pugna.

Pergami quotannis gallorum inter se pugnantium editur spectaculum, ceu gladiatorum, quod etiam ab Athænienſibus præstitum, cum Persas Themistocles superasset, commissæ quoque sunt Cothurnices, & olim cum Athænis, tum Romæ à filijs Seueri Imperatoris, & nunc nostris temporibus, Mamertina præsertim in Vrbe acerrimo adolescentium studio, auctiore coturnicum,

Et Coturnicum olim. Et nostro etiam tempore. Pugna descripta.

nicum, cantu se ad pugnam incitantium, prouocantium, saltu inimicum præuenientium ad eludendos inferendosque ictus, dolos, fraudesque meditantium. Vide in his Bestiolis turbationes varias, & diuersas iræ, gaudij, meroris, timoris gloriæ, spei, honoris. Mæroris autem tantum in victa est, vt ad pugnam redeat nunquam. Sed de ludo, aut pugna Coturnicum. Lege Iulium Pollucem. Iul. Pollux.

Non minor est gloriæ cupiditas luscinijs. *Certant inter se cantu, & manifesta atque animosa contentione. Victa mærore confecta mortem sibi pro solatio quærit*. Eamus à minima Bestiola ad maximam. *Maximum*, inquit Plinius, *est Elephas, proximumque humanis sensibus. quippe intellectus illis sermonis patrij, & imperiorum obedientia, officiorumque, quæ didicere memoria. Amoris, & gloriæ voluptas. iamuero quæ etiam in homine rara, probitas, prudentia, æquitas, religio quoque, syderum, Solis, & Lunæ veneratio*. Multa alia addit Plinius, quæ deinde ab alijs confirmantur, & à recentioribus tanquam visa pro veris narrantur, sed de auiditate gloriæ in hoc animali accipe historiam. Plin. l. 10. c. 29. Luscinia cantu certant inter se. Elephanti gloriæ cupidi.

Antiocho Regi vadum fluminis experienti, renuit Elephas, cui nomen Aiax, alioqui dux agminis semper. Cum pronunciari ab Rege iussum, eius Elephanti fore in reliquos principatum, qui prior transisset, ausus transire alius, cui Patroclus nomen erat, ob id argenteis phaleris, quo maximè gaudent, & reliquo omni primatu donatus. ille qui notabatur, inedia mortem ignominiæ prætulit, mirus namque huic animali pudor est. Exemplum de Elephanto. Plin. l. 8. c. 3.

In Leone nobilissima eminet gloriosi animi significatio. Quamlibet magna canum, & venantium vrgente vi, contemptim, restitansque cedit in campis, & vbi spectari potest. idem vbi virgulta, siluasque penetrauit, acerrimo cursu fertur; velut abscondente turpitudinem loco. dum sequitur insilit saltu, quo in fuga non vtitur. Vulneratus, obseruatione mira percussorem nouit, & in quanta vis multitudine appetit. Leonis. Plin. l. 8. c. 16. Generositas. Arist. de hist. anim. l. 5. c. 44.

Huic Leoninæ generositati Virgilius Turni comparauit audaciam his carminibus. Generositas hominis ei quæ est Leonis comparatur. Aen. l. 9.

Ceu sæuum turba Leonem,
Qum telis premit infensis: at territus ille,
Asper, acerba tuens, retro redit, & neque terga
Ira dare, aut virtus patitur: nec tendere contra.
Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela, virosque
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus,
Improperata refert, & mens exæstuat ira.

Quid de Bucephalo Alexandri equo dicam? tantum gloriæ appetente, vt neminem præter Regem ipsum, & hunc Regio stratus ornatu in sedem receperit? alios passim tentantes reijciens, neque patiens Alexandrum alteri insidere equo, se relicto. Cæsari alter Pl. l. 8. Solin. Plutar. de vita Alex. Pl. l. 8. c. 42.

Bucephalus Alexandri equus gloriæ appetens.
Equi in genere appetentes gloriæ
Virg. Georg. l. 3.

alter Bucephalo fuit equus similis. sed ij stadijs, circisque dum ad currus iunguntur, nonne manifestè sensum appetitumque gloriæ demonstrant? quod ipsum egregiè cecinit Poeta.

Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ
Nonne vides? cum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus
Cum spes arrectæ iuuenum, exultantiaque haurit
Corda pauor pulsans, illi instant verbere toto,
Et proni dant lora. volat vi feruidus axis.
Iamque humiles iamque elati sublime videntur
Aera per vacuum ferri, atque aßurgere in auras.
Nec mora, nec requies. at fuluæ nimbus arenæ
Tollitur, humescunt spumis, flatuque sequentum.
Tantus amor laudum, tantæ est Victoria curæ.

Exempla in equis

Visi sunt equi, equæque, qui cum à carceribus soluissent, & sessor inter currendum in terram esset delapsus, ipsi tamen cursum suum tanta contentione prosecuti sunt vt concurrentem aduersarium non modo præuolauerint vsque ad metas; sed in ipso currendi ardore ita se gesserint, vt illum impedirent; visi qui sine sessoribus commissi cursu inter se contenderent acerrimè. legendus in hanc rem Plinius loco sæpe à me laudato.

Plin. l. 8. c.
De equis gloriosis ex sacris litteris.
Iob. 39.

De equi gloria accipe iterum ex sacris litteris. *Nun quid præbebis equo fortitudinem? aut circumdabis collo eius hinnitum? nunquid suscitabis eum, quasi locustā? gloria narium eius terror, terram vngula fodit, exultat audacter pergit in occursum armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio, super ipsum sonabit pharetra, vibrabitur hasta, & clypeus; feruens, & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. vbi audierit buccinam, dicit Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.* Quid amplius? quid elegantius? quid manifestius dici poterat ad appetitum gloriæ in equo demonstrandum? totum locum placet, quam breuissimè explicare, quia paucos me memini videre qui in eo illustrando illustrem curam præstiterint. fortitudine præditum hoc animal esse dicitur. hæc irascentis appetitus affectio est, potius quam corporis, ideo generositas à pluribus appellatur, quæ equo ascribitur.

Vide Pined. Hic.
Illustratur locus citatus.

Virg. Georg. 3.

Continuo pecoris generosi pullus in agris
Altius ingreditur.

Quæ autem in pullo corporea fortitudo esse possit? animi autem potest.

Quomodo hinni, & equs.
Et hinnitus circumdari.

Collo eius hinnitum circumdari, idem esse aiunt; atque hinnitum gutturi equi tribui. Ego naturam hinnitus explicari eo verbo puto; nam equi vox non æquabili ductu, & spiritu sonoque egreditur; sed retorto, & quasi per cocleam gutturalem circumlatus ex intimo pectoris effertur in vocem veluti per climacē circūductam.

Nun-

Nunquid suscitabis eum quasi locustam? aliorum sensus est. nunquid terrebis illum, tanquam locustam? noster est. vt ad equi gressum respiciatur, quando, vt ille aiebat, tolutim incedit, — *Quod equum quasi locustam suscitari*

Et altius ingreditur, & mollia crura reponit. — *Virg. Geor. l. 3. Incessus equi*

In huiusmodi enim gressu Locustas imitatur saltantes, & crura molliori flexu reponentes, & sanè italico sermone locustæ propter similitudinem cum equo (Cauallette) dicuntur. Alius etiam in his verbis sensus noster est: vt sermo sit, non de vno equo, sed de pluribus in aciem prodeuntibus, vt solent locustæ, quæ gregatim, agminatimque procedunt. *Regem* inquit Salamon, *Locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas*: ad quem locum apprimè facit id, quod de locusta Eustachius. *Locustæ vno consensu sublatæ, Terras per latitudinem infestant procedentes. campos alios fructibus onustos conspiciunt, nec tangunt exitiosè, sed ad præscriptum illis locum summo nisu contendunt, quasi iussu impulsæ, neque antequam illis detur facultas messes fructusque rodentes vastant.* an non idem in equis, & equitibus ad bellum procedentibus? — *Alter sensus de locustis.* — *Prouer. c. 30.* — *Locustarum exercitus equitatui similis.* — *Eustach. in exem.*

Gloria narium eius, terror, idest hinnitu, aut potius flatu narium terrefacit, sic communiter. Nos quando quis eum terreat, aut terrere tentet, hic terror ad ipsius equi gloriam facit, quam naribus grauiter afflantibus ostentat. Vnde Poeta. — *Quomodo equi gloria terror.*

Nec vanos horret strepitus

Et infrà. — *Georg. 3.*

Collectumque premens voluit sub naribus ignem.

Terram vngula fodit.

Huc illud Ennij

Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum — *Enn.*

Et Virgilij.

cauatque

Tellurem, & solido grauiter sonat vngula cornu. — *Virg. ibid.*

Et equi generositas in eo emicat, si pede terram fodit, si ad pugnam exultat audacter, & quod vates dixit.

Si qua sonum procul arma dedere.

Stare loco nescit, micat auribus: & fremit artus.

In occursum pergit armatis, ita scilicet, vt neque audaciam militis, neque armorum fulgorem, neque sonitum pauescat. *Equorum ingenia inenarrabilia*, habet Plinius, *iaculantes obsequio experiuntur, difficiles conatus corpore ipso nisuque inuitantium iam tela humi collecta equiti porrigunt.* — *Pl. l. 8. c. 42.*



SEC-

SECTIO XIV.

DE AMORE IN MVSICAM.

Musica etiam bestijs placet. Equis. Sybaritæ per hoc victi. Arionis Delphines. Cur hi Simonis nomine delectentur. Plinius derisus. Ceruæ amantes musices per eam capiuntur. Clemens Alexan. defensus, Gentianus eius commentator reprehensus sacrorũ canticorum de ceruis locus illustratur. Elephãtus musica mansuet. Equæ lybicæ capiuntur. equi ad Venerem incitantur Scyndapsus quid, & quale instrumentum musicum. Rhododaphne quid. Carmen ab Arione Delphino inequitante cantatum.

Musica ẽt bestijs placet. Iob. 39. Pined. v. 25. Plutar. de music. Plutar. qq. Cõui. Pl. l. 8. c. 42. *Præsertim equis exemplum de equis sybaritarũ.* Delphinis. Herod. l. 1. Gill. 16. c. 15. Plin. l. 9. c. 8. Plut. in Conuiu.

MVsica excitatrix affectuum non in homine solo est, neque vni illi mulcet aures. suus in animantibus est amor gustusque musici concentus. Et ad id interpretantur illud, de equo, nuper citatum ex sacris litteris, *vbi audierit sonitum buccinæ dicit, Vah.* & Plutarchus ait. equos musicis delectari. certè apud Sybaritas equi vniuersi ad sonum cytharæ ita erant subsultare edocti, vt occasionem præbuerint Crotoniatis eorum aduersarijs sui superandi. Delphin Arionis musici notus est apud Herodotum, Ælianum, Gellium, & alios. Vulgo greges Delphinum ad musicorum instrumentorum sonum accedunt sensim ad nauigantes, & cum euntibus connatant, atque subsiliunt, & gaudent Simones appellari. Ridicula semper mihi visa est huius rei ratio apud Plinium, quia *illis rostrum Simum hac de caussa nomen Simonis omnes miro modo agnoscunt, maluntque ita appellari*. quasi verò latinè calleant loqui delphines, cur non hebraice potius apud quos Simon audire significat? credo hac voce delectantur propter sibilum primæ litteræ, qui cum sit acutior facile ab illis percipitur, & auditũ eorum feriens titillat. signum quod delectentur etiam sibilo solo audito. Ceruos musica attrahi capique certum est; Clemens Alexan. *Ceruas fistulis demulceri accepimus; & in laqueos inter venandum cantu duci à venatoribus*. modus capiendi est circumiectis retibus, procedit quispiam canendi peritus ad tibiam, & quanta potest contentione cantum cum omni varietate ciet, circum lustra, & cubilia ceruorum, damarumque peruagatur. Hæ auditu primum terrentur, tum sistunt, postea trahuntur tanta voluptate, vt in retia se dent, inserantque. Quãobrem miror Gentianum hanc rem in Clemente Alexandrino veluti falsam nolle ab illo dictam adnotasse. Succurrit mihi hoc loco illud ex Canticis, in quo sponsum suum sponsa capreæ, hinnuloque ceruorum comparauit salienti in montibus, & tran-

Ceruis Cl. l. 1. Pedag. c. 4. *Clementis locus confirmatur ex Heliano l. 12. ca. 46.*

Contra Gentianum.

De ceruis capiẽdis.

Cantic 1.

& transilienti colles, & modo sub fenestris ædium, & ad fores stanti; cum repente abeunti, nec se inuitantem vt ad se veniat, & se capi sinat, audienti. cui sponsus, quasi à longinquo respondens inter alia, hæc dicit, *sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Quæ sane verba plena sunt gratiarum, & eruditionis, sensus enim est. Tu me, ò mea, ceruo comparasti. bene est. Ceruus musicis capitur, sonet ergo vox tua. mihi enim, & auribus meis vox tua dulcissima est, & omne musicorum instrumentorum melos exuperans. Hac sonante statim adueniam, & capiar vt ceruus. *Mulcentur cerui*, inquit Plinius, *fistula pastorali, & cantu.* Sed an frustra additur? *& facies tua decora.* Minime vero, nam & Ceruus pulchritudine varietateq; plumarum, *& puniceæ formidine pennæ* capitur, *Animal simplex*, habet Plinius, *omnium rerum miraculo stupens, omnia noua, & varia hærenter miratur.* Sed redeamus in viam.

Explicatur locus in canticis; sol. ..., & aciem. ...

Plin. l. 8. c. 32. Virg. lib. 12.

De Elephantis Indiæ prouectioribus quomodo capti mansuescant non iniucundum est accipere, nam adolescentiores varij cicurantur modis, quos in Eliano reperies. Huiusmodi si quis capiatur, ægerrime de sua feritate traducitur ad mansuetudinem: quia assuetus longa ætate libertati, seruitium neque vinculis, neque verbere condiscit. efferatur hic potius, & cædes intentat, non escis, non illecebris, non blanditijs mollitur eius asperitas, & libera indignatio captiuitatis. Quid igitur comminiscuntur Indi? instrumento quodam musico, quod scyndapsum vocant, accepto vernaculam cantiunculam succinunt. hic primo animum attendit, aures paulatim erigit, & suauitate delinitus remittit iras: tum in obiectos cibos respicit; demum vinculis solutus cicurem se mansuetumque præstat, vno victus cantu. Hæc Elianus.

Elephanti cantu demulcentur, & mansuescunt. Elian. l. 12. c. 44.

Tibijs quoque earumque cantu capiuntur equæ Lybicæ, vt mansuescant, atque insultare, ac lædere desinant, & quocumque eas cantiuncularum blanditiæ inuitent, eo sponte consequantur, si cantor pedem sistat, illæ nequaquam progrediuntur, quod si cantum contentiore tractu intendat, tanta ex eo voluptate incenduntur, vt lacrymas etiam profundant, harum equarum pastores ex Rhododaphne pastoriciã fistulam excauant, cuius sonoro flatu armentum antegredientes demulcent. Euripides etiam dicit pastores ad tibiam hymeneos cantantes ad venerem equas incitare, & equos incendere, ad hunc igitur modum equinæ nuptiæ initiantur, & nuptiale carmen tibia præcinit. Hæc etiam ex Æliano. In quo obiter declarandum est quid sit illud instrumentum musicum scyndapsus. Illud Atheneus inter peregrina instrumenta enumerat. Estque fidibus quatuor aptum vnde tetrachordum à Matrone Parodo dictum. Alius Poeta scyndapsum describens, ait esse magnum, lyræ similem, manibus pulsari, & exacui, ex viridi nouellaq; myrica fabricari, sed materiæ eius fabricæ variæ. De qua

Item equæ lybicæ.

Fistula ex Rhododaphne.

Athen. l. 4. c. 24. Scyndapsus instrumentum musicum quid sit.

Casaub. in l. 4. ca. 24. Athenei.

lege Casaubonum in Atheneum. Eius chordæ ex auricalco plumi feriri solitæ, & mulieribus in vsu fuerunt. An ex hoc Scyndapso illud ortum est instrumentum quod Cytharam hodie vocant chordis ex aere constans pēna pulsatur estque nautis maximè vsurpatū.

Rhododaphne quid.

De Rhododaphne ait Plinius alijs Nerion vocari, Rhododédron alijs, & Sabinam, Apuleio rosea Laurea dicitur. mirum cum Rhododaphnis folia quadrupedibus venenum sint ad mortem, ex ramis eius fistulas fieri illicium Amoris, & nuptiarum. hodie nisi fallor, apud Siculos Landro nomen habet.

In Conuiu. Sap.

Sed tēperare mihi, & hoc caput claudere minimè possum, quin Arionis Methimnaei de quo supradictum est, carmen hoc loco subscribam, ab ipso decantatum dum Delphini dorso veheretur ad fastidium, metumque depellendum, simulque vt delphynum suum demulceret, cuius quidem scriptionis, & historiæ præter multos, meminit etiam Plutarchus.

Aelian. l. 12. de Animal. c. 45.

Neptune Deum maxime,
Qui Rex Maris profundi
Tridente clarus aureo
Complecteris vndique terram,
Te brachijs, & pinnis
Insigne piscium genus
Mutæ colunt Natantes.
Præ ceteris te pandi
Circum natant Delphines,
Canes Marini, & errant;
Iuxta leuesque saltant
Quandoque & instar iaculi
Vibrant se ipsos eminus
Pernicitate mira.
Ceruice rigidi recta.
Oblectat hosce musica
Amant eos Nereides
Suum pecus puellæ
Quas Amphitrite peperit.
Vos me vagantem Siculo
In æquore ad Tenarium
Litus tulistis equitem
Vectumque dorsis vestris.
Vester chorus me placide
Non peruium mortalibus
Longe salum lateque
Sulcans natando eduxit
In quod viri me nautæ
Deiecerant è naui

Curua

Curua marina perfidi.

Quæ qui græca legere cupiat, adeat Aelianum quamquam non in omni codice obuia habeantur. Ea ab aliquo recentiore composita puto, & Arioni data, quæ potius ad littus tanquam Sotiria cecinit, quam in æquore, dum veheretur.

SECTIO XV.

DE IRA BELLVARVM.

Omne Animal iræ capax est. Seneca negans arguitur leo iracundus, Virgilius per Plinium illustratus, aut hic per illum vterque ab Auctore. Lea irascens cur gaudet. animantium Iræ per sacras litteras præcipuè cum amant, cur amantes, & animalia quædam iræ proniora. Barri quomodo incitantor ad iram. Elianus explicatus. Annibal elephantum irritans. Animalium irascentium descriptio.

AN cuiquam animantium ira deest? minimè verò. Culici enim sua etiam inestbilis. Hinc illud, Scarabæus aquilam quærit, & illud nolicrabrones irritare. nam vbi appetitus est (est autem in omni animante) ibi conatus est, etiam contra ea, quæ impediunt, quo minus id, quod appetitur, eueniat, quod si Seneca feras ira carere contendit, videat ne, cum impetum illis, rabiem feritatemque concedit, sibi sit ipse contrarius, aut ne se simulet nescire quid sit Ira. Ira est appetitio vltionis contra offensam. offendi autem se sentiunt animantes in multis: in impedimentis ciborum, in illatis verberibus, vulneribus, & libertatis spoliatione, in furtis subreptionibusque liberorum. Igitur ardent libidine se contuendi, defendendi, lædendi hostem, impedimenta abse omnia auertendi, ne sibi, suisque noceatur. Quod omne quid demum est, si Ira non est? De Leone cuius crebra iracundia est Poeta sic habet.

Irasci belluas probatur ex prouerbijs.

Et argumento.

Lib. 1 de ira. Contra Senecam probatur in bestijs esse iram.

Leo iracundus. Plin. l. 8. c. 16.

Pœnorum qualis in aruis.
Saucius ille graui venantum vulnera pectus
Tum demum mouet arma Leo, gaudetque comantes
Excutiens ceruice thoros, fixumque latronis
Impauidus frangit telum & fremit ore cruento.

Vide aũt, nũ Plinius cõmẽtarium faciat Poetæ illis verbis? *Generositas Leonis in periculis maxime deprehẽditur, nõ in illo tãtũmodo, quod spernẽs tela Diu se terrore solo tuetur, ac velut cogi testatur: cogiturq; nõ tanquam periculo coactus, sed tãquã amentiæ iratus,* quidã Plinij Codices habent, *amentia iratus*, quod clarius est, ait enim Plinius, Leonem ad prælium cogi amentia eorum, qui se vulnerauerunt, irritatum, itaque eorum amentiæ irasci, qui tantum ausi, vt Leonem irritarent.

Plinij de Leone locus.

Explicatur.

Sed qua de caussa gaudium hoc loco apponit Leoni Virgilius graui vulnere pectus saucio? nam quod alibi gaudentem faciat non mirum.

Vir. Aeneid. 10.

Impastus stabula alta leo, ceu sæpe peragrans
Suadet enim vesana fames, si forte fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua ceruum.
Gaudet

Leo saucius cur gaudere à Virgilio dicatur.

Multæ hic gaudendi caussæ, integritas Leonis, hostis imbellis, cibus fami leuandæ inuentus. Ibi nullæ. An illud gaudere generositatem animi significat, & actum qui solet esse gaudij signum, excussionem, scilicet iubarum, gaudium appellauit? an quia ira sine gaudio non est? ita iratus leo, etiam si saucius, gaudet; gaudet autem ex spe vltionis vt Aristoteles docuit in Rhetoricis.

Vrsa irascitur l.2.c.17. Senec.l.1. de ira. Contra Senecam iterum.

Vrsam sæuire in saltu raptis catulis sacræ docent litteræ. *Impetus est*, inquit Seneca, *& rabies non ira.* An verò impetus iste etiam momentaneus, & breuis ira esse non potest? At Ira in homine sine impetu, sine furore non existit. Ira enim furor breuis est. de Ira ait idem Seneca, *cum sit inimica rationi nusquam tamen nasci nisi vbi rationi locus est*. Si Stoïcis credimus nulla perturbatio nascitur, nisi vbi rationi datur locus, idest in homine; quod vti verum non est; ita in homine solo regnare eam falsum est, & sanè mirum, cum homo per iram hominem exuat. & abeat in belluam, si belluæ non irascantur. Regnat Ira in bestijs. Vrsam sæuire in saltibus, raptis catulis, sacræ vt dixi docent litteræ. Et cum irascitur in sceleratos vehementer Deus, et cui comparatur? animantibus valde iracundis. Audi Osæam Prophetam. *Ero eis quasi leæna, sicut Pardus in via Assyriorum; occurram eis quasi Vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum, & consumam eos ibi, quasi Leo, bestia agri scindet eos*. irascuntur igitur bestiæ; sed præsertim, per occasionem amoris.

2. Regum c. 17.

Oseæ. c. 13.

Bestia præsertim dum amant irascuntur.

Georg. 3.

Tempore non alio Catulorum oblita Leæna
Sæuior errauit campis, nec funera vulgo
Tam multa informes Vrsi, stragemque dedere.
Per siluas tum sæuus aper, tum pessima tygris.
Heu male tum Lybiæ solis erratur in agris.

Quare 2. Abet. Amantes iracūdi & cur. Lib. 8.

Iure Aristoteles iracundos facit amantes, quia scilicet cum maximè cupidi sint, si quid obstiterit, facile ira perturbantur. Plinius de leonibus *magna in ijs libido coitus, & ob hoc maribus ira*. De multorum aliorum iris animalium, earumque caussa. Sic habet Aristoteles. *Quorum autem sanguis fibris admodum multis crassisque refectus est. hæc terrena amplius constant natura, & animosa iracunda, proindeque furibunda sunt. Ira calorifica est. Solida autem firmioraque omnia concalefacta vehementius quam humida calefaciunt. Fibræ vero solidæ terrenæque sunt, itaque quasi formatæ in sanguine efficiuntur, seruoremque per*

Animantes quædam quare iracundiores. Arist. de part. anim. l.2.c.4.

iram

iram accendunt, ex quo fit vt Tauri, & Apri animosi iracundi furibundiq; sint, sanguis enim eorum fibris refertior est. Tauri Apri iracundiores quare.

De Taurorum ira scriptum nobis est in superioribus. de Apris celebris est illa Poetæ comparatio Mezentij ira furentis maxima cum Apro, qui

Postquam inter retia ventum est
Substitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos. Virg. Aen. 10.
Nec cuiquam irasci propiusque accedere virtus;
Sed iaculis, telisque procul, clamoribus instant.

Elephanti, animal natura non ad iras pronum, irritantur in hostem adhibitis incitamentis ad iram. Antiochi milites ijs ostẽderunt sanguinem vuæ, & mori, ad acuendos eos in prælium, vt habetur in sacris libris. mororum autem succum vinosum esse docet Plinius, qui etiam humorem arborum pro sanguine earum habendum docet. Sanè si vinum milites Elephantis tribuebant ad potum, miror cur Elianus illis in prælio certaturis vini vsum indulgeat, non quidem ex vitibus confecti, sed ex oriza, vel calamis. Sed hoc non Elianum negasse, sed ipsum existimo malè ex græco fuisse conuersum: nisi & hic etiam corruptus, quandoquidem alij eum locum sic vertunt *elephantis pugnaturis vinum non ex vitibus modo confectum, sed ex Oriza etiam factitatum* indulgetur. vtrum autem succi hi ebibendi an solum olfaciendi tribuerentur, & an potu, vel odoratu bestias irritarent ad iram, ad rem nostram nihil. Elephas non admodum iracũdus Quomodo irritatur. Machab. 1. Succus mororum lib. 15. c. 24. Lib. 16. c. 28.

Annibalis Pœni Elephantus facto se declarauit irasci. Annibal Rhodanum traiecerat. Elephanti restiterant, ergo omnibus ad ripam congregatis Rector ferocissimum eorum vulnere sub auriculam inflicto irritat. Is cum eum refugientem, & in aquam natantem sequeretur, traxit post se gregem. Elephantus Annibalis.

Redeamus ad Senecam, & eo ipso teste discamus animalia irasci. *Non vides* inquit, *vt omnium animalium simul ad nocendum insurrexerunt, procurrant nota, ac tota corpora solitum quietumque egrediantur habitum; & feritatem suam exasperent? spumant apris ora, dentes acuuntur attritu, taurorum cornua iactantur in vacuum, & arena pulsu pedum spargitur, Leones fremunt, inflantur iratis colla serpentibus; rabidarum canum tristis aspectus est. nullum est animal, tam horrendum, tamque perniciosum natura, vt non appareat in illo, vbi ira inuasit, noua feritatis accessio.* Hæc Seneca, & sanè si animantes dolorem sentire, & ex eo gemitus, rugitus, eiulatus, edere concedas, quis autem hoc non concedat? cur non & iram illis tribuas? quæ solet esse comes doloris, qui ab extrinsceco aliquo inferatur? sed de animalium ira libro etiam sexto dicetur. Descriptio animalium iratorum ex Seneca.

§: ⁂ :§

SEC-

SECTIO XVI.

DE TIMORE.

Patet inesse quibusdam. Cur quædam sapientiora. Metus motum, & cessationem motus ciet quin & alui solutionem. de Bonaso mira ex Aristotele, & Plinio. hic emendatus. Pintiani error, & imprudentia detegitur. Aristoteles excusatur. Timor colorem mutat. In Chamaleonte. Polypo, Tarando. Tertulliani lectio emendata. signa timiditatis in bestijs. Elephantorum timor descriptus à Plinio. Qui declaratus ab Aristotele, & Eliano. Rursum emendatus. Tygridis timor. Plinius semel, & iterum correctus, & tertio reprehensus. Bestiarum pauor ab homine.

Animalia quædam timida. Et cur.

Arist. de part. l. 2. c. 4.

Quamobrem, & sapientiora.

TImorem inesse animantibus quibusdam nemo negat, nisi qui eas esse neget, vt lepori, cuniculo, auiculis etiam: in summa ijs timor inest, *quorum*, inquit Aristoteles *sanguis sine fibris, & dilutior est, vt ceruarum sanguis, & damarum. Quãobrem nunquam spissatur. Sanguis enim. qui dilutior est, frigidior est, itaque durescere non potest, qui autem terrenus est nimirum coit, cum humor euaporatur, fibræ autem illæ terræ sunt opificium. Quamobrem etiam euenit vt nonnulla ex ijs animalibus quæ talem obtinent sanguinem sapientiora sint; verum non sanguinis frigiditate, sed potius tenuitate, atque munditia, quorum neutrum in terreno est, Habent enim sensum nobiliorem, quorum humor tenuior, & sincerior est. hinc etiam nonnulla ex ijs, quæ sanguine vacant animalibus, prudentiora nonnullis sanguinem habentibus sunt vt dictum iam est, v. g. Apes, Formicæ, & si quid aliud tale est; Timidiora quibus sanguis dilutus nimium est: metus enim refrigerat. itaque ea quibus eiusmodi temperamentum in corde habetur metuendi affectioni sunt opportuniora, aqua enim frigore congelascit; quamobrem cetera, quæ exanguia timidiora sanguineis sunt animalibus (quod simpliciter dixerim) ac motu cessant, præ nimio metu, & excrementa emittunt, nonnulla etiam suos colores immutant. Quorum autem sanguis fibris admodum multis crassisque refectus est, hæc terrena amplius constant natura, & animosa iracunda, proindeque furibunda sunt. Ira enim calorifica est.* Hæc ex Aristotele, quæ à me allata quia variarum sunt plena doctrinarum.

Metus motũ ciet, & cessaturum ab ipso.

Quod autem ait quædam præ metu animalia motu cessare. Videtur vtrumque fieri à metu, motum scilicet, & cessationem ab eo notum illud.

Virg. Aen. l. 8.

Pedibus timor addidit alas.

Et ideo animalium timidorum pleraque pernicissimi cursus; prouidente natura in subsidium timoris. Notum etiam illud.

Stat

Stat pecus omne metu mutum. — Idem Georg. l. 3 & Vocem.

Neque enim metus adimit motum, sed vocem etiam. Hoc autem euenit cum plurimus, & maximus metus est vt accidere huiusmodi animantibus dicitur, dum Leonis rugitum procul etiam audiunt, cursum enim, & motum suum sistunt certè apud Prophetam Amos de eorum timore luculentum extat testimonium. *Leo rugit, quis non timebit?* — Audito Leoni rugitu animalia motum sistunt. — Amos. c. 3.

De excrementorum emissione præ metu naturale est. *Soluuntur enim frigore membra* vt ait Poeta, sed ridiculum est, quod de Bonaso animali narrat Aristoteles, illum quamquam corpore, & corporis latitudine tauro, ac boue maiorem, timidum tamen esse quam maximè, præque metu solui, & proluuiem alui pro telo habere, proijcere enim illam, vel ad quatuor passus procul, eaque insectantes canes plerumque, ita adurere, vt eorum pilos absumat, copiamque huiusmodi telorum ei à natura in eo discrimine pugnæ copiosè suppeti. Atque hanc vrendi vim, non alio tempore haberi, nisi cum in metu versatur, ceterò frigere, hoc idem habet Aristoteles, alibi. Sed operæpretium sit quæ de Bonaso scribit Plinius pauca adiungere. — Metu excrementa emittuntur. — Virg. Aen. 1. — Arist. lib. 5. hist. c. 45. — Bonasus animal grãde, & timidũ. — Aristoteles Lib. 3. de part. 21.

Tradunt in Pannonia feram, quæ Bonasus vocetur equina iuba, cetera Tauro similem, cornibus ita esse flexis, vt non sint vtilia pugnæ, qua propter fuga sibi auxiliari reddentem in ea fimum interdum, & trium iugerum longitudine: cuius contractus (lege contactus) *sequentes, vt ignis aliquis comburat*. Hæc Plinius. Quid autem est illud trium iugerum longitudinem? Pintianus ex Aristotelis auctoritate legit, quatuor non trium: deinde pro iugeris legit passus vt Theodorus vertit in Aristotele, vocabulum enim græcum orgia cum, & iugerum, & passum significet, Plinio prior, alijs posterior significatio arrisit, quam & Pintianus sequitur; vt & Albertus magnus, & Auicenna sequti sunt quos duos viros dum nominat veniam à Lectore præfatur Pintianus: *modo* inquit *mihi fraudi non sit inconditos, & barbaros scriptores interdum citare*. — Plin emendatus, lib. 8. — Pintiani latio in Plinij loco, ex praua ipsius intelligentia. — Alber. Magn. lib. de anim. 8. cap. 1. — Auicen. l. 8. c. 7. — Iudiciũ Pintiani parum prudens.

Quasi verò nullius sint aüctoritatis scriptores isti: aut veritas in eleganti solum latina dictione lateat? & elegans est in sua locutione Auicenna, & sapientissimus Albertus in suis operibus, vterque sanè dignus ab omnibus laudari. Sed de Plinio agamus, cuius sẽsus non est, vt proiectu fimi excipere possit insectantes canes etiã, dum trium iugerum spatio procul à Bonaso absunt, hoc enim qui in mentem Plinio venire potuit? sed est, vt bestia hæc per spatium trium iugerum fere continenter fimum effundat; quo quem tangit comburit, qui sensus optimus est, & facilis: copiam enim fimi Plinio mens est ostendere, non vim eius proijciendi. Quod etiam Aristoteles fortasse voluit, quamobrem etiam in ipso pro passu, iugerum apponi potest, & commodè. Quam alui proluuiem co- — Auicenna, & Albertus desensi. — Plinij sensus. — Arist. et opportunus.

piosam ostendit. hic etiam dum addit, has bestias circa locum, in quo pariunt solere vallum excremento suo constituere, *largam enim*, inquit, *quamdam excrementi eius copiam hæc bellua egerit.* quod autem Plinius tres orgyas dixit non quatuor, vt vellet Pintianus ex Aristotele, id Plinio factum est quoniam neque Aristoteles absolute habet quatuor, sed vel quatuor idest pœne seu ad quatuor, de longitudine autem iugeri lege Plin. Illud autem in Aristotele animaduertendum est, ipsum videlicet sibi contraria dicere videri. Nam si excrementum non noxium est, aut combustiuum, nisi cum ab irata, aut excitata, vel metuente emittitur; vt quid lustrum suum, ac latibulum fœta hoc se communit, excremento? quo tempore neque irata, neque excitata, neque in metu fugæ præsenti est? fortasse dicetur ad conspectum eius stercoris etiam si frigidi, & innoxij absterreri bestias ceteras, memores eius efficacitatis, ac virulentiæ quando recens est, & bestiam præstare ob sui tutelam id quod irata solet.

Plin. à Pintiani correctione defensus.

C. 3. l. 18. Aristoteles sibi contrarius in Bonaso videtur.

Effectus etiam timoris est immutatio colorum quod etiam in homine patet, quamquam & id aliàs ob caussas etiam fiat. vt notat Plinius; sed quæ propter timiditatem immutantur coloribus tria numerantur Polypus Chamæleon, & Tarandus. Plinius, *colorem mutat ad similitudinem loci, & maximè in metu* de postremo loquens. Item *colorem omnium arborum, fructicum, florum; locorumque reddit in quibus latet metuens ideoque rarò capitur.* de Chamæleonte. Plinius, & Tertull. vbi elegantissimè bestiolam describit æmulatus Plinium; & superans, inter alia hæc habet *Chamaleontem, qui audieris haud ante gnarum, iam timebis aliquid amplius cum Leone, at cum offenderis apud vineam ferme sub pampino totum, ridebis ilico audaciam, & Graciam nominis.* Mirum quam varia lectio in his postremis Tertulliani verbis. Alij *Græci, iam nominis*, alij *gratiam*, alij *graciam*, lege notationes Pamelij, sed facillima lectio est *ridebis illico audaciam egregiam nominis.*

Metus colorem immutat. Etiam in homine Pl. l. 11. c. 38.

Plin l. 9. c. 29. In tribus animalium generibus. L. 8. c. 34. Polypo. Tarando. Plin. l. 8. c. 33. Tertull. l. de pallio c. 3. Chamæleonte.

Tertulliani lectio emendata.

Atque hæc quæ dicta sunt; caussam timiditatis ostendunt, signa autem eius cognoscendæ varia apud Physiognomicos numerantur. Aristoteles multa affert, quorum aliqua sunt. Pili molles timidum sicut duri fortem, hoc autem signum in omnibus est animantibus. Timidissimum est enim ceruus, lepus ouis, & pilum habent mollissimum, fortissimum autem Leo, Aper, & pilo durissimo sunt. Est autem & hoc ipsum in auibus, quæcumque enim habent duram pennam fortes, quæcumque autem mollem, timidæ item vox acuta, & remissa, parua facies, & carnosa, oculi, vel nimium parui, vel nimium grandes, vel nimium introrsus immissi, vel exterius emissi, signa timidi sunt.

Signa timiditatis in animantibus. Pilus mollis. Sicut durus fortitudinis. Arist. in Physiog.

Et in auibus.

Oculorum, vel paruitas, vel magnitudo nimia facies parua.

Sed timidum Leporem nemo miretur, quis non stupeat Elephantum, & Tygrim, vestigio hominis *animaduerso priusquam homine*,

Elephantus timidus. Pl. l. 8. c. 4. & Tygris.

mine, intremiscere insidiarum metu, subsistere, ab olfactu circumspectare, nec calcare, sed erutum proximo tradere, illum sequenti, nuntio simili vsque ad extremum, & tunc agmen circumagi, & reuerti, aciemque dirigi adeo omnium odore durare virus illud maiore ex parte ne duorum quidem pedum.

Elephantos ait Plinius insidiarum metu contremiscere, rectè, nam vt Idem ait *insidijs, & fraude capiuntur*. Olfaciunt incursum hominis vestigium, & post olfactum subsistunt, & ab insidijs circumspectantes cauent. Iras autem perflare eos dicit, quia maiore quam consueuerint, nisu spiritum per promuscidem emittunt, quæ illis pro nare est, vt docet Aristoteles. An vero hæc proflatio ab ira potius, quam à pauore oriatur incertum. ab vtroque enim euenire solet in varijs animantibus. ex timore credo oriri Elephanto in hoc casu. Declaratur Plinij locus. Arist. l. 3. de par tib. an.

Quid vero est illud vestigium hominis erutum, seu derutum proximo tradere? Id vero mirificè explicant verba Eliani. *Tum vero* inquit *ex his partim antegredientes, partim subsequentes ordinatim eunt. Atque odoratam primus narum sagacitate herbam ante pedes suos positam sentiens humanis vestigijs esse transitam; eam euellit, & ei qui à tergo proximus, odorandam tradit. Is rursum alteri, qui post eum stat, ac deinceps per omnium quasi manus sagaciter contractetur, quo ad illum ipsum qui extremum agmen ducit, peruentum fuerit, is simul ac olfecerit barritum vastum edens, signum ad fugam dat*. Hæc Elianus, quæ obscuritatem Plinij elucidant. Sed illa Plinij verba, *Aciem dirigi*. quorsum hic? vbi timor, vbi consternatio, vbi retrogressio, vbi fuga. Legendum puto aciemque diripi, aut disijci: nam cum ante ordinatim procedebant, in fuga ordinem aciemque dissoluunt, ac diripiunt. Iam de Tigride pergit Plinius his verbis. *sic & Tigris etiam feris ceteris truculenta, atque ipsa elephanti spernens vestigia; homine viso transferre dicitur protinus catulos. Quonam modo agnito? vbi ante conspecto illo? quem timet. Etenim tales syluas minimè frequentari certum est*. Corrigenda Plinij scriptura in hunc modum est, *atque ipsum elephantum quoque spernens; vestigio hominis viso transferre dicitur protinus catulos*. Ita plerique aduertunt. Et rectè: sequitur enim de vestigio hominis sermo; qui hoc etiam pacto corrigendus. *Quonam modo agnito, nullibi ante conspecto illo, quem timet*. sequitur admirabundus harum rerum Plinius. *Sane mirentur ipsam vestigij raritatem: sed vnde sciunt timendum esse? Immo vero cur, vel ipsius conspectum paueant, tanto viribus magnitudine, velocitate præstantiores? nimirum hæc est natura rerum, hęc potentia eius sęuissimas ferarum maximasque nunquam vidisse, quod debeant timere, & statim intelligere, cur sit timendum*. Frigidè omnino quæstio hæc à Plinio soluta. nimirum talem esse naturam rerum; nisi nomine naturæ, Rursum explicatur ex Eliano. Elian. l. 1. de nat. anim. Plinij locus corrigitur. Tigris. Pl ibid. l. 8. c. 4. Locus eius emendatus. Iterum alius correctus. Cur hominem timeant bestiæ? Quæstio frigide soluta à Plinio.

diuinam intelligat naturam, ſed ille non aſſurgit. Deus igitur eſt, qui talem beſtijs naturam indidit vt ſibi ab homine tanquam à Domino, & vt ita dicam Tyranno cauerent, quod patet ex ſacris litteris.

Genеſ. Huc illa faciunt Dei verba ad Noe, & filios eius poſt diluuium loquentis. *Terror veſter; ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres Cæli, cum vniuerſis, quæ mouentur ſuper terram*, ſcilicet vt ante peccatum homini beſtiæ ſine timore parebant. Ita à peccato, quamquam homini eidem dominatio in beſtias magna ex parte ſublata eſt, tamen terror quidam inſitus in animantibus reliquus factus eſt, vt non hominis præſentiam modo; ſed vmbram, & veſtigia naturaliter expaueſcant.

SECTIO XVII.

DE STVDIO DISCENDI.

In multis viget. Elephantis in primis. Pſittacis, vnde ſolertes. Picis. Vnde ſcurræ Ouidio, Luſcinijs, Perdicibus, Turdis, Sturnis. Ceruæ hinnulos docent fugas. Saltus quid apud Plinium ex aliorum ſenſu, & ex noſtro dupliciter.

Studiũ diſcendi. HÆc etiam ſiue ſedulitas, ſiue inclinatio, ſiue ſtudium addiſcendi non ex naturali, & innato appetitu exiſtit: exiſteret enim in omnibus, aut in quamplurimis, ſed maximè ab anima, & appetitu ſenſitiuo, cui ſi naturalem etiam vim, atque impetum inſerere velis, non recuſo: dummodo hæc ad diſcendum affectio ex vi imaginationis excitetur. in qua præ ceteris, Elephantus excellit. De Elephantorum diligentia, ac ſtudio mirabilia Ælianus; ſed veriſſima, vt ipſe teſtatur, ſcribit. Enimuerò ad numerum ſaltare, Tibiæ auditione demulceri, curſum remorari ad ſoni tarditatem, ſeque remittere ad Tibiæ remiſſionem, rurſum, & acutè pulſa feſtinare Elephantus ſolitus eſt. Lege auctorem. Certum autem eſt vnum tardioris ingenij elephantum in excipiendis, quæ tradebantur, ſæpius caſtigatum verberibus, eadem illa meditantem noctu repertum. plura de huius animalis docilitate, ſolertia memoria, ac pæne intellectu videbis apud plurimos.

In Elephanto mirabile. Ælian. l. 2. c. 11.

In Pſittaco. Plin. l. 10. c. 42. Pſittacus ex Plinio, *Imperatores ſalutat, & quæ accipit verba pronunciat*, in vino præcipuè laſciuus, vidi qui octo carmina italica recitaret. Statius Papinius hanc auem ſolertem appellat.

Statius in Silu. *Humana ſolers imitatur Pſittace lingua*

De

De qua Poeta Satyricus

Quis expediuit Psittaco suum chaere,
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingenijque largitor
Venter, negatas artifex sequi voces. Persius.

Nescio an Persius veram caussam discendi in auiculis his ventrem dixerit, nullus in hec studium venter impellit, natura sola appetitum hunc inserit, vt scilicet cupiant effari, quæ audiunt, ac Pica. propterea studeant ediscere, quæ nesciunt, fateor ventris impulsu hominem illum Picas, & Psittacos voce Imperatoribus assentari docuisse. Iam pica amat verba, quæ loquatur, nec discit tantum, Plin. ibid. sed diligit meditansque intra semet cura, atque cogitatione intentionem non occultat.

Picam Ouidius scurram loquacem appellat de qua id quod Plu- Plutarchus. tarchus asseruit; quia curiosum est, ne pigeat adire, & legere. Ego adscribam ex Plinio id quod de Luscinijs ab ipso dictum Pl. l. 10. c. 29. est:

Certant inter se, palamque animosa contentio est, victa morte finit sæpe vitam, spiritu prius deficiente, quam cantu. Meditantur aliæ iuniores, versusque quos imitentur, accipiunt, audit discipula intentione magna, & reddit. vicibusque reticent. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quadam reprehensio. Miror inter aues huiusmodi, vt ita dicam Perdix loquax Statio. loquaces numeratam fuisse Perdicem à Statio. An vere?

Quique refert iungens iterata vocabula Perdix Statius.

Sed illam Plutarchus, etiam & Athenæus numerarunt. Agrip- Plutarch. Athen. pina Claudij Cæsaris coniux Turdum habuit hominum sermonem Turdus loquax; imitantem, habebant, & Cæsaris Iuuenes; item sturnum. Lusci- Sturnus. nias græco, atque latino sermone dociles præterea in diem meditantes, & assiduo noua loquentes longiore etiam contextu.

Sed ab auibus ad feras redeamus *Ceruæ* inquit Plinius, *editos par-* Plin. de Ceruis. *tus exercent cursu, & fugam meditari docent, ad prærupta ducunt, saltumque demonstrant*. Quid vero vocabulo saltus, velit significare Pli- Quid Plinio saltus, & Turnebo. nius, incertum est. Adrianus Turnebus cubile, & lustrum Ceruorum intelligit: quod in editis habere solent, male, nisi fallor. Nam neque hinnulis documento opus est, vt suum matrisue Male. cubile cognoscant: neque Plinius in hoc est, sed in eo quod Male ẽt ex alijs. mater fugam filio præmonstret. An verò pro montibus Saltus accipitur? minimè, neque enim vnius numero vsus fuisset Plinius, insolens autem locutio est, prærupta, & montem demonstrat. Alij saltum explicant Vallem, sed neque id placet, Mal tertio adhuc. per se enim ipsa Vallis cernitur, neque opus habet commonstrari. Et Plinius dixisset ad prærupta saltusque ducunt, accedunt vero intellectui qui saltũ pro saliendi pernicitate intelligunt. Ego saltũ cõ- Quorundã sensus. Sensus Plin. germanus.

monſtrare, idem exiſtimo eſſe, ac modum ſaltandi docere præſultando, & ad ſaltandum prouocando, quod eſt docere fugam in præruptis. Niſi fortè pro ſaltu ſaxum legendum ſit; aut ſanè intelligendum, de quo Ariſtoteles *Hinnulum* inquit *ducens in ſtabula aſſuefacit, quo refugere debeat. Saxum hoc eſt abruptum vno aditu; quo loco eam ſi quis inuadit expectare repugnareque affirmant*, quod eo libentius puto quia hic locus Plinij ex illo Ariſtotelis deſcriptus eſt.

Alius & ſenſus ex Ariſt.
Ar. l.9.c.5.

SECTIO XVIII.

DE ALIIS BESTIARVM AFFECTIONIBVS.

Amant quædam hominem ſocietatem etiam cum æmulatione, etiam cum laſciuia. Equi dominos quos extinctos cum lacrimis dolent ſoli cum Iſidoro defenſo contra Cerdam. Amant quædam genitores ſuos. Ciconiæ quæ à Petronio pietatis cultrices à Græcis Pelaſgi parentum altrices. Item Vpupæ. quod mirum cum malè audiant. Meropes piæ, lupi quis credat? Equi ſalaciſſimi in matres pudici. Quædam æmulæ, & inuidæ interſe. Num animantibus maleuolentia. Mos nautili Piſcis in contentione curſus. Quædam pudorem ſentiunt. Cerui amiſſis cornibus cur deliteſcunt. Mos Leonis in fuga Elephanti in libidine. Et cum edentulus. Quædam pudicæ. varia exempla de vnicorne.

EX hoc etiam capite veſtigia perturbationum in animātibus perſcrutabimur. Amore quædam feruntur in homine ardenti. Aquila à Virgine apud Seſton Vrbem educata, in tantum illam amauit vt cum demortua in eumdem ſe rogum conijciens conflagarit. Anſer Olenum puerum, item Glauciam Ptolomæi, Cythariſtriam, & eamdem Aries. Item Anſer alius Lacidem Philoſophum. Delphynes hominem vehementer amant, ſicut & Canes. Elephanti mulieres, & huiuſmodi amorum plura habes exempla apud Aelianum. Plinium. Athenæum, Herodotum Ariſtotelem.

Pl. l.10.c.5.
Aquila puellam amat.
Anſer. c. 22.
Rhodip. l.13. cap. 12. l.16. c. 13.
Ariſt. l.9. c. 48.
Aries.
Delphin.
Plin. l.9 c. 8.
Elephantus.
Canes.
Amor beſtiarum in hominem etiā cum æmulatione.

In quibuſdam amor furit, etiam vſque ad æmulationem, quod de Elephanto mulierem quamdam adamante fertur Alexandriæ; cuius Amaſius alter fuerat Ariſtophanes Bizantinus.

In quibuſdam etiam vſque ad laſciuiam defluxit, vt de equo ſemimiramidis, Plinius de Tauro Paſiphaes Poetæ.

Etiam cū laſciuia

An verò pulchritudine etiam capiantur? Nos aliquid ſupra diximus. Plinius Elephantos capi forma, & ad pulchritudinem mulierum ſicut, & Vnicornes manſuetudinem ait accipere. Ego id nequaquam aſſero, quamquam apud Iolcos in Cilicia amatum à

Capiuntur amore propter pulchritudinem Elephanti, & Rhinocerontes.
Non credo.

cane

Cane formoſum puerum ſcribatur. Et in Leucadia Virginem à pauone, & Pincernam regis Bithynorum à Gallo gallinaceo, & puerum in Iaſo à Delphine, & à Dracone puellam in Iudæa terra. horum enim amorum nego pulchritudinem fuiſſe cauſſam. *Ael. an. l. 6. c. 15. & cap. 17.*

Ab equis adamatos eſſe dominos, quis neſcit? De Bucephalo enim Alexandri, & de equo Cæſaris, Antiochi, & aliorum plenæ ſunt hiſtoriæ, & in obitu illorum lacrymas effuſas. De equis Achillis teſtatur Homerus, de Pallantis equo Virgilius. Quos vterque Poeta etiam lacrymis amorem ſuum eſſe teſtatos luculente teſtatur. **Equi dominos amant.** Rhodi. l. 13. c. 12. Pl. l. 8. c. 43. Iliad. 17. Virg. Aen. 11. *Et amiſſis lacrymantur.*

Homerus quidem ſic *Homerus.*

Lacrimæ autem ipſis.

Calidæ ab genis fluebant in terram humentibus

Maro autem ſic

Poſt Bellator equus poſitis inſignibus Aethon

It lacrymans, guttiſque humectat grandibus ora

Plinius de equis. *Amiſſos lugent dominos, lacrymaſque interdum deſiderio fundunt*, adeo vt Iſidorus dicat *Solius equi eſſe propter hominem lacrimari, & doloris affectum ſentire.* quem locum P. Cerda reprehendit afferens auctores multos, qui alijs beſtijs lacrymas tribuant; vt Leoni, Tauro, Aſinis Mauritanis, Iumentis. Sed iniuria Iſidorus reprehenditur. neque enim lacrymas alijs beſtijs fundi negat, ſed pro mortuo domino. Neque affectum ſenſumque doloris adimit illis; ſed hunc lacrymarum vnum ex obitu hominis. Et canem quidem dolere in obitu heri ſui, & gemere, vlulare, atque eiulare quis neget? nam & canum amores in dominum ipſe Iſidorus docet etiam demortuum. Lacrymas ergo ſolas negat, & has in demortuum herum quas qui canibus tribuat poeticè fortaſſe loquitur cum Calabro quem laudat Cerda. Lib 12 c. 1. *Cerda in Virg. 1. lib. 11. Iſidorus à Cerda reprehenſus. A nobis defenſus.* L. 2.

Eſt in animantibus amor etiam, & reuerentia erga editores ſuos. Ciconiæ pietas nota eſt. Parentibus in ſenecta pennæ decidunt, liberi ſuis illos alis ſuſtentant, huc illucque deferunt, nunc ad Solem apricum, nunc à Sole, aut frigore in nidum. lautè cibos ſuppeditant. Sed hæc erga parentes Ciconiarum adoleſcentum pietas, pretium pietatis maternæ erga ſe eſt, & grati animi ſignificatio. Sic enim habet Iſidorus. *eximia illis circa filios pietas, nam adeo nidos impenſius fouent, vt aſſiduo incubitu plumas exuant; quantum autem temporis impenderint in fœtibus educandis, tantum & ipſæ inuicem à pullis ſuis educantur.* Hæc Iſidorus, quæ vno verbo habet Plinius: *Genitricum ſenectam inuicem educant.* Iure igitur Ciconia à Petronio *Pietatis cultrix*, & à græcis *pelargus* dicta quaſi parentes alens iuxta legem de alendis parentibus Pelargicam ab Ariſtophane appellatam. Sed ea Plinij verba ab Ariſtotele accepta ſunt. *Amor animantium in genitores. Ciconia.* L. 12. c. 7. Plin. ex Iſidoro elucidatus. L. 10. c. 33. Varia de Ciconia. L. 9. c. 13.

Vpupam, aiunt quidam, in parentes humaniſſimam eſſe; frigeſcen- Gul. c. 3. Vpupa pia putatur à quibuſdam.

gescentes præ senio operire alis, cæcutientes lambere, tantumque fouere: donec iuuentuti, & lumini restituat. Miror hæc Vpupæ ascribi, quæ apud grauissimos scriptorum malè audit, & spurcissima habetur, negaturque nidum construere Aristoteli. Hanc ergo pietatem Meropi Philosophus attribuit. Plin. Isidor. & alij.

Falso fortasse. Nam male apud alios audit. Aelian. l. 3. c. 26. L. 6. c. 1. & L. 9. c. 15. Meropis auis pia Bargæus. Lupus pius.

Lupi in hoc etiam laudabiles quis credat? de quibus Bargæus.

Illum adeo placuisse lupis mirabere morem
Quod nec grandæua spernunt ætate parentes.
Nec sibi quem socium semel adiunxere relinqunt
Immemores.

Sed hæc pietas citra dapes est. nam lupus pater escas filio abripit, dum potest, quemadmodum idem docet Bargæus.

Ipse autem in lucos vbi densior vndique ramos
Implicat inter se, textumque iter obsidet ilex
Auolat & mater si quam expectantibus escam
Attulerat natis, ex ore exculpit.

De hac re in anterioribus scriptum est.

Equs salacissimus ẽt in matrẽ, & filias. Lib. 6. c. 22. Sed erga matrem reuerens. Varr. l. 2. ca. 7. de rust. Pl. l. 8. c. 42. L. 9. c. 47. Cameli reuerentia in matrem. Aemulatio, & inuidia animãtium inter se. L. 10. c. 20. Nautilus piscis aemulus. L. 1. de hist. c. 1. Pl. l. 10. c. 27. Pl. l. 9. c. 29. Aelian. Serrapiscis naues æmulatur. Ceruarũ pudor. Pl. l. 8. c. 32. Arist. l. 9. c. 5. Inuidentia.

Equs animal salacissimum est, hunc matrem, & filias superuenire ait Aristoteles, Sed reuerentiæ in parentem suam habes exẽpla plura apud Varronem, Plinium, & Æelienum, imo, & Aristotelem. Item Cameli apud eumdem Ælianum, & Arist.

Quædam animantes æmulationem habent inter se, & inuidentiam, ac maleuolentiam; vt Luscinia in Caturnices, Galli gallinacei in Pauones. Hanc tamẽ negat in Pauone Plinius, & alijs animantibus vniuersis Plutarchus. Aristoteles astruit, præsertim de Pauone, & Plinius ipse gallis attribuit. De Pompilo pisce quem nautilum appellat Plinius, lege, & Ælianum. Serra Piscis est alas habens oblongas, si nauim secundis ventis euntem viderit, ipse alis in altum porrectis motus omnes, & figuras mutationesque velorum imitatur, & cum ipsis nauigantibus de cursu certat; qui vbi quadraginta stadia compleuerit, labore fatigatus alas demittit, atque in proprium locum reuertitur.

Quid quod quædam pudore afficiuntur? Cerui amissis cornibus delitescunt, quod si id præ pudore fieri neges, attribue sis Prudentiæ, quod amissis lateant velut inermes, vt ait Plinius, cautelæ, vt ait Aristoteles, quasi enim sua amiserit arma cauet, ne inermis reperiatur. Quid quod inuidus etiam apparet Ceruus, occulit enim cornu sinistrum, ne reperiatur, tanquam medicamento aliquo præditum, & bono suo inuidet. Leo à pugna non fugit dum cernitur, sed retrocedit. Vbi vero oculos aspectantium euitarit illico se in fugam dat, Quin ne fugæ signa appareant Summa verrit vestigia cauda. Elephantum vbi dentes abiecit pudet in publicum prodire, pudet, & in publico maritum agere ergo solitudinem quærit etiam in maximo furoris eius æstu.

In Leonibus indicia affectionũ variarum. Pl. l. 9. c. 16. Elephãtorũ pudor

Quid

Quid quod quædam pudicitiæ amantes sunt? cornix vniuira est. Turtur vnius tantum coniugio contenta est, etenim siue mas, siue fæmina occubuerit, nunquam fides coniugij violatur. Sua etiam piscibus castitas est. Ethnæus piscis postea quam vxorem sortitus est, aliam non attingit.

Animantum pudicitia. *Cornicis.* *Turturis.* *Ethnei piscis.*

De Vnicorne Eustachius hæc memorat *Animal est paruum, hadi magnitudine, eximia pernicitate, & vehementia, cornu in summitate capitis vnico, hac porro ratione capitur. Virginem incorruptam ante eum coniiciunt, cuius ipse in sinum insilit, ea ipsum complexu fouendo in Regiam defert*. Mirum mihi est id, quod de magnitudine, seu potius paruitate Vnicornis scribit Eustatius, adeo ut Leo Allatius in suis ad hunc auctorem commentarijs existimet, maximè differre ab eo Vnicorne, seu Rhinocerote, quem describunt Plinius, Solinus, & alij, quem faciunt equo similem. Atque hæc breuiter de animalium affectionibus.

Eximia. Vnicornis. de quo mirum.

SECTIO XVIIII.

HOMINEM PERTVRBATVM BELLVIS ESSE SIMILEM.

Homo perturbatus abit in belluam, qua in re homo Deo est similis. Nisseni pulcher locus. Vitium belluina res est. Perturbati bestijs quibusdam comparati ex Homero, ex biblijs qua ratione perturbatur in beluam transit ex Boetio. in manu hominis est talem fieri. Voluptas vt dementet. Vlyssis cum Cyrce congressus ex Boetio, qui declaratus, & correctus. Circe cur solis filia. Cyrcæa veneficia qualia; eorum efficacia, & effectus; Medicamenta Veneficiorum horum duo. Herba moly. Gladij vibratio. An in hac vis vlla. Moralis Cyrcæi veneficij interpretatio ex Socrate, ex Plutarcho, quę acuta magis, quam vera. tertia Auctoris. Voluptatum vis. Porcus huius Symbolum. Auari Euangelica parabola ex Basilio illustrata; in voluptatibus an in veneficijs vis maior ex Boetio.

TAntum abest vt belluæ perturbationibus careant, quod homo ipse longe à bestiarum conditione distans, si perturbationum furore se sinat agitari, illico in beluinos mores abeat. Desciscit enim ab excelsa, illustrique parte, quam habet communem non cum immortalibus incorporeisque spiritibus solum, sed cum ipso etiam Deo; & in alteram delabitur longe inferiorem turpem, ac belluinam, quæ nullius ductu rationis dirigitur, verum suopte impetu, ac violentia in preces defertur. Neque enim, vt habet Nyssenus, *homo Dei refert imaginem, qua iracundia*

Nissen. de hom. opific. c. 18.

dia præditus est, neque voluptas præstantissimæ naturæ nota imputari debet, sicut & timiditas, & audacia, & malorum cupiditas; & odium status deterioris, ceteraque his consimilia longe à diuino illo charactere absunt. Quapropter hæc accepta de brutis, hominis vsurpare natura cæpit. Quibus enim vita Brutorum ad se conseruandum munita est, eæ res ad hominis vitam translatæ sunt, hæ ipsæ de quibus loquimur, animi siue perturbationes, siue affectiones. Iracundia belluas crudiuoras tuetur ab interitu. Fæcundas voluptatis appetitus: imbelles trepidatio: quæ à robustioribus se tueri nequeunt, metus: grandes sustentat ingluuies, contraque, si quo potiri nequeant, quod volupe sit, id dolorem in eis excitat.

Homo in perturbationibus non Deo, sed bestijs similis.

Plutarch. de Homer. *Vitium beluinū est.* *Iliad. 2.* *Iliad. 13.* *Iliad. 10.*

Poterat ne dici elegantius? Itaque rectè Plutarchus extremum perturbationum, seu excessum hoc est vitium, Belluinum vocat: quod & ab Homero notatum, & ab ipso Poeta Aristoteles vsurpatum docet. Homerus autem id præstitit, cum homines perturbationibus nimijs occupatos belluis comparauit. Sic timidos fugacibus ceruis similes facit, & suibus pastore carentibus, & leporibus. De ijs autem qui temerè, & inconsideratè ira efferuntur scribit.

Perturbati homines comparantur bestijs Ab Homero.

Non furor est tantus Pantheræ, siue Leonis
Siue immanis Apri, quo vix vehementius vlla
Perfurit, aut rabie desæuit bestia tanta;
Pantoidæ claris vt quanta ferocia in armis.

Dolore affectorum grauiori eiulatus, luscinіæ vocibus contulit, quæ

Odys. 16. *Item à Virgilio.*

Amissos quæritur fætus, quos durus arator
Obseruans, nido implumes detraxit

Quas ferè omnes bestiarum cum perturbatis hominibus comparationes transtulit in sua poemata noster Latinus Homerus. Sed ante hos omnes in sacris litteris elucebant hæ comparationes; in quibus iracundi leonibus, mansueti ouibus, cupidi hirundinibus, furore amoris impudici perciti Equis, & Mulis; rapaces Aquilæ, iniusti Accipitri, Auari, Coruo; lege Clem. Alex.

Quod & in sacris litteris factū ante. *Lib. 5. Str.*

De consol. Philos. *Qua ratione homo in belluā euadat.*

Quo autem pacto id fiat, & ex ijs, quæ demonstrata sunt luce clarius patet, & acutè docet Boetius. Neque enim credendum est hominem perturbatum, ita ab homine desciscere, vt naturam hominis exuat, aut rationem intelligentiamque amittat. Non de ea perturbationis vehementia sermo mihi in præsens est, per quā dementata omnino ratio defluat, aut induret, homo autem demens, aut amens, aut stultus efficiatur. Sed de ea per quam homo vitiosus, atque improbus euadit, quæ cum hominis animum inuasit, illum in alteram ignobiliorem, turpioremque conditionem transmutat, quæ naturæ hominem recta ratione vtentem dedecet quam maximè. *Euenit igitur*, inquit post multa Boetius, *vt quem transformatum vitijs videas, hominem æstimare non possis. Auaritia*

fer-

ſtruet alienarum opum violentus ereptor? Similem lupi dixeris. Ferox autem inquietus linguam litigijs exercet. Cani comparabis. Inſidiator occultus ſurripuiſſe fraudibus gaudet. Vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit. Leonis animum geſtare credatur. Pauidus, ac fugax non metuenda formidat. Cerui ſimilis habeatur. Segnis, ac ſtupidus torpet. Aſinum viuit. Leuis, ac inconſtans ſtudia permutat. Nil ab auibus differt. Fædis immundiſque libidinibus immergitur: ſordidæ ſuis voluptate detinetur. Ita fit, vt qui probitate deſerta homo eſſe deſierit, cum in diuinam conditionem tranſire non poſſit, vertatur in beluam. Hæc Boetius, & ſanè eleganter, & iuxta veram religionem.

Itaque in manu hominis eſt naturam conditionemque propriam, vel nobiliorem reddere perturbationes cohibendo: vel deteriorem facete, & in beluas deijcere per earumdem licentiam. Ad priorem præſtantioremque mutationem ſubeundam adiuuat, ratio prudens intra legis præſcriptum incedens, ad poſteriorem ſenſus inclinat, & appetitus, qui niſi rationi paret, imperat. Solet autem ſenſus voluptate propinatata tanquam Circæo poculo hominem à ſe auertere, atque intermutare, quod non minus eleganti carmine Boetius ita deſcribit.

In manu hominis eſt belluam fieri.

Voluptas quemadmodum homini dementat.

Vt Circe Vlyſſi ſocios.

Boet.l.4. metr.3.

Vela Naritij ducis,
Et vagas pelago rates
Eurus appulit inſulæ,
Pulchra qua reſidens Dea,
Solis edita ſemine,
Miſcet hoſpitibus nouis
Tacta carmine pocula,
Quos vt in varios modos
Vertit herbipotens manus;
Hunc Apri facies tegit,
Ille Marmaricus Leo
Dente creſcit, & vnguibus.
Hic lupis nuper additus
Flere dum parat, vlulat.
Ille Tygris vt indica
Tecta mitis obambulat;
Sed licet varijs malis
Numen Arcadis alitis
Obſitum miſerans ducem
Peſte ſoluerit hoſpitis;
Iam tamen mala remiges
Ore pocula traxerant,
Iam Sues Cerealia
Glande pabula verterant.

X Et

Et nihil manet integrum
Voce corpore perditis,
Sola mens stabilis super
Monstra, quæ patitur, gemit.

Dilucidātur Bœtij versus, & in parte emēdatur.

Narytium vocat Vlyssem vna regione sumpta pro altera. Narytij enim locrenses sunt, & terra in continente sita; at Vlysses Itacensis est, ex Insula Ithaca: nisi fortè legamus Neritij. Neritus autem mons est in eadem insula Ithaca, atque ita optime diceretur Vlysses Neritius, sicut & Ithacus. Ea etiam ratione Eurus capiendus est, neque enim Euro secundum propriam significationem accepto, poterat Vlysses vela, ratesque à Lestrygonum regione, quæ Cumis erat, ad insulam Circes appellere. Sic etiam *rates* cum dixit numerum pro numero posuit. Vnam enim tantum ratem habebat reliquam Vlysses, ceteris apud Lestrygonas amissis omnibus cum ad Circem peruenit. *Et vagas pelago* vocat, eo quod erroribus multis iactati huc illuc vagati fuissent Vlysses, & Socij.

Homer. Odyss. lib. 10.

Circe cur Solis filia.

Cyrce autem *Solis edita semine* dicitur, non quod à Sole, qui in Cælo lucet producta fuerit. (Id verò Poeticum figmentum est) sed quod ab homine quopiam, cui Sol nomen fuit Scythiæ Rege prodierit, per veram generationem. de quo Cicero, & Arnobius. *Herbipotentem* appellat, nam vt habet Virgilius.

Sol rex Scythiæ. 2. de nat. D. lib. 4. adu. gent. lib. 6.

Lib. 7.

Quos hominum ex facie Dea sæua potentibus herbis
Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum.

Quemadmodum Circe homines dementabat.

Herbarum autem harum vsus hic erat. Succum ex his exprimebat, & vino mistum, tum vero etiam potenti efficacique incantatione venenatum præbebat hospitibus bibendum, hæc sic ab Ouidio explicantur Homerum imitante.

Ouid. l. 13. Met.

Nec mora misceri tosti iubet ordea grani,
Mellaque, vimque meri, & cum lacte coagula passo,
Quique sub hac latitant furtim dulcedine succos
Adijcit, accipimus sacra data pocula dextra.

Hic lupis nuper additus, Legendum super additus, vt constet carmē. *Ille Tygris vt indica Tecta mitis obambulat*; Non quod indicæ Tygres mites sint, sed ꝙ homo ille vt Tygrē indicā præferat, tamen māsuetudinē seruat. Hoc. n. feræ illæ Circeæ propriū habebāt, vt cū sæuissimis essent feris similes, nō solum essēt innoxiæ, vt Homerus fingit; sed adulatrices, ēt & blādę hospitibus, ꝙ & Ouid. ex Homero accipit

Feræ Circeæ mites erāt, & blādæ

Odyss. 10.

Mille Lupi mistique Lupis Vrsique, Leæque.
Occursu fecere metum: sed nulla timenda,
Nullaque erat nostro factura in corpore vulnus.
Quin etiam blandas mouere per aera caudas,
Nostraque adulantes comitant vestigia.

Numē arcadis alitis, idest Mercurius arcas ales, vt numina diuū, idest diui, vel numē, idest volūtas, aut potestas Mercurij alas in pedibus petasoq; gestātis.

Peste

Peste soluerit hospitis. non propriè solutus dicitur Vlysses vinculis circæis, neque enim vnquam ligatus fuit, sed eo pacto solui dici potest, quia ligari potuit, & nisi adiutus fuisset iam alligatus fuisset. Modus autem soluendi duplex, sicut & ligandi fuit. Vis Circæi veneficij primum latebat in esculentis, ac poculentis, quæ qui attigissent, non illico in bestias abibant: sed in obliuionem altissimam rerum præteritarum incidebant.

Veneficia Circea primum obliuionem inducebant.

Quæ duplicia erant.

Primum in poculis.

Homerus.

Vt omnino obliuiscerentur patriæ terræ

Postea alterum sequebatur in virga latitans, qua attactos hospites induebat in feras.

Alterū in virga qua in feras conuertit percutiendo.

At postquam deditque, & biberunt, statim postea
Baculo percutiens in haris porcorum cohibuit

Et paulo post de ijsdem veneficijs Vlyssi adhibitis

Parauit autem mihi potionem aureo poculo vt biberem.
Et pharmachum immisit mala cogitans in animo.
At postquam deditque, & bibi neque me transformauit
Virga percutiens.

Quare ordinatè dixit Ouidius

Quæ simul arenti sitientes hausimus ore
Et tetigit virga summos Dea dira capillos
Et pudet, & referam, setis horrescere cæpi

Aduersus hæc duo venena, duo etiam medicamina, seu antidota docuit Vlyssem Mercurius. primum herbæ, alterum Gladij. herbam sic pingit Ouidius.

Aduersus duo hæc venena, totidem medicamina.

Primum Herbæ

Lib. 13.

Alterū gladij.

Pacifer huic dederat florem Cyllenus album
Moly vocant superi, nigra radice tenetur

Videtur autem in flore potius vim amuleti collocare, quam in radice. Contra Homerus radici, aut herbæ, quam flori.

Sic dicens dedit herbam Mercurius
Ex terra euellens, & mihi genus ipsum ostendit.
Radix quidem nigra erat, lacti autem similis flos
Moly autem ipsam vocant Dei. difficile autem effodere
Viris mortalibus. Dei autem omnia possunt.

Herbæ nomen Moly.

Quod si in flore vis, quid fuerat opus radicem euellere? de hac herba lege Plinium nonnulla scribentem. Alterum contra veneficia remedium erat gladius vibratus.

L.25.c.4.

Quando Circe te verberabit longo baculo.
Tunc tu ensem acutum trahens à femore
In Circem tanquam interficere cogitans.

Gladius vibratus

De qua vibratione est, qui credat in ea vim esse ad spectra, & veneficia fuganda. vt Crinitus, & Ananias, & alij. reque ipsa hodie magicæ artis labe infecti ea quandoque vtuntur. Sed si vis in gladij vibratione vlla est huiusmodi, non naturalis, sed Diabolica, & ex eius pacto, est. antiquissimis temporibus etiam exercita.

An in hac vis vlla.

L.7.hon.dis.c.4.

L.4.

Lamber. & Horten.in Virg.l.6.

Odiſſ.10. 11. vt ex Homero patet in Vlyſſe, & Circe. rurſum in eodem, & animabus ad epotandum ſanguinem aduentantibus apud Inferos. cũ ex Virgilio in Æneæ, ijſdemque animabus, lege de hac re Martinum Delrium.

Aeneid.6. *L.6.c.2.* *L.1.q 1.n.17.*

Moralis Cyrcæi Veneficij interpretatio. Iam quod ſub hoc cortice Cyrcæo myſterium, Homerus abſconderit plerique omnes putant fuiſſe vt ſignificaret, homines per eſculentorum, ac poculentorum ſuperuacaneas curas, eo deuenire vt homines, ideſt ratione recta vtentes eſſe deſinant, non quod vt dixi, in illis ratio deficiat. Ac propterea ab Homero diſcimus homines hoſce non in Leones, aut Lupos, ſed in Porcos eſſe omnes conuerſos. porcus enim vni eſui aptus eſt, dum viuit. Hic vero ſenſus eſt Socratis apud Xenophontem, qui arbitrari ſe iocando aiebat idcirco Sues homines effectos eſſe à Circe, *quoniam multis dapibus ipſos nutriuerit*. Vlyſſem autem partim Mercurij conſilio, partim abſtinentia ſua Suem factum non fuiſſe.

Quæ Socrati placuit.

Alia interpretatio ex Plutarcho de transmigratione animarum in alia corpora. Sed Plutarchus exiſtimat mentem fuiſſe Poetæ, Pythagoricam animarum humanarum in beſtias tranſmigrationem: eaque fabula, aut ænigmate innui dementium hominum animas in beſtiarum corpora immigrare cum incidunt in vniuerſi circularem reuolutionem, quam Circem ipſe appellat, & vt pateret, Solis filiam facit. Atque Vlyſſes qui eſt ſapiens iſtam mutationem perpeſſus non eſt cõtra caſum à Mercurio, ideſt ratione munitus. Sanè hæc Plutarchi acuta magis, quam vera interpretatio Homeri eſt. Voluit autem eo in libello Plutarchus, quem de Homero ſcribit, & ſe & Homerum facere omniſcium, atque oſtentare, quod erat ſuperuacaneum Philoſopho, atque indignum.

Quæ acuta magis quam vera.

Noſtra interpretatio. Sanè Cyrce res ſunt corporeæ, quæ ſcilicet ſuæ formæ pulchritudine homines ad ſe ſe alliciunt. Cibi, & pocula, quæ offert, voluptatem ſignificant: hæc excitat in homine cupiditates, perturbationes, & commotiones animi. Hac deguſtata virtutis obliuio ingreditur, poſt hanc, Imperium ſenſus contra rationem, baculo ſignificatum. Tum vero homo ſus efficitur, ideſt rationis rectitudine amiſſa, totus in cæno, ac volutabro vitiorum ſenſum ſequens velut porcus iacet. An non hoc animal cænoſæ voluptatis eſt Symbolum? Audi Clementem ſuper eo præcepto ſcribentem, quod Iudæis datum legitur. ne porco veſcerentur. *Nam porcus* inquit, *quod eſt animal voluptati deditum, & immundum, ciborum cupiditatem, & ſalacem in re venerea libidinem, & inquinatam ſignificat intemperantiam, materialemque, & in luto iacentem; & quæ ad cædem pingueſcit, & interitum.*

Porcus voluptatis ſymbolum. Ex Clemente. Strom.l.5.

Cui ſimiles voluptuoſi.

Luc.12. Baſilius. Homil. de auarit. *Auarus* Euangelicus. Acutiſſimè igitur nec minus verè Baſilius ad Auari illius qui deſcribitur in Euangelio voces. *Anima habes multa bona repoſita, comede, bibe, oblectare. O bruta verba,* inquit, *ſi ſuillam animam haberes, quid ei prore læta, niſi hoc ipſum, renunciares? Adeo ne pecuinus es?* huius

ius Epulonis voci similis fuit vox illa Sardanapali Asyriorum Regis opulentissimi, sed voluptuosissimi.

Hæc habeo, quæ edi quæque exaturata libido
Hausit; at illa iacent multa, & præclara relicta. Sardanapalus.

Epitaphium hoc erat sepulcro regio ab ipso Rege insculptum deque ipso vox extat Aristotelis voci Basilij similis, quam Cicero his refert. *Quid aliud, inquit Aristoles in bouis non in Regis sepulcro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne viuus quidem diutius habebat; quam fruebatur.*

Vides ne igitur quantas habeat vires incitata perturbatio? vt quemadmodum veneficijs suis Circe homines in iumenta commutabit, ita hæc suis idipsum præstet voluptatum incantationibus. Sed Boetius in superius allato carmine maiorem esse vim perturbationum ostendit, quam incantationum. Sic enim habet. Voluptatis vires Boetius.

O leuem nimium manum,
Nec potentia gramina,
Membra, quæ valeant licet,
Corda vertere non valent.
Intus est hominum vigor
Arce conditus abdita.
Hæc venena potentius
Detrahunt hominem sibi
Dira quę penitus meant
Nec nocentia corpori
Mentis vulnere sęuiunt.

Sensus Boetij est. Circæa pharmacha solis corporibus nocuisse detrahendo ab illis hominum speciem, formamque externam, quæ oculis est aspicientium subiecta. Ceterum in rationem, ac mentem nullam prorsus vim habuisse, aut exercuisse. Integra mens, & ratio in eo corpore immutato remansit; quemadmodum ante immutationem fuerat. Paraphrasis carminum Boetij.

Hi autem porcorum habebant capita, vocemque, corpusque.
Et setas: At mens erat firma sicut prius. Homer.

At enimuero voluptates intacto quidem corpore, formaque corporis nulla ex parte permutata; primò impetu in animam, & rationem penetrant, atque inuadunt, in ea impressiones suas faciunt, & eam à recto rationis, consilijque cursu, vsuque deflectentes, perturbant de statu suo, vt in morem belluæ nihil exinde sentiat, atque cogitet; nisi terreum, ac belluinum. Pro *mentis vulnere* legendum, *vlcere* est, quo versus constet.

§ : ✠ : §

LIBER

LIBER QVARTVS


DE EFFECTIBVS PERTVRBATIONVM.

FOntibus, riuulis, locisque, vnde perturbationes enascuntur commonstratis, ad earum aquarum vim, effectusque progredimur: quibus nemo est qui non madefactus horrescat; tu tuorum in te affectuum effectus hac libri huius lectione commeditator, quorum Nos commentando, patiendoque magnam iam nubem sustinuimus, qua vtinam aliquando Diuini Solis radijs dissipata, ad lucem tranquillitatemque veniamus.

SECTIO I.

QVA RATIONE APPETITVS, ET PERTVRBATIONES VOLVNTATI PAREANT.

Voluntatem his aliquando parere certum. sed liberè. voluptates non cogere, sed allicere voluntatem. Vter ventis plenus Vlyssi datus ab Aeolo quid physicè, & moraliter. Perturbationes venti. In senibus sedatiores. Vlysses cur ab Aeolo iterum accedente repulsus. Syrenum fabula quid ex Fulgentio imo ex Ambrosio, à quo Maximus. Quemadmodum voluntati obsequatur appetitus despoticè, an politicè? Politicè omnino, non seruiliter. Modus quo voluntas appetitum moderatur. Per intellectum, & Phantasiam. Exemplo declaratur Hyppoliti, & Phædræ apud Senecam. Appetitus primo renuens obsequi, tum mitior. Via virtutis ardua. Appetitus Protheo similis, demum mansuescit, sed tu ne fide; non bona mansuescit fide, Ex obsequio appetitus, nobilitas hominis, & salus. Belluinum est appetitus non parens rationi, duo optima Aristotelis loca.



ARERE aliquando voluntatem perturbationibus, & has illi, certum, & experientia, & fides diuina facit, & quod Poeta dixit. *Trahit sua quemque voluptas*; & quod alter, *video meliora, proboque deteriora sequor*. & quod ille alter. *furor cogit sequi peiora*. atque alia similia, quæ ad hanc rem laudat Poetarum testimonia Clemens Stromateus. Demum quod diuino loquens ore Paulus. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: non imperium appetitus, supra voluntatem liberam, & dominam sui; quod Hæretici

Virg. Eclog.

Ouid.

Voluntas liberè paret.

Lib. Strom. 6.

Senec. Hippo.

Ad Roman. 7.

retici quidam pecuinum ſanè genus, & ſeruile exiſtimant, ſed illecebras, & illectationes denotant quibus voluntas obluctari, & omnino obſiſtere valet. Quoniã autem à Latinis ceptum eſt Poetis, proſequamur, ſi placet, cum Græcis. Homerus Vlyſſem de Æolo Ventos ſibi commodante ſic loquentem inducit.

Voluptates autem illecebroſæ.

Odyſſ. l. 10. *De Aeolo ventos Vlyſſi intra vtrẽ concludente.*

Dedit autem mihi excoriatum Vtrem bouis nouennis
In quo procelloſorum ventorum ligauit flatus.

Quid hiſtoriæ, aut moris in hoc vtre clauſum velit Homerus explicabo.

Palephatus primum explicat hiſtoricè, Æolum, ſcilicet Aſtrologum fuiſſe, qui Vlyſſi ad eum aduentanti temporum momenta prædixerit, quibus certorum ventorum fierent exortus. Aſtrologum autem fuiſſe Æolum præter Palephatum dicit Clemens Alexandr. qui hanc ſcientiam edoctum ait fuiſſe ab vxore ſua Hippona filia Chironis item Aſtrologi de qua ait Euripides.

Interpretatio phyſica. Palaphatus.

Aeolus aſtrologus. Strom. 1. *à quo edoctus.*

Diuina quæ primum quidem præſagijt
Oraculis, atque per ortus Syderum.

Heraclides poſtea ad mores ſpectans ita exponit. Sapientem virum eſſe Æeolum, qui doceat, quẽadmodũ quis ſuas animi, ſenſuſque perturbationes coercere; quique eas moderari habeat intra pectus, ne effluant, ne perturbent omnia, atque ipſum etiam hominem in miſerandum naufragium deferant. Quod & Vlyſſi accidit; nam dormiente eo nautæ vtrem aperiunt, & venti repente diffluunt. hoc eſt dum mens, & ratio deſidet, appetitus ſenſitiui, quorum eſt menti parere, tamquam nautarum gubernatori, perturbationibus aditum pandunt; & à recto curſu auertunt. Quod autem in vtre ſenioris bouis incluſos, Æolus ventos fecerit; illud credo innuere voluiſſe in prouectioris ætatis viris ſedatiores debere eſſe perturbationes potius, quam in adoleſcentioribus. *Mens enim ratio, & conſilium in ſenibus vigent*, in quibus cetera frigent. Iam verò iterum ad Æolum recurrit Vlyſſes, & ſubſidium ventorum denuo rogitat, at ille indignabundus.

Interpretatio moralis. Heraclides.

Venti ſunt perturbationes.

In ſenibus ſedatiores eſſe debent.

Valeas ocius ex inſula peſſime viuentium.
Neque enim mihi fas eſt accipere, neque admittere
Virum illum, qui Dijs inuiſus eſt beatis. Odyſſ. 10.
Abeas, quoniam certe dijs inuiſus huc veniſti.

Cauſſa huius tam vehementis expulſionis eſt. Nempe qui coercitis primum paſſionibus, aut tranquillis frœna poſtmodum laxauit, vt pro libidine flarent fluerentque: ſi poſtliminio ad ſanitatem, & frugem redire in animum inducit; is maiores enimuero difficultates ſubibit, donec rebelles illas cateruas obſequentes iterum faciat, atque ad officium reducat. Poſſunt igitur à voluntate ſub imperium redigi paſſiones, quandoque quidem facilius, aliquando difficilius, ſemper tamen poſſunt.

Cur redeuntẽ ad ſe Vlyſſem Aeolus eijcit.

Ne-

Odyss. l. 12. Nequeo manum ab Homero dimouere, nisi etiam, quæ de Vlysse, & Syrenibus ab eo cantatis explicat Fulgentius attulero. *Syrenas, idest delectationum illecebras, & audiuit Vlysses, & vidit, idest agnouit, & indicauit; transijt nihilominus, atque contempsit, ideo mortuæ sunt, in sensu enim sapientis omnis voluptatis affectus emoritur*. Hæc Fulgentius. Quam interpretationem tradiderat ante Fulgentium Sanctus Ambrosius à quo S. Maximus eamdem allegoriam accepit. Quamobrem rectè Nemesius de perturbationibus ait, *Dicuntur autem hæc rationi obedire, quoniam nata sunt vt pareant, & ad nutum rationis moueantur; in ijs quidem hominibus, qui conuenienter naturæ viuunt*.

Fulgentius in Mithol. Syrenes moraliter explicata à Fulg.

S. Ambr. l. 3. de fid. c. 1. tom. 4. & tom. 5. serm. 6. S. Maximus hom. 1. de cruce. Nemes. c. 16. de animæ facultatib. Ter. cum.

Sed an ita voluntati parent appetitus inferiores, vt cogantur tanquam à Domino Seruus, & vt loquitur Aristoteles despoticè quemadmodum apud Terentium Phædria Parmenoni, idest seruo dominus imperat.

Ph. *Fac ita vt isti deducantur*

Par. *Faciam* Ph. *at ita diligenter* Par. *fiet* Ph. *maturè*. Par. *fiet*;

Pareantne voluntati perturbationes despoticè, an politicè.

An verò politicè, ac ciuiliter; vt deduci, & rogari potius quam mitti, & imperium pati videantur, tanquam à Gubernatore Ciues, aut à parentibus liberi dubitatio nonnulla est.

Ciuiliter parent. Non seruiliter.

Et sanè ex his, quæ sunt à nobis superius demonstrata elúcere res ista per se ipsam satis potest, quoties enim rationi, vt côquiescant imperanti, appetitus tamen præfractè tumultuantur? quoties præueniendo conclamant? at excitatæ voluntati, & multis argumentis per intellectum propositis tandem conquiescunt. Ciuiliter igitur potius, quam seruiliter obsequuntur.

Arist 1. pol. l. 3. S. Th. 1 p. q. 81. a. 3. ad 3. 1. 2. q. 17. art. 7. Virg. Aeneid. 1.

Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est,
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus
Iamque faces, & saxa volant, furor arma ministrat.
Tum pietate grauem, ac meritis, si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Plutarch. in Comment. de virt. moral.

Audi Plutarchum per quam sapienter hac de re loquentem. *Qui verò* inquit *non assequuntur, quomodo brutum quod est, rationi obtemperare possit, ij mihi non videntur vim rationis perspicere, quanta sit ea, quo penetret imperando, ac ducendo. Non duris hoc, & refractarijs ductibus, sed conformantibus, & obedientia, ac concedendo plusquam necessitate, ac vi conficientibus. Etenim spiritus nerui, & ossa reliquaque corporis partes, vtique rationis vacuæ sunt; tamen dato impetu, vbi ratio quasi concussit habenas, omnia suum ordinem seruant, congruunt, ac parent*. Legito quæso commentariolum illum, qui aureus est, & alia multa in hanc quæstionem habet.

Modus quo voluntas appetitum dirigit.

Qua in re operæpretium est modum intelligere, quo interse potentiæ operentur. Voluntas enim sensibili appetitui nequaquam per

per ſe ipſa imperat; ſed medio intellectu, neque hic niſi præmota phantaſia dirigere appetitum valet. Huius ergo directionis, Imperijque ratio talis eſt. Cum intellectus noſter id, quod ſibi obiectum eſt, altius penetrauit, imaginatiuæ illud facultati proponit oſtendens in eo ſibi propoſito obiecto maiorem ineſſe rationem boni, aut mali; quam ipſa Phantaſia cogitarat, atque adeo illi perſuadet; aliud de illo iudicium denuo eſſe ferendum. Quo peracto iudicio, acquieſcens intellectui Phantaſia mouet appetitum; vt à ſua perturbatione diſcedat, aut in ea firmius perſiſtat. Ex quibus vides voluntatem adhibito intellectu proponere imaginatiuæ rationes, & conſilia; per quæ appetitus, non neceſſitate deturbatus, ſed veluti acquieſcens conſilijs placatur.

Per intellectum; & Phantaſiam.

Exemplum huius rei habes in Hippolito ſenecæ vbi nutrix ſuis conſilijs Phædram à fœdo amore auertere conatur.

Senec. Hippo.

Nutr. *Theſæia coniux, clara progenies Iouis,*
Infandu caſto pectore exturba ocius,
Extingue flammas, neque te diræ ſpei
Præbe obſequentem.

Et multa ad hæc adiungit Nutrix, quid autem Phædra?

Quæ memoras ſcio
Vera eſſe, nutrix; ſed furor cogit ſequi
Peiora.

Tum nutrix rationes exaggerat multas, quare ab amore illo ſit deſiſtendum; ſed hæc reſiſtit.

Nutr. *ferus eſt.* Ph. *amore didicimus vinci feros.*
Nutr. *fugiet.* Ph. *per ipſa maria, ſi fugiat ſequar.*
Nutr. *Patris memento.* Ph. *meminimus matris ſimul.*
Nutr. *Genus omne profugit.* Ph. *pellicis careo metu.*
Nutr. *aderit maritus.* *Ph. nempe Pyrothoi comes.*
Nutr. *aderitque genitor.* Ph. *mitis Ariadnæ Pater.*
Nutr. *Per has ſenectæ ſplendidas ſupplex comas.*

Igitur nutrix mens eſt, & ratio. Phædra appetitus perturbatione amoris vehementer incenſus. Iam ex his liquido videri poteſt, quot voluntas, & intellectus conſilijs, argumentis, & ſuaſionum ponderibus vti ſoleat ad appetitum inflectendum, perturbationemque compeſcendam, quibus ipſe vix cedit, cedit tandem, & manus dat.

Principio tamen, vt dixi, tamquam ſeruus contumax. Sed quid ego ſeruum appellaui? qui ſæpe tyrannum agit in Regno animæ? quis autem tyrannum eijciat, niſi per violentiam? Dionyſio tyrannidem relinquere deliberanti, neſcio quis ex amicis reſpondiſſe fertur ſi te pedibus protrahant, relinque, & trade, neque hac erat opus perſuaſione. Dulce enim eſt regnare. Hoc idem eſt in appetitu. Is vbi ſe ſupra rationem poſuit, deijcitur difficillimè; poſt modum

Appetitus primò cum difficultate obſequitur.

Vis virtutis initio ardua. Strom. 4.

paulatim edomitus mansuescit, & mollius excipit imperia voluntatis. *Sudor* dixit Alexandrinus Clemens, *ante virtutem est positus.*

Via longa est, & accliuis ad ipsum
Ardua namque prius; sed cum ad fastigia ventum est,
Fit facilis, qua difficilis valde ante clueret.

Virg. Geor. 4.

Et vero antequam Protheus hominis formam recuperat,

Appetitus est Prothei instar.

Omnia transformat sese in miracula rerum
Ignemque, horribilemque feram, fluuiumque liquentem.

Appetitus scilicet, qui semel ab hominis, & rationis imperio in belluam abierit; quantas, Deus Immortalis, molestias, curasque subire te oporteat, vt illum in obsequium tuum redigas? vincendus est tamen, & vinciendus.

Tandem mansuescit. At tu ne crede.

Verum vbi nulla fugam reperit fallacia victus
In se se redit, atque hominis tandem ore loqutus.

Nam demum contumacia relicta obsequitur rationi vt filius. Sed huic, tu filio ne crede. Tygres Leonesque nunquam feritatem exuunt, aliquando submittunt, & cum minimè expectaueris exasperatur toruitas mitigata. *Nunquam bona fide vitia mansuescunt.*

Senec. ep. Non bona fide mansuescit. Obiectio. Responsio.

Si ita est, inquies, vt appetitus noster subditus sit voluntatis legibus, deterioris erit cōditionis, quam brutorum appetitus sibi soli parens, & neminem præter se sibi superiorem habens. Sanè hoc perturbatissimæ imaginationis delirium est; se bestiam esse malle, quam parere rationi. Audi quid Vesana illa vesanissimo patris sui amore furens optet.

Ouid. met. Beluinum est velle appetitum non subditum voluntati, & rationi

Sed enim damnare negatur
Hanc Venerem pietas coeuntque animalia nullo
Cetera delicto, nec habetur turpe iuuencæ
Ferre patrem tergo, fit equo sua filia coniux
Quasque creauit, init pecudes caper, ipsaque cuius
Semine concepta est ex illo concipit ales.
Felices quibus ista licent, humana malignas
Cura dedit leges, & quod natura remittit
Inuida iura negant.

An tibi fæmella hæc hominis habere figuram videtur potius, quam equæ rabiem indomitam, atque inconsultam?

Hor. l. 3. od. 11.

Quæ velut latis equa trima campis
Ludit exultim, metuitque tangi.

Et hæc quidem metuit, ac veretur, nondum scilicet maturescente ad fæcunditatem natura. At illa, vbi pudorem exuit, exuit quoque rationem, & in belluam abijt tota.

Probatur ex Aristot. de Rep.

Iamuero huic horum interrogationi, aut insaniæ respondebo cū sapientissimo Aristot. dicto illos arguente, qui propter viuendi libertatē Democratiā Reipubl. præferebant. *Itaque viuit vnusquisque*

in

in talibus democratijs, vt vult; & quo libido trahit: vt ait Euripides. at hoc malum, & vitiosum est, non enim oportet existimare seruitutem esse viuere ad Reip. administrandæ formam accommodate, sed salutem. Hæc ille, & pulcherrime, ita salus est appetitui, non seruitus; viuere ad formam, & normam rationis. Addo alterum Philosophi locum ad hanc rem omnino factum. *Licet igitur quemadmodum diximus in animali primum cernere; & herile Imperium, & seruile. Animus enim in corpore Imperium herile obtinet. Mens autem in appetitum ciuile, & Regium, in quibus perspicuum est consentaneum esse naturæ, atque expedire corpori animo seruire, & ei animæ particulæ, quæ ad motus suscipiendos mentis valet; eiusque particulæ, quæ rationi prædita est imperio parere. Iuris æqualitas autem, aut contrarium eiùs, quod diximus, omnibus est detrimentosum.*

Salus est appetitui obedire rationi.

Quod iterum ex Philosopho probatur.

Ar. l. 1. de rep. c. 5

SECTIO II.

AN LIBERTAS SIT IN APPETITV SENSITIVO.

Dilemma quæstionem proponens. Vtinam appetitus seruiat rationi, quam felix seruitus, Cogi nequit, non tamen est liber, neque perfectè, neque imperfectè quod Caietanus. Contra quem multa. Cur non libenter obtemperat rationi. Phantasiæ vis in appetitum, qui quandoque refractarius, aliquando serior, nonnunquam facilis, quod magnum Dei munus. omnia exemplis graphicè declarata ex Poetis, & Aristotele cuius sensus pulcherrimè à nobis enucleatus contra aliorum expositiones.

VIdeo quid ex dictis argumenti sequatur. Dilemma est. Posita, inquies, voluntatis suasione, vel potest appetitus ei obsistere, vel non potest: si primum detur; igitur liber est. Si secundum, mancipium est, & *Nunc demum esse me seruum intelligo, quia obediendum est mihi.*

Dilemma.

Plaut.

Vtinam verò appetitus humanus ita seruus rationis esset, vt ab eius imperio deflectere ne latum quidem vnguem, quiret.

Nunc seruitus si euenit, ei vos morigerari, mos bonus est.

Eamque herili imperio, ingenijs vestris lenem reddere.

Si appetitus voluntati seruus sit, quid absurdi?

Verumtamen cogi appetitus non potest; suaderi illi potest. non tamen liber est, aut perfectè, quod nemo sanus asserit, aut imperfectè, quod Caietanus, est ausus dicere. *Vires namque naturæ nostræ* inquit, *in parte sensitiua sicut in cognoscendo, sunt secundum se excellentes totam naturam brutorum, per hoc quod appetunt cum quadam libertate Itaque non solum ex hoc, quod actualiter mouentur à voluntate; sed se ipsis, quia sunt tales*

Cogi non potest appetitus non tamen est liber. Perfectè, aut imperfectè. Contra Caiet. in primam 2. qu. 74. ad ar. 4. Eius ratio.

 idest

idest quia sunt volentis quodammodo liberæ sunt .sic ille .

Argumentū contra Caietan.

Sed enim si liberè quodammodo sunt, igitur boni quidpiam, vel mali ab ipsis, quatenus ipsa sunt fieri, & laus ab ipsarum actionibus, aut vituperatio accidere potest. At hoc ipsum negat Aristoteles *neque igitur virtutes*, inquit, *neque vitia perturbationes sunt. Primum quia ex perturbationibus neque boni, neque mali dicimur, ex virtutibus autem, & vitijs dicimur. Deinde quoniam perturbationes nobis, nec laudi dantur, nec vitio, neque enim, qui timet, laudatur; neque qui simpliciter irascitur, sed qui certò modo, propter virtutes autem, & vitia laudamur, ac vituperamur. Virtus autem, & vitium ex consilio, & electione existit.* Quæ igitur libertatis vmbra esse in appetitu sensitiuo queat? hic autem Aristotelis locus affertur à Diuo Thoma.

Confirmatur ex Aris. l.2. mor. c.4

D.Thom. loc. cit.

Argument. quod nulla in appetitu sensitiuo libertas.

Quod & validissima ratione comprobatur, omnis enim libertas ex aliqua cognitione oritur, quæ propter diuersa media cognita indifferentiam quamdam habet; sed appetitio sensitiua oritur ex cognitione sensus, in qua, neque ratiocinatio est, neque diuersorum inquisitio, perspectioque mediorum, neque vlla apparet indifferentia, igitur in appetitu sensitiuo nullum extare debet libertatis indicium.

Lege Vasq. in primam 2. disp. 104.

Si liber non est appetitus cur non libenter obtēperat. Ratio huius.

Restat inquirere quamobrem cum libertate fruatur appetitus nulla; tamen imperijs rationis non ita obtemperet libenter, atque hilariter; vt bonus seruus domino. Huius autem rei ratio illa est, quia cum ipse sit virtus, facultasque affixa obligataque organo corporeo, duplici, aut etiam triplici ex re suis in operationibus dependet. Primum à Phantasia apprehendente; deinde ab ipso organo, quod commouetur; præter hæc à sensibus externis obiectum repræsentantibus. Hinc fit, vt licet imperio voluntatis Phantasia correcta, & quodammodo mutata, appetitus ad motus phantasiæ commotus ceperit ad tranquillitatem redire: quia tamen in organo alterationes sanguinis, ac spirituum iamdudum commotæ, adhuc etiam integræ, aut ex parte feruent, præterea, quia sensus ipse ex obiecto illo concepto odorem attraxit alicuius boni; restant adhuc in appetitu fluctus aliqui, impulsusque perturbationum, quasi reciprocantium, & renitentium voluntatis præcepto. Quemadmodum postquam venti omnino posuere, fluctus tamen adhuc demurmurant ex antecedenti impetu concitati. Ita, quamquam in homine constans Regina voluntas cum imperio profert inquiens.

Ex dependentia appetitus à Phantasia, & alijs.

Similitudo.

Virg. Aeneid. 1.

Tanta ne uos generis tenuit fiducia vestri?
Iam cælum terramque meo sine numine venti
Miscere, & tantas audetis tollere moles;
Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.

Quamquam inquam hoc imperat, haud tamen
Dicto citius tumida æquora placat

Col-

Collectasque fugat nubes, solemque reducit.

Quin vero est, vt aliquando resumenti vires, & impetum appetitui voluntas cedat. *Aliquando etiam Vires contra voluntatem resumit.*

Sic cum grauatam nauita aduersa ratem
Propellit vnda; cedit in vario labor
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quod ratio poscit, vincit, ac regnat furor.

Senec. Hippo.

Et, est, quemadmodum dixi, vt paulatim quiescant vndæ, & tumore illo primo, ac valido demisso, quædam supersint agitatiunculæ, si non pertinaces, certè ad obediendum lentæ, sed nauigationem nequaquam impedientes. *Quandoque leniter resistit, obediendo tamen.*

Vbi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, & lenis crepitans vocat auster in altum.

Virg. Aen. 3.

Est vt ad imperantis nutum tempestas omnino moriatur. *Quandoque libenter.*

Permitte Diuis cetera, qui simul
Strauere ventos æquore feruido
Deprælиantes, non cupressi,
Non veteres agitantur orni

Horat. l. 1. od. 9.

Atque hoc, Deo diuisque adiuuantibus, summum beneficium est. *Quod est magnum beneficium.*

Quorum simul alba nautis
Stella refulsit.
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes
Et minax, sic Dij voluere ponto,
Vnda recumbit.

Horat. l. 1. od. 12.

Illustrabit prædicta omnia Textus Aristotelis ad hanc rem factus, qui & ipse per explicationem nostram aliquid etiam lucis accipiet. Sermo autem est Philosopho de ratione deliberatiua, de voluntate rationali, & de appetitu sensitiuo. Atque *Deliberatiuum non habet appetitus: Vincit autem aliquando, & mouet voluntatem: aliquando autem illa hunc: sicut sphæra, appetitus appetitum cum incontinentia facta est, natura autem semper superior principalior est, & mouet. Adeo vt tribus lationibus iam moueatur.* Hæc ille. cuius explicatio est. Quod appetitus sensitiuus appetitum rationalem, seu voluntatem aliquando superat, & secum trahit; ac mouet: ita vt velit, quæ appetitus sensitiuus appetit, hoc autem accidit, quando homo incontinenter se gerit. & immoderatè, atque irrationabiliter. Aliquando tamen voluntas, & rationalis appetitus, alterum appetitum secum trahit, & eius motum suo motui subdit, facitque vt se sequatur. Quemadmodum est in sphæra Orbium cælestium; in qua superius Cælum inferiores orbes mouet. Atque hic mouendi modus naturalis est. Ex præscripto enim naturæ est, vt superior inferiorem regat, atque moueat. Ita fere commentatores in hunc tex-

Arist. l. de an. 3. text. 57. Illustrantur supradicta per Aristotelem.

Cuius sensus est exacte à nobis enucleatus.

textum. Sola illa verba *cum incontinentia facta est*, ab aliquibus accipiuntur, quasi tunc appetitus superior inferiorem mouet, cum motus fit per continentiam, seu ex continentia, ita vt illud in, non sit particula negans continentiam, sed inferens, quod quidem falsum esse patet ex textu græco. Iam vero si incontinentia pro uitio accipitur, vt debet, extra suum locum transposita esse videtur. Ibi enim erit apponenda, *Vincit autem aliquando, & mouet voluntatem cum incontinentia facta est*. Huic tamen obiectioni satisfiet, si dicatur, hoc in scribendo, Aristoteli sæpe obseruatum, vt transpositione verborum vtatur, & veluti Parentheses adhibeat. Præterea illa. *appetitus appetitum* vt visum est, plerique omnes accipiunt, pro appetitu rationali mouente sensitiuum, quod claritatis studio Conimbricenses ita à græco verterunt. *Interdum hæc illum, appetitus, inquam, appetitum vt sphæra*. Mihi tamen alia videtur mens Aristotelis esse. Est autem hæc. Voluntas mouet appetitum sicut in sphæra, in qua primum mobile, quod est appetitus mouet appetitum, idest ceteros orbes inferiores.

Interpretatio Conimbricensium explicatur.

Quomodo motus voluntatis, & appetitus motibus cælorum comparentur.

Vocat autem primum mobile, & ceteros orbes nomine appetitus, non vt ostendat se exemplum sphæræ solum attulisse, quo ostenderet voluntatem esse appetitui superiorem, itaque eam mouere. Sed vt etiam doceret modum, & rationem mouendi sicut enim in cælestibus motus per Aristotelem fit ex amore, & appetitu intelligentiarum vt ipse docet. Ita in motu voluntatis, & sensitiui appetitus. Vnde textum hunc, quem præ manibus habemus ita concludit Philosophus *vt tribus lationibus iam moueatur*. Quorum verborum sensus est. Sicut in Cælestibus triplex est ratio motus, quidam enim est à mouente non mobili, neque moto ab alio; alius à mobili, seu moto, & mouente. Tertius à mobili, seu moto, & non mouente. Primum est Aristoteli primum principium, ac Deus. Amatum, & amabile. Secundum est primum cælum, mobile, atque hoc est etiam mouens. Tertium est reliqua sphæræ pars, quæ tantum mouetur ab alio. Ita accidit in homine si naturæ seruetur ratio. In eo enim primum mouens immobile est ratio deliberans, quæ mouet immota. secundum est voluntas, quæ à ratione quidem mouetur, sed ipsa etiam mouet appetitum sensus, qui est tertium mobile, non mouens; quæ omnia quam aptissimè quadrant ad explicandos motus voluntatis, & sensibilis appetitus in homine.

Arist. 12. metap.

Aliorum expositio reijcitur.

Ex quibus liquet, quam extra rem sit, cum quidam tres motus intelligunt motum Cælorum diurnum, motum raptum eorumdem inferiorum à primo, & motum proprium omnium. Quid hæc ad propositum Aristotelis? Alij alio modo hos tres accipiunt motus. sed & magnam obscuritatem inducunt, & ab intentione Philosophi longius abscedunt. Quæ ex supra ab eo dictis patent: vbi &

Text. 45.

ratio-

rationem intelligentem, quæ bonum intelligibile, & appetibile intelligit mouens non motum vocat, & voluntatem, mouens motum, & appetitum motum tantum.

SECTIO III.

AN OMNIS PERTVRBATIO SIT MALA.

Duo stoicorum principia. Alterum de animæ distributione, quæ declaratur. Alterum nullum esse voluntarium motum nisi prævia opinione siue mala, siue bona. consequentia ex his. perturbationem omnem esse malam, & morbum vitij. Stoici concedunt primos animi motus indeliberatos, negant vero esse perturbationes, quod illis cum Peripateticis discrimen, non in verbo tantum, sed in re. negant in parte sensitiua vllam esse perturbationem. in perturbationibus nullam admittunt intensionem, aut remissionem. Hinc illis peccata æqualia. contra Stoicos de indeliberatis motibus voluntatis argumentum exemplo Socratis firmatum. Item motiones posse esse nunc vehementes, modo leuiores. Prosperi præclarum hac de re dictum, quod elucidatur vbertim. Distinctio facultatum animæ ex Peripateticis, quos sequimur. Perturbationes propriæ in parte sensitiua, quæ indifferentes. Et in omni animante esse nunc vehementiores, nunc sedatiores.

ET nos aliqua cum de Zenonis definitione loquuti sumus hac de re prælibauimus, ex occasione definitionis à Zenone allatæ, nunc proprius est dicendi locus. *Cic. 9. Tusc. l. 4.*

Qualitates igitur, & perturbationum affectiones inspicientes à Stoicorum principijs quibus cum disputatio est, exordiendum iudicauimus, inde enim facilius vniuersa quæstio patefiet. Hi ergo duobus quod ad præsentem spectat quæstionem vtuntur principijs quorum primum illud est. Quamquam duas in partes ex Pythagora, quæ etiam Platonis est doctrina, animam diuidunt: & alteram rationis participem, alteram expertem constituunt, hanc tamen posteriorem, non eam intelligunt partem, quæ à Peripateticis appetitus sensitiuus dicitur, sed ipsa eadem est anima per eos ratione vtens, quæ quatenus ea appetit, quæ contra rationem sunt, bruta, & expers rationis ab ipsis, quasi in pœnam appellatur. Alterum eorum principium est, nullum voluntarium motum, actionemue animæ oriri; nisi ex prævia opinione iudicij, siue praua, siue recta. Et motiones, quæ ex praua prodeunt perturbationes esse, quæ vero ex recta, voluntates appellari.

Quæstio est contra Stoicos præcipuè quorum duo principia.

In primo bifariã diuidunt animã.

Quæ diuisio declaratur.

Alterum principium.

E quibus duobus veluti fontibus deducunt Stoici, omnem omnino

Deductiones Stoicorum ex principijs dictis.

ninò perturbationem malam esse, & veluti morbum animi. Cuius omnes morbi, & perturbationes ex aspernatione rationis eueniunt. Eorumque ratio est, quia opinio quam perturbatio sequitur iam praua, & falsa est, quæ vero ab infecto venenatoque fonte deriuat, perturbatiò mala, & morbida est. Itaque illi perturbationem à peccato nulla ratione distinxerunt. Lege Senecam.

Omnem .s. perturbationem esse malam.

Senec.epist.116.

Quid? inquies, an non Stoici motus animi concedunt primos, & subitaneos, & indeliberatos? ita quidem, sicut & appetitus sensitiui, & corporis motiones: sed neque malitiæ, neque perturbationis nomine donant, quamobrem etiam in sapiente illo suo constante, ac moderato viro istas ponebant, quia hæ anteuertunt omnem rationem, & arbitrium, opinionemue, & vi quadam, ac naturali impetu se se inserunt, atque ingerunt homini. Sed donec opinio iudicij, & voluntas rationalis non operentur, perturbatio nulla existit.

An Stoici concedant motus indeliberatos.

Concedunt.

Etiam in suo sapiente.

Atque hoc est inter Stoicos, ac Peripateticos de perturbationibus discrimen, quod quamuis à Sancto Augustino, & alijs circa sola nomina, vocabulaque versari existimetur; non tamen adeò nullum est, vt in re etiam ipsa vniuersa consentiant, quod & Cicero, & Sanctus Thomas adnotarunt.

Primum igitur Stoici nullam in appetitu Sensitiuo quantumuis vehementissima motione, siue iræ, siue doloris agitato, perturbationem esse dicebant. Vnde in solis hominibus hanc asseruerunt existere, non in bestijs, quæ nulla ratione præditæ.

Perturbationes Stoici in sola ratione ponebant.

Præterea nullam in perturbationibus ipsis admittebant intensionem, aut remissionem, sed indiuisibiles statuebant: ita vt quæ remissa nunc est, eadem postea minime possit intendi, & quæ nunc intenta, remitti aliquando nequeat: quorum ratio est quia illæ in rationalis appetitus actionibus consistunt, quæ indiuisibiles sunt, quandoquidem spirituales. Hinc illud illorum paradoxum. *Peccata omnia esse paria* Præterea perturbationes malas intrinsecè, & secundum se faciebant omnes sicut & voluntates bonas. Sunt enim per ipsos, actus, vt dictum est potentiæ rationalis liberi.

Hinc illis omnia peccata æqualia.

Iam antequam de Peripateticorum sententia disseram, quæro à Stoicis; illæ ipsæ motiones voluntatis rationalis primæ, & indeliberatæ, atque inconsultæ, quasque esse perturbationes, & malas negant, quid, quæso dicant esse? non enim sunt nihil. operationes enim eas manifestum est esse volentis rationis; per quas ipsa voluntas, aut ratio hominis permota est, atque impulsa de suo statu quieto, atque tranquillo, quamquam nondum depulsa, atque deturbata, Igitur si perturbationum nomine quispiam illas donet, non ab re faciet, neque quid contra respondere habeant Stoici, video, quas cum indifferentes esse, & non malas ipsi asserant,

Ostenditur primas voluntatis motiones esse Perturbationes.

rant, conficitur ſane perturbationes poſſe eſſe, non malas. Rurſum quæro ex ipſis; quo tempore Socrates (Magiſtrum Stoicæ diſciplinæ, ac fontem laudo) quo inquam tempore Xantippem domi moroſiſſimam vxorem mulieremque, quam maxime iurgioſam perpetiebatur. Num ne motus irarum, indignationumque in animo inſurgentes compeſceret: an fortaſſe nulli in animo Socratis huiuſmodi motus emergerent? Hoc ſecundum, vix cogitari poteſt, inſueſcebat enim Philoſophus per hæc, vt ipſe aiebat, & exercebatur vt vxoris iniurias perpetiens, ceterorum quoque foris petulantias, & iniurias facilius ferret; quin imo ex hoc Socratis dicto apparet, ipſum ſi quando foris petulanter ab aliquo inceſſeretur, commoueri animo ſolitum. Hæ itaque animi commotiones domi foriſque à Socrate ſedatæ, quid ſunt ſi perturbationes non ſunt? & nondum quidem malæ, ſed cohibitæ, ne tales fierent.

Et eſſe in ſapiente viro. Gell. l. 1. c. 15.

Adde quod, hæ non æquali ſemper vi, ac vehementia animum Socratis percellebant: fieri enim poterat, vt ex leuiori iniuria leuior commotio oriretur; grauior ex grauiore, igitur non omnis perturbatio eiuſdem, atque æqualis eſt intenſionis. Quod ipſum de deliberatis voluntatum motibus, quos ipſi perturbationes vocatis dici poteſt. Nam non omnes æquali animi ardore, efficacitateque eliciuntur. Et Aſſenſiones voluntatis non æquo omnes impetu efferantur, vt per ſe patet. Quamquam enim omnes huiuſmodi rationis motiones impartibiles ſint, quippe ſpirituales, vna tamen vehementior ardentiorque, quam alia eſſe poteſt, ſicut cognitio ex cuius ſuaſione ipſæ emanant clarior in vno intellectu, quam in alio contingit.

Item non eſſe æquales vehementiæ.

Etiam quæ deliberatæ ſunt.

Sed audiamus Sanctum Proſperum per quam doctè hac de re diſputantem; qui poſt nonnulla, ſic habet. *Non ergo has affectiones habendo, ſed eis male vtendo, delinquimus; quia humanorum affectuum proprietas hominis indicat naturam; qualitas bonam, vel malam ſignificat voluntatem, ac ſic motus hi, qui in hominibus affectiones ſunt; ijdem ipſi in bene vtentibus virtutes; & in male vtentibus paſſiones, ſiue perturbationes, aut vt quidam volunt, Aegritudines fiunt. Nec audiendi ſunt Stoici, qui eas penitus eradicari poſſe, & debere contendunt, quoniam omnino nullus eſt ſenſus vbi timendi, vel dolendi, cupiendi, ſiue gaudendi nullus inuenitur affectus.* Hæc Proſper cuius in verbis quædam explicanda occurrunt.

Proſper de vita contemplat. l. 2. c. 31.

Affectiones non per ſe malæ, aut bonæ.

Primum quod à nobis ſcriptum eſt, *hominis indicat naturam* in quibuſdam libris habetur, *hominis indicat Creatorem*, in alijs, *creaturam*. Melius putauimus ſcribendum naturam; quæ opponitur voluntati liberæ, de qua ſtatim loquitur Proſper, niſi velimus ſcriptum, creaturam, non ea ſignificatione, vt quippiam creatum à Deo denotetur, ſed qua, modus ſignificetur creãdi hominis quaſi

Proſperi Verba elucidantur.

Tertull. l. 2. contra Marcion. & alibi. De fuga in persec.

diceret. Condituram, ideſt conditionem, ſeu modum quo creatus, & conditus homo eſt, quemadmodum Tertullianus paraturam dixit, ideſt modum parandi, & concuſſuram, ideſt concuſſionem, ſeu modum concutiendi. ſecundum hunc ſignificatum idem erit creatura, atque natura, præterea cum dicit, *qualitas bona, vel mala, ſignificat voluntatem*. Nomine qualitatis non genus intellexit, aut prædicamentum affectionum, quæ à Philoſophis qualitates appellantur; & in prædicamento, ſeu cathegoria qualitatis collocantur, etiam ſi bonæ, aut malæ non eſſent. Sed qualitatem affectionum hic intelligit Proſper accidentariam, & illis aduenientem à libera voluntate hominis, quæ cum bona, vel mala eſt transfundit has qualitates in affectiones. Quare proprijſſimè loquutus eſt, cum dixit, *qualitatem affectionum ſignificare*, ideſt ſignum eſſe, bonitatis, vel malitiæ, quæ eſt in voluntate. Nam Bonitas, & Malitia proprie non eſt in illis; ſed quantum in illas à voluntate tranſmittitur, cuius illæ ſunt adminiſtræ, & eius bonitatis, vel malitiæ ſignificationes.

Præterea cum dicit hos motus *in bene vtentibus fieri virtutes*, non intelligit Proſper, ipſas qualitates perturbationum, aut ipſarum operationes fieri virtutes. Sed docet ex frequentatis huiuſmodi actibus, qui boni ſint, & ſtudioſi ingenerari in homine virtutes, quæ ſint habitus permanentes, & qualitates difficile mobiles, inclinantes ad eaſdem bonas operationes.

Præterea com addit *in male vtentibus fieri paſſiones, aut perturbationes, aut ægritudines* ſic ex opinione, ac more Stoicorum loquitur, nam ipſi per hæc nomina volunt peccata, & errata denotari, quod tamen ſecus habere docuimus. Nam & in Chriſto Seruatore noſtro, & in Sanctis etiam viris, à quibus omnis peccati, erroriſque odor, procul abeſt, Paſſiones, & perturbationes extitiſſe, plurimæ ſcripturæ tum ſacræ, tum ſanctorum etiam doctiſſimorumque virorum conteſtantur, vt vidimus. proprius autem loquendi modus eſt, ſi dicamus in male vtentibus ingenerari vitia.

Iterum Proſperi ſententia de Stoicis.

Tandem cum ſubdit *nec audiendi ſunt Stoici, qui, &c.* Stoicorum innuit, & notat Apathiam, de qua ſermo nobis erit, poſtea. Nunc ea, quæ prædictis Proſper ſubijcit recitemus.

Denique quaſi, inquit, *& ipſos pæniteret ſuæ ſententiæ excepta triſtitia, quam ea de re inſapientis animum negant, reliquos affectus immutatis nominibus ineſſe ſapientibus dicunt. Cautionem pro timore, pro lætitia gaudium; & voluntatem pro cupiditate ponentes, quaſi ſapiens non timeat, ſed caueat. & velit, non cupiat, non lætetur in hac vita, ſed gaudeat. Non autem credunt eius contriſtari animum. quod triſtitia, quæ accidere ſolet ex commiſſo peccato, ſapientem quem putant nullum habere peccatum, ſtimulari non poſſit aliqua recordatione peccati.*

Sapiens Stoicus non triſtatur, & cur ex Proſp.

Hæc

Hæc quæ de Stoicis habet Proſper late dicta, & enucleata habes in Tuſculanis Ciceronis, & diuerſis apud Senecam locis. *Cicero l. 3. & 4. Tuſchul.qq.*

Triſtitiam autem Stoici non eam ſolam cognorunt, quæ ex peccato commiſſo oritur. Sed alias multas aliunde exorientes. Nam miſericordiam à ſapiente ſuo amouerunt, quam triſtitiam eſſe dixerunt, aut cum triſtitia coniunctam, mutarunt igitur Stoici etiam iuſtitiæ nomen ſaltem ex parte; cum miſericordiam quidem amouerunt à Sapiente, nam & Iuſtitia cum miſericordia plerumque eſt, ſi non ſemper. *Triſtitia Stoicis non ex peccato ſolum oritur.* *Iuſtitia à Stoicis ex parte diminuta.*

Multa in eo capite alia ſuper addit Proſper contra Stoicos; quorum pleraque ex Sancto Auguſtino ſe ſumpſiſſe teſtatur, quem mirificè laudat, tractat autem Auguſtinus hoc argumentum in libro de Ciuitate Dei. Sed iam ad Peripateticorum doctrinam veniamus. *Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 14. c. 9.*

At Peripatetici multo melius, quibus, cum D. Thoma, SS. Patribus, & vniuerſa Theologorum ſchola aſſentimur. hi animæ facultates induas diuidunt partes: vnam ratione præditam, quam rationem ipſam eſſe dicunt, vocitantque, & hanc rurſum in rationem intelligentem, & in rationem volentem, ſeu appetentem partiuntur. Alteram rationis expertem, non ita quidem ab euentu effectuque: quaſi ea à recto rationis tramite abierit: ſed quia re ipſa ratione caret, veluti in beſtijs, quamuis in homine ſit cum ratione coniuncta. Vulgato autem nomine appetitus dicitur ſenſitiuus, qui rurſum in appetitum concupiſcibilem, & iraſcibilem diſtribuitur. *1. 2. qu. 24. ar. 2. Peripateticorum diuiſio animæ, quam ſequimur. In partes duas. Rationalem, & ſenſitiuam. Quæ ambæ in partes etiam duas.*

Iam perturbationes proprie non niſi in appetitu ſenſitiuo ſimpliciter collocant, vt in primo à nobis libro viſum eſt. Negant item eas eſſe intrinſece malas, aut bonas; ſed has denominationes in illas deriuari aſſerunt à voluntate, ac ratione illas acceptante, vel reijciente, aut imperante, vel moderante, prætereà non in ſolis hominibus, ſed etiam in beſtijs exiſtere: intenſionem item remiſſionemque ſuſcipere, & modo augeri modo etiam diminui poſſe. *Perturbatio proprie in appetitu ſenſitiuo. Non eſt intrinſece mala, nec bona S. Th. 1. 2. qu. 24. ar. 1. Sed hæc a voluntate habet*

SECTIO IV.

AN PERTVRBATIO CONFERAT AD BONITATEM ACTIONIS VOLVNTATIS BONÆ.

Negant Stoici. exemplis tamen quæſtio explicatur, & pars affirmans laudatur. Sed cautè incedendum in hoc. Perturbatio ſæpe rationem obſcurat qua ratione cum voluntate boni iungitur. quæ auget, aut indicat bonitatem. Illuſtratur locus ex Pſalmo 89.

SOlet hæc dubitatio agitari à Stoicis, & Peripateticis circa irã, quam hi cotem eſſe fortitudinis, illi vero inſaniam affirmant, *Quæſtio hæc agitatur inter Stoicos, & Peripateticos.*

qua de re suo nos loco agemus, nunc vniuersaliter de omni perturbatione disceptamus.

Stoici negant.

Quod si Stoicos roges, quid sentiant, illico negabunt. nam omnis perturbatio per ipsos mala cum sit, vitiabit operationem, quam contingit, & suo veneno inficiet, imo ipsa erit vitium, peccatum, & sibi ipsi venenum, atque ita malam reddet actionem vitiosamque. Esto enim illa, quæ rationem anteuertit, si reprimatur, non corrumpit actionem voluntatis bonam, illi tamen motus consequentes ad actum rationis, aut eum comitantes; etiamsi ad ea, quæ recta sunt, & honesta inclinare videntur, nihilominus cum mali ipsi sint, necesse est, vt inficiant. Exemplo rem explicabo. Si quis misericordia moueatur erga miserum ex appetitus passione voluntatem sopitam mouente, ad aliquam miserendi operationem, quemadmodum apud Comicum in Pamphilo adolescente, Amoris improba perturbatio lachrymas in funere Chrisidis eliciebat, quæ honesta ex misericordia exoriri videbantur, de quo Pater Simo sic loquitur.

Indeliberati non vitiant.

An motus indeliberati vitiēt voluntatem bonam, quam comitantur.

Exempla ad dubitationem augēdam explicādāq; Exemplū primū.

Terent. in Andr.

Ibi tum filius cum illis qui amabant Chrisidem,
Vna aderat frequens
Curabat vna funus, tristis interim
Non nunquam collacrimabat; placuit tum id mihi.
Sic cogitabam. Hic parua consuetudinis
Caussa mortem huius tam fert familiariter:
Quid si ipse amasset? Quid mihi hic faciet Patri?

Nesciebat scilicet Pater Pamphilum collacrimare in funere Chrisidis ex amore, quo in Glicerium sororem eius ferebatur; quodcum resciisset ait.

Hinc illæ lacrimæ, hæc illa est misericordia.

Videlicet non ex impulsu solo virtutis excitata: sed perturbationis etiam, & amoris erga sororem Glicerium inhonesti.

Addo, & aliud exemplum ex eodem loco eiusdem Pamphili. Nam dum rogo Chrisidis ignis subijcitur, & flamma excitatur, Glicerium sese conijcere voluit in medium ignem, accurrit amans Pamphilus, & retinuit miserans.

Mea Glicerium, inquit, *quid agis? cur te is perditum?*

An inquam hæc operatio misericordiæ ex appetitu sensitiuo profecta, bonitatem adiuuerit actionis, quæ postea à voluntate prodijt, quæ itidem Misericordia dicitur? & ipsa quidem faciem honestatis habere videtur. Nam Pater non inuenit in ea caussam obiurgandi filij.

Exemplum alterum ex eodem Terent. in Andr.

Sim. *Redeo inde iratus, atque ægreferens.*
Nec satis ad obiurgandum caussæ; diceret.
Quid feci? quid commerui? aut peccaui pater?
Quæ se se voluit in ignem conijcere, prohibui

Ser-

Seruaui: honesta oratio est.

Vide quid Patri etiam seruus Sosia respondeat quodque iudicium faciat de actione Pamphili

So. *Recte putas.*
Nam si illum obiurges, vitæ qui auxilium tulit;
Quod facias illi, qui dederit damnum, aut malum?

Videtur itaque Pamphili lacrimantis, & auxiliantis fuisse misericordia; sed non fuit, quippe à perturbatione contagionem contrahens. Id ipsum in omni actione accidere asserit Stoicus, cui Perturbatio, aut motio appetitus præiuerit.

Sed vero aliud subijciam exemplum. Vnde appareat actionem voluntatis, nequaqnam perturbatione infici, quantumuis præeunte. Amicus erat Dauid Ionathæ filio Saul, ex eius amici beneuolentia commotus, filium ipsius alioqui aduersarium fortasse, in aulam admittit, in mensam, in amicitiam. An hæc Misericordia non optima erit, & laude dignissima.

Igitur ad quæsitum dicet aliquis misericordiæ ex appetitu proficiscentis operationem, & aliam quamcumque posse ad bonitatem conferre: neque ego id ibo inficias, dummodo cum electione, & animaduersione fiat rationis, non ex malo aliquo fine, vt in Pamphilo accidit, in quo præluxit intellectui, & voluntati scelesta perturbatio, ac facem duxit, veluti ancilla subsequenti dominæ malo ex fine, & vitioso. *Quæstionis resolutio posse esse bonas & conferre ad bonitatem actus voluntatis.*

Sed in hoc magnum latet periculum.

In hoc vero negotio magnum latet periculum, & cum magna eundum est circumspectione, tanquam si anguem premas:

Periculosæ plenum opus aleæ *Hor. l. 3. od. 5.*
Tractas, & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Cum enim animi perturbationes, quæ actum rationis, & voluntatis anteeunt, etiam si in obiectum non malum ferantur, quemadmodum est de qua loquimur Misericordiæ perturbatio, cum, inquam, hæ soleant obnubilare iudicium; ex quo pendet bonitas operationis voluntatis, consequenter diminuent de ipsius bonitate; sicut de claritate rationis, & intellectus; ad cujus luminis mensuram bonitas, & malitia operationis in voluntate, perpenditur. exemplum de face prælucente, in hac re nos adiuuat. Aliud enim est, si ebrio, vt ita dicam Hero præluceat puer, & ad Aedes ducat, aut trahat dominum subsequentem; quo puer deducit pæne nescientem: aliud si Dominus sobrius Imperio suo præueniat puerum, ac iubeat, vt sibi faculam præferat hanc in partem, ac locum: quamquam ipse deinde subsequatur. Ita in opere misericordiæ; si perturbatio voluntatem ducat, ipsa eadem perturbatione, veluti temeto ebriam; non male quidem operabitur, ad suas enim se ædes recipit, & bonam actionem exercebit. At si præeuntis *Nam perturbatio solet obnubilare lumen intellectus, & consequenter diminuere de bonitate actionis.* *Est ergo regenda à voluntate.*

tis

tis passionis voluntas, veluti sobria eligit, ductum sequi, suo ex fine prudenter, ac scienter electo persuasa; tunc laudabilius sane, & benè operabitur. Laudabilius enim est si quis ex iudicio rationis aliquid boni operetur, quam si ex sola passione misericordiæ, aut alterius perturbationis.

Duobus modis perturbatio iungitur cum bona voluntate.
S. Th. 1.2 q.24. a. 3. ad 1.
Vno cum voluntas vehemens trahit appetitus perturbationem.
Altero cum voluntas bona facit, vt appetitus sua operatione sequatur.

Duobus adhuc modis potest perturbatio appetitus cum voluntate boni permisceri. Vno si voluntas ita vehementi intensione bonum aliquod aggreditur, vt appetitum etiam secum trahat; & motum rationis partisque superioris sequatur motus animæ inferioris; tanquam Imperatorem miles, & quemadmodum primi mobilis, (exemplum est Aristotelis) vehementissimam concitationem reliquorum Orbium Cælestium motus, qui raptus dicitur ab Astrologis, consequitur. Alter si voluntas, præterquam quod, ipsa bonum suo actu eligat operandum; imperet etiam appetitui, & ipsum doceat se sequi sua moderata, & mediocri, affectione; sicut si quis Princeps amicum adeat inuisendum, & honoris gratia suos secum familiares, nil tale cogitantes deducat.

Prior est indiciū bonæ voluntatis.

Iam prior modus nequaquam ad bonitatem actus voluntatis augendum confert, quia appetitus actio, non electa, & aduocata arbitrio iudicij interfuit, sed cum adesset impulsu voluntatis operantis, attracta fuisse videtur. Itaque bonæ optimæque in voluntate operationis indicium potius quam augmentum erit. Contra in modo posteriore auget actionis honestæ bonitatem. Sicut enim melius est cum quis ad internum voluntatis actum bonum, addit etiam externos corporis motus, operationesque: ita optimum erit si ad hæc duo addatur etiam ex electione tertium, quod est appetitus sensitiui passio per rationis regulam directa.

Posterior auget.

Ps. 83.
Exemplum dictorum duorum modorum in Dauide

Ad hæc facit illud Sanctissimi Regis Dauid. *Quam dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum*. En quam vehementer accenditur amore diuinæ visionis, atque adeo domicilij illius beatissimi? *Concupiscit, & deficit anima mea.* Concupiscentia hæc non est sensus veluti præeuntis, neque enim in ea, quæ oculis corporeis subducuntur, ire per se sensus potest; sed est amor vehemens rationalis animæ expressus vocabulo spectante ad sensum, præit ergo in hoc amore voluntas Dauidis, & tanti amoris vehementia, deficientiæ, & deliquij nomine significata, excitat etiam appetitum sensus, illumque turbat amore, docetque, vt se sequatur, *Cor meum*, inquit, *& caro mea exultauerunt in Deum viuum*. In quo exemplo si motio cordis, & carnis, idest sensus, priore, quem dixi, modo se habeat; indicium est bonitatis, & perfectionis amorum Dauidis. Sin vero posteriore, erit & indicium, & augmentum. Cum autem Augmentum hoc dico, non id intelligo, vt scilicet ad optimam ex priore modo profectam operationem, posterior modus bonitatem superaddat, neque enim hanc facio comparationem, sed

illud

illud assero, perturbationem à voluntate bene operante attractam, conferre ad augmentum bonitatis in eadem voluntatis actione. Et ad priorem quidem operandi modum pauci admodum sunt, qui peruenerint de quo loquar quando de Apathia differendi dabitur locus,

Prior modus rarus est, & paucorum.

SECTIO V.

AN, ET QVA RATIONE PERTVRBATIO VOLVNTATEM MOVEAT AD ILLICITA.

Quod orator eloquens, hoc perturbatio ad malum suadens. exemplum ex Senecæ Phædra. pugna ipsius cum bona voluntate. exemplo Didonis proponitur. Dolus ipsius, & ordo in fallendo. S. Thomas laudatus, & elucidatus.

QVemadmodum ad ea, quæ secundum rationem agit voluntas à suis perturbationibus moueatur, sæpius dictum est in superioribus: nunc de ratione, qua ad ea, quæ à recta ratione abhorrent, ab iisdem incitatur, seorsim agendum.

Quod de Pericle scripsit Aristophanes eloquentissimo viro, fulgurare, scilicet eum tonare, ac permiscere Græciam: hoc de appetitu dici potentissimo ad perturbandas superiores animi partes, potest. Imponit enim Orator Auditori, & fucum facit eloquentia, atque ab eo quod antea recte sentiebat, ita auertit in partem contrariam, vt oderit etiam se in ea fuisse sententia. Ciceroni cum coram Caio Cæsare pro M. Marcello vellet dicere, negata audientia est, demum solius audiendi Ciceronis studio concessa, nulla Marcello ignoscendi voluntate. Cæpit orare Tullius, sensimque se in animum Cæsaris irati ita insinuare, vt tandem ipsum mirabiliter immutarit, adeo vt non aduertenti libelli quos inter digitos tenebat, Cæsari deciderint: qui Marcello tandem ignouit.

Appetitus potentissimus ad permiscendam superiorem animæ partē.

Similitudo sumpta ex vehementia Oratorem.

Plutarch. in Cic.

Hoc idem voluntati contingit nobilissimæ animi portioni: dimouetur enim non raro de suo statu, atque sententia, propter vehementes appetitus sensitiui perturbationes; & dum quieta tranquillaque degit, si flatus passionis ingruerit, commouetur illico, & tempestatibus agitata huc illuc defertur.

Talis est vehementia Perturbationis.

Nil idem dubiæ placet,
Artusque varie iactat incertus dolor.
Nunc, & soluto labitur moriens gradu
Et vix labante sustinet collo caput
Nunc se quieti reddit, & somni immemor
Noctem querelis ducit, attolli iubet,
Iterumque poni corpus, & solui comas

Senec. Hippo. Exemplum in Phædra amoris impetu turbatæ.

Rur-

Rursusque fingi semper impatiens sui
Mutatur habitus.

Hæc Phædra illa est Hyppolita nouerca, & amatrix, cuius voluntas amoris æstu percita vltro citroque miserabiliter agitatur. Sed ista pro more materno impudica est, Pasyphaes, scilicet Taurum amantis; en ipsamet domus suæ fatetur scelus.

Sed Phædræ mala voluntas est.

Fatale miseræ matris agnosco malum
Peccare noster nouit in siluis amor.

Igitur malæ voluntatis exemplum est; dum perturbationibus suis pro more suo diuexatur.

Didonis exemplũ in bona voluntate

Quid illa alia pudica, & honestatis plena? Didonem, inquam, quæ multis ante Aeneam annis, & honestè vixit, & mori honestè elegit, ne in secundas nuptias iret, assero illam in exemplum bonæ studiosæque voluntatis quamquam Poeta latinus malè de fœmina Cartaginensi meritus est, cum eam impudicam fecit. Qui tamen in hoc eodem quod finxit, optimè vniuersum voluntatis bonæ cum perturbatione mala conflictum, atque ex ordine delineauit. Vide autem quæso, quam costanter se primo habeat. Voluntas ad amoris insultus.

Virg. Aeneid. 4.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras
Pallentes vmbras Herebi, noctemque profundam.
Ante pudor, quam te violem, aut tua iura resoluam.
Ille meos primus, qui me sibi iunxit amores,
Abstulit, ille habeat secum, seruetque sepulcro.

Resistit primum perturbationi inchoatæ.

Resistit Phænissa Dido perturbationi nescio quid titillanti, & & intra recti præscriptum quieta, sedataque continere se bona voluntas conatur; at vbi victa est, & de loco suo, atque constantia expulsa, quam à se diuersa, quam distracta, quam dissipata facta est? quæ prius amauerat, odit; Sichæum priorem maritum demortuum quidem, sed hactenus illi in oculis in animo hærentem, de mente abolet, aliumque intromittit, hoc est Æneam.

Sed victa postea agitatur, & bonã mentem abijcit.

Sola domo mæret vacua, stratisque relictis
Incubat, illum absens absentem auditque, videtque,
Aut gremio Ascanium genitoris imagine capta
Detinet infandum si fallere possit amorem.
Non cœptæ assurgunt Turres.

Ordo, & modus quo appetitus fallit voluntatem.

Age vero quo id ordine fiat explicemus, neque enim appetitui tanta vis inest, vt directè, atque per se ipsum voluntatem moueat, tanquam eius motor, aut superior, aut auricularius, fallacijs ergo id ipsum agit, & veluti lenocinijs affectionum: Sanctus Thomas ita ordinem describit. *Impeditur iudicium, & apprehensio rationis propter vehementem, & inordinatam apprehensionem imaginationis, & iudicium virtutis æstimatiuæ: vt patet in amentibus, manifestum est autem,*

Ex S. Thoma 1. 2. qu. 77. ar. 1. c.

quod

quod passionem appetitus sensitiui sequitur imaginationis apprahensio & iudicium æstimatiua, sicut dispositionem lingua sequitur iudicium gustus. Vnde videmus quod homines in aliqua passione existentes non facile imaginationem auertunt ab his, circa qua afficiuntur. Vnde per consequens iudicium rationis plerumque sequitur passionem appetitus sensitiui, & per consequens motus voluntatis, qui natus est semper sequi iudicium rationis.

Ordo ergo Sancti Thomæ hic est primum appetitus vehemens mouet Phantasiam, & iudicium æstimatiuæ, æstimatiua intellectum, seu iudicium rationale, hoc demum voluntatem, quæ assentitur. *Ordo hic breuiter declaratur.*

Sed habeo quod contra proponam nam appetitum eiusque appetitionem debet anteire Phantasia, seu appræhensio obiecti conuenientis, aut inconuenientis, vt ipse Sanctus Doctor docuit. Potentia enim huiusmodi est passiua, quæ nata est moueri ab apprehenso. Vnde appetibile apprehensum est mouens non motum, appetitus autem mouens motum, vt docet Aristoteles. *Obiectio contra doctrinā S. Thom. & hunc ordinem*

Verumtamen non negat Sanctus Thomas ante appetitiones præire tum sensus externi, atque etiam apprehensiuæ facultatis, & Iudicij æstimatiui operationes: sed hoc loco à me laudato, subsequi dicit propter hanc, vt opinor, rationem, quia apprehensio intellectum proxime mouet, non appetitio; in motione igitur intellectus, appetitus remotior est, quam apprehensio, quamquam generatione, & natura apprehensio prior sit appetione. *Responsio cum declaratione doctrinæ.*

Assignat alium etiam modum Idem Doctor per quem appetitu operante voluntas moueatur motione, quam vocat per abstractionem, seu distractionem ab eo obiecto quod ipsa sequebatur. Cum scilicet appetitu vehementer circa suum obiectum operante, voluntas rationalis, aut ex parte, aut ex toto remouetur, & cessat ab obiecto suo, in quod prius ferebatur, Anima enim inqua potentiæ consistunt, quando per vnam potentiam circa vnum obiectum intendit, non facile circa alia per alias facultates dispergitur, quin potius ab illis abstrahitur, aut distrahitur. *Alius modus quo appetitus mouet voluntatem.*

Hic posterior modus, vt alterum priorem non includat, negatiuus dicendus est, abstrahit enim solum voluntatem ab obiecto suo, vel toto, vel secundum partem, & vehementiam intendendi, non vero transfert in aliud, aut in illud ipsum, in quod perturbatio fert, non enim facere hoc voluntas potest, nisi cooperantibus ijs, quas in priori modo diximus facultatibus. *Explicatur vt sit diuersus à primo.*

SECTIO VI.

AN NECESSARIO VOLVNTAS PERTVRBATIONEM SEQVATVR.

Cotra Stoicos argumentum validum, & à Peripateticis facile solutum. Quare non omnis perturbatio voluntatem deijciat. Stoicorum responsio conuellitur. Furor ex perturbatione quomodo erumpit. S. Pauli locus qui contrarius videtur explicatus. ex Sancto Thoma, & Chrysostomo. Item locus ex sapientia dupliciter. Assuetudinis vis. Locus ex Basilio Seleuciensi praclarus de libertate hominis. Discrimen animantum, & hominis, Item locus alter ex Clemente. Voluntas auriga appetitus, qui equi, & currus. Perturbationes more. Elucidatur locus exodi. Phatontis casus quid? Alter in hanc rem Basilij locus.

Contra Stoicos argum. validum.

HEus vos, ò Stoici, si perturbatio omnis vehementissima per vos est; quædam autem voluntatem ita coarctant per suam vehementiam, vt illam necessario trahant ad obiectum suum volendum, quare id non omnis efficit perturbatio? aliqua autem adeo animum perturbat, vt eum de suo sensu rationeque dimoueat, atque deijciat? Clarum id inplerisque irascentibus, amantibus, auaris, tristibus, &c.

Peripateticis facile.

Huic argumento facile est Peripateticis satisfacere, nam cum in perturbationibus per ipsos intensio remissioue inueniatur, accidit aliquando vt tanta vi intendatur aliqua, vt rationem iudicantem euertat, nullumque homini sic affecto iudicij vsum relinquat. Hoc autem iudicio sublato voluntatis etiam libertas, immo ipsamet humana rationalisque Voluntas cessat. Id enim est esse voluntatem humanam; scilicet liberam esse. Itaque amentes furiosi, & stupidi inter homines non censentur.

Quare non omnis perturbatio voluntatem deijciat. Quid voluntas humana.

Responsio Stoicorum.

Sed facilius nos, inquient Stoici, nodum hunc tuum soluimus. Non enim perturbatio vlla rationem, & intellectum de sua sede, ac statu diuellit, cum per nos perturbatio omnis, vel in intellectu sita sit, vel in voluntate rationali. At id quod amentiam, & furorem infert rationis, morbus est in organis, & in appetitu sensitiuo nascens, quem vos cum Peripateticis vestris perturbationem appellatis; Nos autem minimè.

Reijcitur.

Hæc Stoici. Qui non aduertunt se contra sensum communem omnium sentire. Quis enim cum quempiam ex iracundia, aut ex amore amentem factum videt, non illico fateatur, ex animi id perturbatione vehementi esse factum? Quis non dicet Amorem, Iram, fuisse huiusce furori caussas? Amor itaque qui in appetitu versatur

& ira, quæ ibidem gliſcit morbi ſunt perturbationeſque iudicium conturbantes. Itaque vt nodum exſoluatis ad Peripateticorum ſcholas confugiendum vobis eſt.

Quod & clarius de perturbationibus loquens ex veſtra ſententia vrgebo. Si enim Perturbationes hæ eiuſdem ſunt omnes intenſionis, ac vehementiæ, quamobrem ex vi vnius perturbatus quiſpiam in amentiam præcipitatur, non verò ex alterius. quamobrem vna, organis nocet corporeis, ita vt rationis operationes impediat, altera non item? Quæ tamen non minus eſt vehemens? Iam vero tandem Stoicos mittamus. *Vrgetur amplius.*

Sed paſſio nunquam iudicium voluntatemque coget, quin prius organa corporis, in quibus ſenſationes, & phantaſmata conſeruantur de ſtatu naturali deturbentur: aut ipſa phantaſmata permiſceantur, confundanturque his ita confuſis neceſſe eſt, vt intellectui agenti perinde accidat, atque ei qui exiſtimabat. *Quomodo perturbatio iudicium debellat.*

Et geminum Solem, & duplices ſe cernere Thebas. *Exemplis declaratur furor ex perturbatione.*

Aut illi qui matrem cum interemiſſet, præ pauore, & magnitudine ſceleris de ſua mente exturbatus eſt quem ſoror ita affatur.

Heu mi frater oculus tuus turbatur, *Eurip. in Oreſte.*
Cito mutatus eſt in rabiem modo ſanus.

Ille autem nihil cum videret videre ſe tamen multa clamabat.

O mater precor te ne incutias mihi
Puellas cruentas, quarum coma ſerpentum ſpeciem habent.
Ita enim iſtæ ſaliunt prope me, cui ſoror
Mane ò miſer quietus in tuo tecto.
Nihil enim vides eorum quæ te putas videre.

Et alia, quæ ſequuntur omnia ex confuſione imaginum in Phantaſia, quæ per vehementiſſimam perturbationem exorta eſt.

Sed occurrit Apoſtolus docens à perturbatione hominem ſanum, atque integra omnino mente trahi ad malum perpetrandum, quod ipſe nolit, hoc autem eſt voluntatem cogi. *Ego autem carnalis* inquit *ſum venumdatus ſub peccato, quod enim operor non intelligo non enim quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio,* & poſt pauca. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quod eſt in membris meis.* *Obiectio ex S. Paulo.* *Ad Rom. c. 7.* *S. Th. 1. 2. q. 6. ar. 7. ad 3 q. 73 ar. 7*

Huic difficultati ſatisfacit S. Thomas ex doctrina S. Auguſtini, & aliorum reſpondens Apoſtolo ſermonem eſſe de primis perturbationum humanarum motibus, & inſultibus à quibus ſibi cauere non eſt homini, ne iuſto quidem liberum; eas verò peccatum vocat, quia pæna ſunt peccati originalis. Si enim illud non extitiſſet, appetitus omninò vinculis gratiæ alligatus fuiſſet, ne poſſet quicquam contra rationem mutire præueniendo. *Prima Reſponſio cum S. Thoma.*

Chriſoſtomus autem, & cum eo nonnulli ſermonem eſſe aſſerunt Apoſtolo de homine libere quidem operante; exiſtente *Secunda reſponſio cum S. Chriſoſt. ad D. Paulũ.*

tamen extra statum gratiæ Christi Domini, cui dominetur peccatum, tamquam seruo, qui quidem homo non est sua libera voluntate destitutus; sed tamen adeo peccandi consuetudine, ac pondere depressus; vt videat quidem bona, probetque, & sectari possit; sed deteriora sequatur. Lege Toletum in hos locos, extat etiam locus in sapientia in quo cum de Cananæis agitur, hæc habentur *nequam est natio eorum, & naturalis malitia illorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.*

Tolet. in epist. ad Rom. explicatur locus ex sap. c. 7.

Primo modo bene

In quo verbum illud, *naturalis*, explicatur, ac significaret peccatum illis fuisse familiare, ac insitum adeo veluti si quis opus faciat ad quod ipsa naturæ propensio inclinat, in quo patrando libertas quidem est, difficultas peccandi nulla est. Non male hi, sed illa aptior interpetratio existimatur, vt *naturalis malitia* dicatur, qui ab ipsis incunabulis, imo ab ipso exortu, quin ab ipso matris vtero, quinimmò ab ipsa origine, & parentum prosapia deriuata, atque suscepta. Id verò antecedentia verba confirmant, *quoniam nequam est natio eorum*. Illud enim *natio* idem est, ac genesis, generatio, origo, maiores. Vnde facilem explicatum nanciscuntur sequentia illa, *quoniam non poterat mutari cogitatio*, quæ enim à nostris natalibus, ac maioribus accipimus in more, vix, & magna cum difficultate à nobis reijcimus, nā plurimum in vtramque partem potest assuetudo, Teste Aristotele, quæ quidem altera natura per prouerbium dicitur, quanto magis, cum ab origine profluit, & longinquitate temporis, atque vsus perennitate vires adauxit.

Secundo melius.

Arist. 2. Metaph. to. 14 2. eth. c. 1. l. 7. c. 10. & alibi. Assuetudo plurimum potest, præsertim à maioribus deducta. Sed libertatem nō aufert.

Hæc vt ita sint, nunquam tamen ita pessimè habet homo, vt libertate sua spolietur, in qua conditus est.

Præclarissimè in hoc argumentum docet Basilius Seleuciæ: cuius orationem libenter adhibeo, vt hanc de libertate hominis sectionem meam exornet. *alias* inquit *animantium gentes, & genera fabricans conditor immobilius naturæ legibus constrinxit, neque ipsis electio est, quæ facultatem in vtrumque partiatur, neque ratiocinationis discretio, qua velut in æquilibrio perpendat agendorum delectum: sed simul imperat natura, ad agendum, impelluntur non excusso curiose præcepto. Contra homo ratione insignitus, electionis potestate ornatus, & arbitrij libertate refulgens, consilij vim habet, qua nulla teneatur voluntatis seruitute, intentionemque habet sui dominam, & inuiolabili gloriatur agendorum electione: Hinc euenit vt hoc eligat, illud quod ita visum fuerit, repudiet, hoc auersetur, ad illud animum adijciat, & liberrima cum potestate voluntatis regnans abundat optionibus sententiarum.* Hæc Episcopus iste, & sanè pereleganter de hominis in seipsum potestate, & libertate.

Basil. Seleuc. or. 3. Eleganter de hominis libertate.

Quæ sit domina.

Quam libertatem Clemens Alexandrinus Aurigæ comparat equis perturbationum suarum, & appetituum insidenti, quos quidem frenum tenens regere ipse potest, & sua culpa habenas laxans

Clem. Alex. Str. l. 5. Voluntas libera Auriga perturbationum.

laxans in præceps ire permittit, ſeque in ruinam deijcit, atque in hoc propoſitum abducit Moſis verba illa. *Equum, & aſcenſorem deiecit in mare*. Significans equum ideſt animi motum, qui eſt duplex ira ſcilicet, & cupiditas, quæ duæ ſunt appetentis animæ partes, ſi aſcenſorem ideſt rationem, ſeu rationalem voluntatem, cuius eſt imperare, cum habenas laxaſſet voluptatibus proiectam fuiſſe in mare ideſt in mundi huius tumultus, & perturbationes.

Exod. 15. Cant. moris. Equi, appetitus.

Mare perturbationes. Plat. in l. de anim.

Atque hanc equi, & Aurigæ comparationem excepiſſe ſe ait Clemens à Platone, qui Aurigam, & equum, qui defecerat, partem expertem rationis, quæ bipertito diuiditur, nempe in iram, & cupiditatem dicit cadere. Id ipſum ſignificari ait Clemens per caſum Phaetontis, quem propter incontinentiam pullorum, fabula decurru excidiſſe ſignificat.

Similitudo desũpta eſt ex Platone.

Phaetontis caſus quid ſignet.

Sed verò hanc eamdem rationis cum Auriga ſimilitudinem, egregiè Baſilius ante oculos legentium explicat hoc pacto. *Principi rationi corporis habenas permittit Deus, & animam corpori, veluti curriculo Aurigam præficiens, cohortatur, vt ad curſum virtutis impellat.* Tunc igitur ſi ratio ſobria corporis habenas ſuſtineat, curſum currit, quo corona paretur. dormitabunda vero paſſionibus, tanquam equis per præcipitia perque aſpera viarum fertur incogitans; & tandem deiecta, atque ad terram afflicta, puluere ſordida ſub proprij currus iugum captiua, ac vexata clamat, *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*, nam per ſocordiam principatu prodito fuit ſerua paſſionum, & irrationabilibus paſſionibus cum thronum ratio præter ordinem conceſſerit; earum ſerua comperitur, ad quarum ſeruitutem fruendam nata eſt,

Amplificatur ſimilitudo à Baſilio tract. 2.

SECTIO VII.

DE DIVERSITATE PERTVRBATIONVM IN DIVERSIS HOMINIBVS.

Aliæ in alijs, vel ſi eædem, non æqualiter vehementius, ex multis cauſſis, præſertim ex temperamento de quo per extrinſeca dijudicant Phyſiognomici, quod per ætates mutatur. Vnde varij in his affectus. Hominis ætates, vt anni partes. Nazianzenus laudatus.

Diuerſos eſſe appetitus, hoc eſt vehementiores, aut remiſſiores in diuerſis hominibus manifeſtum eſt, quin diuerſas etiam affectiones, & varios perturbationum affectus, alios enim iracundiores, mitiores alios, hos amori magis inclinatos, minus illos. Quin vnum eumdemque nunc magis iræ aptum, quam heri, aut poſtridie: denique mores, & affectus cum æta-

Aliæ in alijs, vel ſi eædem fortaſſe non æque inſcuſæ.

ætate mutantur.

Senec. in Hyppol.

Propria describit Deus.
Officia, & æuum per suos ducit gradus.
Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.

Neque sola naturæ complexio domina est perturbationum. multa etiam alia ius in hac re vendicant, ætas, parentes, nutrices Alumni, cibi, solum, cælum, consuetudo, socij, disciplina genus, opes, sed super omnia hæc, temperamentum corporis, & compago naturæ, rectè enim Aristoteles docet, quod animæ sequantur corpora, quod manifestum fit valde in ebrietatibus, & ægritudinibus. *Multum namque animæ mutatæ videntur à passionibus corporis, & è contrario quod corpus compatitur passionibus animæ maximè circa amores, & timores, & tristitias, & delectationes*, cum igitur diuersa sint, & sæpissimè in diuersis hominibus corporum temperamenta, proinde sequitur animam in illis diuersimodè propter intimam cum corpore societatem affici, *corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam*.

Ex multis caussis: Nos etiam aliqua l. 1. tetigimus.

L. 1. de anim. c. 1.

Præsertim ex temperamento.

Sap. c. 5.

Quamobrem cum ex his omnibus capitibus soleant Physiognomici coniecturam morum, perturbationumque in hominibus singulis facere; tum maximè id præstant ex temperamento, quod quia occultum est, neque oculis patet, conantur illud ex signis externis dignoscere, nempe ex colore, ex habitu corporis, singulorumque membrorum ex motu, ex incessu, & similitudine cum Brutis animantibus, ipsum quoque corporis temperamentum non vsquequaque in vno homine vnum, idemque cernitur variatur morborum occasione, ciborum, cælique qualitatibus, ætatum differentia, in qua maximè id spectatur.

Mutatio perturbationum ex multis oritur capitibus.

Omnia fert ætas, animum quoque. Vide quam eleganter hanc ætatum mutationem in Entello iam sene descripserit Poeta.

Virg. Eclog. 9.

Aen. 5.

Non laudis honor, non gloria cessit
Pulsa metu, sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effætæ in corpore vires
Si mihi quæ quondam fuerat, quaque improbus iste
Exultat fidens, si nunc foret illa iuuenta.

Physice sane loqutus est, subindicans mutationem temperamenti per ætates fieri in homine, temperamentum enim magna parte imò ex toto est in sanguine, non quidem illo puro, puto, & mero, sed in vulgari costante ex quatuor humoribus, de quibus apud Medicos multus, & opportunus est sermo.

Ex temperamenti præcipuè mutatione.

Quod est in sanguine.

Iam secundum varias hominis ætates, varij etiam dominantur perturbationum impetus, quemadmodum in aliquibus accidit regionibus, vt secundum anni mutationes, flatus etiam ventorum mutentur. Sed Eratosthenes eleganter ætatis humanæ partem uigentem ver esse dicebat; eam autem partem, quæ vigori, & flo-

In varijs ætatibus varij mores, & affectus.

Aetates hominis sicut partes anni.

& flori succedit Æstatem, & Autumnum; Hiemem vero senectutem. Itaque sicut hæ quatuor anni partes non vnis semper ijsdemque rebus ornantur, aut afficiuntur. Ita hominis ætas.

Libet hæc omnia verbis illustrare S, Gregorij Nazianzeni *non enim*, inquit, *eadem rationes, nec ijdem animorum impetus sunt, maris, & fœminæ; senectutis, & adolescentiæ; diuitiarum, & paupertatis; hilaris, & mærentis; sani, & ægrotantis, principum, & subditorum; eruditorum, & indoctorum.* *Affectus diuersi in diuersis. Nazianz. or. 1.*

SECTIO VIII.

DE PERTVRBATIONIBVS ÆTATIS PVERILIS.

Huius ætatis mores cur Aristoteli indicti, Horatio dicti. Pueritiæ lusus proprius. Ea ver ętatis. Horatius explicatus. Quid sit gestire. Seneca accusatus. Solitudo pueris odio. Horum ludi varij ex varijs. Ex ludis coniectura indolis. Ineptorum cum pueris comparatio. Natura torrens est. Exempla Cyri, Themistoclis, Athanasij, Seueri, Catonis. Ludi puerorum perturbationes detegunt. Pueri non ęque, ac viri perturbantur. Dolere animo nesciunt. Exemplum ex Medeæ liberis. Puerorum perturbationes quomodo compescendę. Euripides explicatus. Persarum mos in ludis puerilibus ex Clemente. Item ex Platone Clemens, & Gentianus obliuionis accusati. Mos Athęniensium ex Nazianzeno.

Singularum hominis ætatum affectiones veluti proprias, atque innatas, quod neq; ab re nostra, iniucundũ erit iuuat hoc loco aliquãto latius percẽsere. Horatio ergo ductore à pueritia ordiamur, nam huius ætatulæ mores, si quos tamen habet hoc æuum mores; non putauit enumerandos Aristoteles, quia inepta est, cuius perturbationes ab oratore moueantur. Poetis autem occurrit quandoque puerilem ætatem imitari, eiusque affectiones in Scænam proferre, aut in poemate describere quamobrem ab his adnotantur. *Pueritiæ mores, & affectus.*

Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iras
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas. *Horat. in art. poe.*

Lusus est prima puerorum exercitatio. Ea enim ætas ver vitæ est; & sicut Vere tellus luxuria florum colludit, ita pueri lusibus ludicrisque gestiunt.

Libet ne ludere? ludite ò puerиles animi *Stob. ser. 76.*
Est enim vobis hæc ætas, totius vitæ ver.

Ab hoc loco qui Herodis est apud Stobæum accepit illa Varro *Pueritia ver ætatis.*

Ludi-

Ludite pueri dum ętatula finit.

Quo loco Horatij male in quibusdam libris, pro *gestit*, positum est *gaudet*. Verbum enim illud cupiditatem quamdam denotat cum exultatione. *Gestit*, habet Sextus Pompeius, *qui subita fœlicitate exhilaratus nimio corporis motu præter consuetudinem exultat*. Quod in pueris cupientibus frequenter est videre, quod tamen ipsum à puero auferendum censet Seneca. Attolli non gestire patiamur, gaudium enim exulatio, exultationem tumor, & nimia existimatio sui sequitur, quo loco Stoicus Philosophus gaudij nomine abusus videtur, quod sit apud hanc sectam magnum inter gestire, & gaudere discrimen, & hoc nisi sapienti non contingit. Quare ab eodem accusatus, an excusatus Virgilius, qui dixit.

Sextus Pomp. V. Gestit.
Quid sit gestire.
Lusus puerorum.
Senec. l. 2. de ira c.21.
Senec. epist. 59.

Mala mentis gaudia.

Virg. Aen. 6.
Senec. reprehensus
Solitudinem odit pueritia.

Sed vulgi more loqutus videatur sapiens Stoicus. Lusus autem cum æqualibus inter pueros quotidianus est. Pueritia enim solitudinem odit quam maximè, siue quia timidissima; siue quia curiosissima. Idem Horat.

Quamobrem Serm.

Aedificare casas, plostello adiungere mures
Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Similia his habet Euphorion apud Stobœum.

Stob. 76.
Lusus varij pueriles.

Aut aeream ille muscam, aut ollam lusitat.
Aut Scarabœos funiculis vinciens
E stuppa consutis negotium seni facessit.

Qui plura puerilium ludorum genera curiosè velit legere, adeat Iulium Pollucem.

Iul. Poll. Onomast.

Argutissimè Seneca, quorumdam hominum imprudentium actiones pueris puerilibusque comparat. Locum integrum afferam, ex quo affectiones pueriles condiscimus. *An quicquam isti profecerunt, quibus animi mala sunt, auctique in maius errores, qui à pueris magnitudine tantum formaque corporum differunt, ceterum non minus vagi, incertique voluptatem sine delectu appetentes. trepidi, & non ingenio, sed formidine quieti? Non ideo quicquam, inter illos, puerosque interesse quis dixerit, quod illis talorum, nucumque, & æris minuti auaritia est; his auri, argentique, & vrbium; quod illi inter ipsos magistratus gerunt, & prætextam, fascesque ac Tribunal imitantur: hi eadem in campo foroque, & in Curia ludunt. Illi in littoribus, arena congesta simulacra domorum excitant; hi vt magnum aliquod agentes, in lapidibus, ac parietibus, & tectis moliendis occupati, ad tutelam corporum inuenta, in periculum verterunt.*

Affectiones pueriles ex Seneca. de constantia c.12

Atque hæc ineptorum cum pueris comparatio adeo arrisit Senecæ vt & etiam alibi sit vsus *simillimi* inquit *pueris quibus omne ludicrum in pretio est, parentibus enim nec minus fratribus præferunt paruo ære empta monilia. Quid ergo inquit nos, & illos interest, vt Aristot. ait nisi quid nos circa tabulas, & statuas insanimus, carius inepti, illos reperti in littore & calculi leues, & aliquid habentes varietatis delectant, nos ingentium*

Ineptorum cum pueris comparatio.

macu-

maculæ columnarum.

Hi sunt Ordinarij puerorum ludi ex quibus coniecturam quandoque fecere prudentes viri futuræ eorum indolis; aut vt aliter dicam, per hosce ludos quidam pueri indicia de se præbuerunt, qui essent deinde futuri, & ad quos animi motus essent in virilitate inclinaturi. Torrentis enim instar est natura, quæ quo decurrit eo hominem rapit.

Ex ludis puerorũ coniectura de pueris facta.

Natura vt Torrens est.

Naturam expellas furca, tamen vsque recurrit,
Et mala perrumpet furtim vestigia victrix.

Horat. epist. C. 4.

In Ecclesiastico optima doctrina est. *Noli niti contra torrentem, nec coneris contra ictum fluuij.* Quem qui contra nitens, cohibere à suo recto cursu contenderit, næ is maximum suscipit negotium. Quo magis in pueris se natura exerit animæ præindicans perturbationes futuras, aut mores. Exempla accipe. Cyrus puer Rex inter ludentes sorte delectus ostendit, qua esset indole, quoue animo foret, cum rex reuera fuisset. Sic Sanctus Athanasius cum pueros ludentes colludens ipse, & in Episcopum ioco electus reliquos baptizaret. Sic Romulus per ludum rex factus, cum ceteros castigari iuberet. Sic Seuerus Imperator nullum alium ludum nisi ad iudices exercuit, cui ipse prælatis fascibus, & securibus ordine puerorum circumstante iudicaret. Sic Catoni puero ludus erant iudicia accusationes damnatorum, abductiones, sic Themistocles puer coætaneis pueris ludentibus orationes meditabatur, ita vt ei magister diceret Te, ò puer paruum nihil, sed magnum aliquid aut malum, aut bonum futurũ auguror quod & ita euẽtus edocuit.

Exemplum Cyri pueri ludentis. Themistoclis. Iustin. l. 1. Sancti Athanasij in vita. Romuli. Liu. l. 1. Seueri Imperator. Spart. in Seuero. Catonis. Plutar. in Catone. Plut. in Themist. In his ludis perturbationes puerorum exeruntur.

Iam in his ludis mirabile est quantum in pueris se exerant manifestentque perturbationes, repente enim irascuntur, repente sedantur, amant, odio habent, gaudent, tristantur. Atque inter puerorum perturbationes, & virorum, hoc interest, quod hæ in pueris solius sunt fere appetitus sensitiui, vt in brutis. Illæ autem virorum attingunt rationem, eamque afficiunt, inficiuntque ita cum inter ludendum puer puerum lædit, vnam tantum iram irascitur: at vir iratus duplicem iram suscipit, appetitus scilicet sensitiui, & rationalis, rectè igitur Aiax apud Sophoclem alloquens filium dicit.

Differentia inter perturbationes puerorum, & virorum.

Puer enim nescij virorum dolorũ.

Sophocl. Aiax.

Fili mi vtinam patre fortunatior euadas,
Cetera vero similis, & malus non fias.
Atqui nunc etiam hac parte felicem te iudico
Quandoquidem nihil præsentium malorum intelligis
Nam nihil sapiendo vita iucundissima est,
Donec quid sit gaudium, & quid tristitia discas.

Rectè Sophocles pueritiam malorum dolorisque nesciam vocat, idest eorum quæ in appetitu rationali exurgunt. Quamobrem sæpe matre, vel patre, vel fratre demortuo, aut graui morbo oppresso, ip-

Exemplũ ex pueris Medææ. si ludos cum æqualibus agitant vt filij Medææ, matre in desperationem adacta, atque in exilium cum ipsis iam iam abitura. apud Euripidem in Stobeo.

Eurip. Medea.

At isti pueri iam à ludo trochi desinentes
Procedunt: materna non æstimantes
Mala mens enim puerilis dolorem nescit.

Sic habet qui Stobei sermones transtulit in latium; qui autem Euripidis Medæam Dorotheus Camillus latinâ fecit, ita conuertit.

Sed hi liberi à cursu cessantes
Accedunt, matris expertes
Malorum. Iuuenis enim cura non dolere assolet.

Ceterum elegantior quod hic ludum puerorum in cursu posuit, ille in trocho, varia lectio in exẽplari græco caussam attulit aptiorq; est prior versio. Certum est enim liberos Medææ pueros esse, non iuuenes, inducique à Poeta propter ætatem nescios in maternis ærumnis dolere.

Senec. l. 2. de ira cap. 21. Iuuen. sat. 14. Plutar. de educ. liberis. Persarum modus circa ludos puerorum. Qua vero ratione sint in pueris compescendæ perturbationes ne in adolescentia insolescant legendus Seneca, Iuuenalis, Plutar. qui libellũ in hoc argumentũ de educ. lib. edidit. Nõ omittã hoc loco id quod in Xenophonte legi de Persarũ diligẽtia in instituendis pueris etiam, dum ludis occuparentur. *Locus igitur publicus apud illos erat constitutus, quo pueri cum primum illucescebat, lusuri confluerent, eos euntes ad ludos, in ipsis ludis iustitiæ discendæ dant operam; aiuntque illos ita huic rei studere, quemadmodum apud Nos qui eunt ad litteras perdiscendas. Eorũ autem magistri magnam diei partem consumunt in eorum disceptationibus dijudicandis, habent enim pueri quoque inter se se, quemadmodum viri, caussas, & de furto, & de rapina, & de vi, & de fraude, & de maledicentia, & de alijs criminibus, vt par est. Quos autem norunt aliquid horum deliquisse, eos plectunt; in illum etiam animaduertunt, quem minus iure accusantem inuenerint.* Hæc Xenophon. de quo Persarum instituto apud Clementem illa leguntur. *Neque*, inquit, *latent nos, qui apud Persas Regij vocantur Pedagogi, quos numero quatuor ex omnibus Persis optimatim deligentes Reges Persarum, suis præficiebant liberis. Sed solam sagittandi artem discunt eorum filij.* Hæc Clemens. Quam in rem eius commentator Gentianus *de illis*, inquit, *Regijs Pedagogis apud Persas optimatim electis, & si diligenter inuestigarim nihil inueni*. Sed ego hæc apud Platonem legi. *Anno vero quartodecimo puerum suscipiunt ij quos illi regios pedagogos appellant. Sunt verò ij profectò è Persis selecti quatuor, constantis ætatis viri, & sapientissimus, & æquissimus, & temperantissimus, & fortissimus. Quorum primus magiam Zoroastri, Oromazi filij. Hac autem in re cultus Deorum versatur. Docet etiam & ille regia instituta. Secundus admonet, vt in omni vita sit verax. Tertius, ne vlla cupiditate superetur, vt liber viuere consuescat, ac re vera rex, imperans ijs ante omnia quæ in ipso sunt,*

In Cyropæd. Clem. Alex. Pedag. l. 1. c. 7. Plat. l. 1 Alcibiad.

nec

nec vlli seruiens. Quartus denique impauidum illum, & intrepidum reddit, ne quando quippiam metuens seruus fiat. Hæc à Platone scripta Clemẽtem, & Gentianum obliuionis accusant, nisi forte Clemens excusationi dignus, quod eos solam sagittandi addiscere artem, dixerit qui ceteris doctrinis contemptis, ac per improbissima vitia expulsis, eam solam ad vsum crudelitatis retinuerint. Laudatur etiam Platonis hic locus à Stobeo. *Stobeus. Serm. 87.*

Alius Athænis olim mos uigebat, quem S. Gregorius Nazianzenus refert, vt adolescentes cum pubertatis annos attigissent, hoc est in extrema pueritia, ad artes ducerentur, ducebantur autem hoc modo. Cuiuslibet artis instrumenta publicè proponebantur, atque adolescentes ad ea adducebantur; Quocumque autem delectari quemque contigisset, ad idque accurreret; huius quoque artem docebatur. Quod vt plurimum, ea rectè succedunt, quæ natura duce aggredimur: at contra, ea quæ inuita natura suscipiuntur spem frustrari soleant. *Atheniensiũ mos circa pueros epist. 63.*

SECTIO IX.

DE ADOLESCENTIVM PERTVRBATIONIBVS.

Adolescentiæ, & iuuentutis ætas vna censetur. Homini mala. Eius mores. Quę ex Plotone, Aristotele, Horatio, Basilio, & nobis. Eius omnis perturbatio vehemens. Cur id, ex Ambrosio, & Nazianzeno. Hęc ętas æstus vitę Freti Siculi descriptio ex Iustino, & Marone. Ratio ex Physicis. Adolescens cur facile, & vehementer amet. Virgilius allatus, & expositus. Solonis carmen de ętatibus. Amantis adolescentis exemplum ex Terentio. Item Leandri ex Virgilio. Eiusdem animositas ex Martiale, qui secum comparatus. Adolescentum amores descripti ex Plauto, ex Elia Cretense. Qui ex Aristotele. Plato à Clemente allatus explicatur. Iuuentus virtuti, studijs, philosophiæ inepta, & cur. Intemperans, vini appetens ex Seneca, ex Aristotele, qui caussam assignat naturalem. Clementis in hac re documentum.

NOn sum nescius, qui in varias ætates vitam hominis distribuerunt, eos aliam adolescentiam, aliam iuuentutem, & hanc post illam sequi existimasse, sed nobis proficua curantibus in ijs minime immorandum. Vtrique enim ætati ijdem pœne mores affectus, & perturbationes eædem, modo remissiores, intensiores modo. Ita à plurimis pro vna ætate censentur vt & apud Horatium: *Mala autem est hominibus iuuentus; si quis non obseruet iustitiam, multò deterius est*, hæc Euripides caussam affert Am- *Adolescẽtia mala*

 brosius

brosius *Vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum feruore calentis inflammantur ætatis*. Et Horatius quidem affectiones numerat studiosi potius adolescentis, quam cuiusuis. Iam cum difficillimum sit, ea in ætate iustitiæ semitam ingredi, fit vt deterrima existimetur iuuentus; *pubertas enim, & iuuentus hominis mentem leuem reddunt*, vt ait Theognis. *multorumque animum in errorem efferunt*. Sed mores, & affectiones iuuenum noster Poeta hoc pacto expressit,

Apud Stob. ser. Ambros. de vid. lib. 1.

Iuuentus mentem leu. m facit.

Mores iuuenum ex Horatio. In arte Poet.

Imberbis iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus aeris.

Et alibi

Inuidus, iracundus, iners, vinosus amator.

Lib. 2. Epist. 12. Ex Platone.

Ex Aristot. l. 2. Rhet. c. 30.

Sed de iuuentutis ætate promiscua Plato sic habet. *Hoc porro in tempore, quo prudentiam suam non possidet, furit, & sine ordine clamat, & fastu effertur, lasciuiensque salit, & si quis ipsum statim occiderit, tunc quoque sine ordine saltat*, & Aristoteles, *iuuenes*, inquit, *moribus sunt cupidi, & parati ad ea efficienda, quæ concupiuerunt, & ex cupiditatibus, quæ circa corpus versantur, maxime eius sectatores sunt, quæ circa res venereas est & incontinentes ipsius, & in horas mutabiles, & fastidiosi cupiditatibus, & valde quidem concupiscunt, celeriter vero sedantur*. Hæc Philosophus, à quo Venusinus Poeta.

Iuuenum mores ampliter enumerati.

Omnia nimis. Exemplũ de Bruto adolescente.

Plutarc. in Brut. Probatur ex Basilio or. 18.

In summa iuuentus cupida est vehementer, iracunda, in amores inhonestos, honestosque, & amicitias inclinans, ambitiosa honoris, sed magis excellentiæ super alios, prodiga, credula, valde sperans, animosa, magnanima, verecunda, studiosa risus, & facetiarum, vno verbo, omnia nimis. Itaque Cæsar Adolescentis Bruti notans, & instabilitatem, & vehementiam in cupiditatibus. *Hic adolescens*, inquit, *non satis certò scio quid velit, sed quidquid vult, vehementer vult. Mobilissima*, inquit Basilius, *iuuentus, & ad vitia propensa diuersis enim perturbationum fluctibus agitatur. Eget igitur ductore, qui ad portum recta deducat*. Basilium quando nominaui, eius etiam orationis venit in mentem, in qua iuuentutis eleganter enumerat affectiones varias, eius autem verba illa sunt. *Iuuentus leuis est, & ad mala propensa, atque procliuis. Libido indomita ira immanis, insolentia, & contumelia, superbia & animus inflatus, propria sunt iuuentutis perturbationes. Inuidia præterea in rem quæ excellit, suspicio aduersus suos, sexcentorum denique malorum cumulus iuuentuti est adiunctus.*

Cur vehementes habent perturbationes.

Iuuentus est Temporis Aestus.

Quam ob caussam vero modum excedant in perturbationibus iuuenes, docuit vno verbo Nazianzenus. *Iuuentus* inquit *temporis est æstus*. Mamertini, seu Siculi fræti æstum Iustinus sic describit. *Vndarum inter se concurrentium tanta pugna est, vt alias veluti terga dan-*

tes

tes verticibus in imum desidere quasi veluti victrices sublime ferri videas. Nunc hic fremitum feruentis æstus. Nunc illic gemitum in voragine desidentis exaudias. Sed accipe Virgilium.

L. 4. Aestus seu freti Siculi descriptio ex Iustino. Aeneid. l. 3. Item ex Virgilio

> *Et genitum ingentem pelagi, pulsataque saxa*
> *Audimus longe, fractasque ad littora voces.*
> *Exultantque vada atque æstu miscentur arenæ:*
> *Et pater Anchises nimirum hæc illa Charybdis.*

At ego nimirum, inquam hæc illa iuuentus, Æstus vitæ, atque ætatis humanæ virtutum naufragium, omnis bonæ indolis atque ingenij vorago, ad quam vitæ nauis ex portu egressa cum appellit varijs incipit cogitationum reciprocationibus agitari, atque in diuersa deuehi, donec aut insurgente tempestatum mole miserabiliter obruatur, aut in syrtes libidinum inextricabiles incurrat, aut in aperta naufragia vitiorum, helluando pergræcando, per omnem se turpidinem demittat.

Huic similis est adolescentia.

Sed caussam harum perturbationum late explicauit Aristoteles nimirum quia *acutas voluntates habent iuuenes; sed non perdurantes, sicut ægrotantium fames, & sitis*. Physica ratio illa est, quia in humorum temperamento prædominium habet ignis, & calor, & sanguis. Mutabiles autem sunt quia temperamentum, suam quietem, & stabilitatem nondum adinuenit, sed quærit; & quærendo agitatur, turbatur, ac propterea appetitus mutatur, & est *Cereus in vitium flecti*.

Caussa huiusmodi perturbationis ex Aristotele. Ratio Physica. Et cur adolescentes mutabiles.

Ad amores autem procliues, vt dixi, sunt adolescentes. Nam voluptatis sunt appetentes, quam maximè. Voluptas autem ex amore cum honesto tum inhonesto ebibitur magna, quod si vt Poeta dixit *Trahit sua quemque voluptas*; trahit maximè iuuenes procliues, ac facillimos trahi. Quamobrem vnum ex illis audi.

Cur amenti.

Virg Eclog. 8.

> *Sepibus in nostris paruam te roscida mala*
> *Dux ego vester eram, vidi, cum matre legentem,*
> *Alter ab vndecimo tum me iam cæperat annus,*
> *Iam fragiles poteram à terra contingere ramos;*
> *Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error.*

Aptissimè *vt vidi vt perij*; Cor enim adolescentis esca est aridissima, & ad hunc ignem aptissima, & ei, qui hæc loquitur annus erat alter ab vndecimo, idest decimus tertius, vt cum Seruio plerique; Licet Sigonio existimetur duodecimus. Hæc autem ætas est, quando pubescere, quis incipit, & amores oculis epotare.

Non ab re facturus videor, si Solonis versus hoc loco recitem ex Stromatum auctore. Lucem enim afferunt ad ea, quæ nunc præ manibus habemus, tum ad alia multa.

Clement. Strom. lib 6. De ætatum mutationibus ex Clemente.

> *Infans septenos post quam compleuerit annos*
> *Producti dentes vallus vt oris erunt.*

Post-

Postquam ſeptenos alios detur huic conceſſerit annos,
Fit pubes, ſemenque huic genitale datur
Verum ſeptem alios poſtquam compleuerit annos,
Denſa ſeges barbæ contegit orta genas.
Additus eſt illi cum ſepenarius alter,
Vir tum virtutis fortia ſigna dabit.
Sed monet adueniens vxorem ducere quintus
Poſteritatis, & hunc tunc meminiſſe ſuæ.
Solers ingenium firma, & prudentia ſexto eſt.
Stulta nec hoc deinceps facta videre iuuat.
Septimus acceſſit cum ſeptenarius atque
Octauus lingua pollet, & ingenio.
Nono aliquid poſſunt, ſed iam minuuntur in illo
Vires, queis peragunt fortia facta viri.
Sed decimus cum alios ſeptem perfecerit annos,
Maturam mortem triſtia fata dabunt.

Et Solon quidem dena humanæ vitæ curſui ſeptenaria tribuit in quo Dauidem ſequitur, qui annis totidem vitam definiuit. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni*. Niſi quod Rex aliquantulum ampliauit, ſed cum magna, ac ſæua mercede laborum. *Si autem in potentatibus octoginta anni: amplius eorum labor, & dolor.* At enim verò quid mirum ſi ſenectæ dolor, quæ ipſa eſt morbus? Quid de tertio, & quarto ſeptenario hoc eſt adoleſcentia? quæ flos eſt vitæ. Sed flos hic ad omnem æſtum areſcit, ardeſcit, igneſcit.

Pſal.89.

En tibi exemplum in adoleſcente primum ad puellæ aſpectum capto, incenſo.

Ter.eun.

O faciem pulcram, deleo omnes dehinc exanimo mulieres
Tedet harum quotidianarum formarum

Et paulo poſt

Ego neſcio hercule neque vnde eam, neque quorſum eam.
Ita prorſum oblitus ſum mei. P. *qui quæſo?* Ch. *amo.*

Eurip. *Amant adoleſcentes feruentiſſimè.*

Amant itaque feruentiſſimè iuuenes inquit Euripides, & amore capti non obſeruari, non cuſtodiri poſſunt, & cum *Amor*, vt habet Menander, *natura ſit ſurdus admonenti*, quid fiet ſi iuuentuti adiungatur, quæ Monitoribus aſpera? *Simul non facile eſt*, inquit idem, *Iuuentutem, & Deum ratione vincere*, ad quæ reſpexit, credo, noſter Maro, dum de Leandro herum ſuam per maximas maris tempeſtates nando adeunte canit.

Menand. Antiop. Idem.

Georg.3 Exemplum Leandri.

Quod iuuenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæca ſerus freta, quem ſuper ingens
Porta tonat cœli, & ſcopulis illiſa reclamant
Aequora, non illam miſeri reuocare parentes.
Nec moritura ſuper crudeli funere virgo.

In

In quo animositatem inconsideratam adolescentiæ contemplandam etiam proponit, quæ tanto animo tantum mare, ac tam sæua in tempestate, ventorum contemptor ingreditur, & nando omnia deuorare se sperat, quam & Martialis suo lepòre ita describit.

Cum peteret dulces audax Leander amores, L.7.epig.25.
Et fessus tumidis iam prèmeretur aquis.
Sic miser instantes affatus dicitur vndas,
Parcite dum propero, mergite cum redeo

Hoc vltimum distichon Idem Martialis alio modo protulit alibi. Cōparatio versuū Martialis.

Clamabat tumidis audax Leander in vndis
Mergite me fluctus cum rediturus ero. Lib.14.ep.181.

Elegantius est prius carmen, hoc enim cum rediturus ero non admodum placet. Sed in vtroque innuitur ardentissimæ perturbationis incendium, quo incendio animus adolescentis seipsum quidem vna ex parte in interitum voluntarium obijcit, altera vero super omnia se pericula extollit. De amoribus Leandri, & Erus eleganter scripsere Musæus quisquis hic sit, & Ouidius. Musæus Poeta. Ouidius in epist. Heroid.

Quemadmodum autem facilè ament, & in suo amore pessum adolescentes eant, lepidissimè explicauit antiqus comicus cum Philocachem adolescentem fecit talia loquentem. Amores adolescentis descripti à Plauto. In Mostell.

Continuo pro imbre amor aduenit in cor meum
Ipsusque in pectus permanauit, permadescit
Cor meum. Nunc simul res, fides, fama virtus,
Decusque, deseruerunt. Ego sum in vsu
Factus nimio nequior, atque ædepol, ita
Hæc tigna humide putrent; non videor mihi
Sarcire posse ædes meas, quin totæ
Perpetuæ ruant, quin cum fundamento
Perierint, nec quisquam esse auxilio queat.
Cor dolet, quum scio nunc vt sum, atque vt fui,
Quo neque industrior de iuuentute erat,
Arte gymnastica, disco, hastis, pila.
Cursu, armis, equo, victitabam volupe,
Parsimonia, & duritia disciplinæ alijs eram.
Optumi quique expetebant eam doctrinam sibi,
Nunc postquam nihil sum, id uero meopte ingenio perij.

Vtinam hæc aliquis Philolaches perlegeret, & ad frugem concursus prodigum exueret, quem induerat adolescentem, & ex desertore Patris ad patrem rediret, dicens *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam illi Pater peccaui in cælum, & coram te.* Vin oculis lector tuis Adolescentiæ conspicere turbationes. Dixit Adolescentior Patri. *Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Ea Au- Luca c.15.

daciam,

daciam, impatientiam cupiditatem. Non sic Fœnerator auarus debitorem alloqueretur suum. *Congregatis omnibus peregre profectus est in regionem longinquam*, quanta hic impietas, irreuerentia, libertas, coutemptus, & disciplinæ fastidium? *Ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè*, & quæ sequuntur *ecce quid facit cupiditas ad censum præcepto. Ecce quemadmodum sine patre census nudauit filium, non ditauit, census tulit egremio patris, eiecit de domo, spoliauit fama, exuit castitate*. Hæc Chrysologus, qui cauere nos docet ne ad supradicta mala pertrahat adolescentiæ miseranda libertas.

In commentarijs ad or. 1 Nazianzen. De adolescentiū moribus ex Elia Cretensi. Quæ ex Arist. desumpta. Chryso. ser. 1.

De adolescentium affectionibus ita disserit. Elias Cretensis. *Iuuenes quidem ad concupiscendum procliues sunt, corporeisque cupiditatibus addicti, maximeque in venerem propensi, ac per quam intemperantes, incostantes etiam, & fastidio statim laborantes, & iracundi, ambitio enim ea, qua laborant hoc ipsis affert, vt se contemni minimè patiantur. At vero ijdem pecuniarum studio haud quaquam dediti sunt, quod nondum egestatem degustarint, nec vafri, ac subdoli; sed simplices, quod nondum multas improbitates viderint; & creduli, quod non sæpe decepti sint: & risus amātes, ac proinde faceti, & dicaces*. Hæc Elias, quorum pleraque ex Aristotele orta sunt, & commentariolum quemdam faciunt ad ea, quæ de prodigo adolescente scribit Sacer Euangelista.

Strom. 1. Virtus. & studiū non amat adolescentes. L. 2. legib. 16.

Rectè igitur Plato, vt est apud Clementem. Virtus inquit, non tenetur amore iunenum. Quæ verba Platonis quidem fortasse non sunt, sed sensus. Hic enim habet, studium non ferre iuuenum animos, quæ eamdem vim significandi habent, atque illa priora. Dicti autem sui rationem reddit Plato illam. Quod iuuenibus innatæ sint intemperantiæ, atque contumeliæ.

Qui inepti ad philosophiam.

Aristoteles autumat. Eos ineptos effici ad Philosophiam de moribus addiscendam, quod à voluptatibus arceantur. Sunt enim vero intemperantes nedum per libidines, & amorem incestum, sed per vinum, & ebrietatem, rectè Venusino. *Adolescens est vinosus amator*. Mirabar olim à Seneca dictum *frequens hoc adolescentium vitium esse, qui vires excolunt in ipso* inquit *pæne balnei limine inter nudos bibunt, imo potant: vt sudorem, quem mouerunt potionibus crebris, ac feruentibus, subinde distringant*. Et putabam illi de his, qui militiæ se sufferendæ adaptabant, esse sermonem; quibus vinum non in vsu, sed etiam in donis erat militaribus; & ijsdem postea ex necessitate in voluptatem abijsse in omne genus luxuriæ præcipitantem. Id quod adolescentibus amori deditis facile accidit nam vt prouerbio iactatur. *Sine Cerere, & Bacco friget Venus*. Sed legenti proble-

Sect. 3 probl. 7.

ma Aristotelis *cur pueri cum natura sint calida vinosi non sint, cum scythas, & viros robustos, qui certè omnes habitu sunt calidiore constet esse venosos:* occurrit naturalis ratio, quamobrem adolescentes libenter vino vtantur, nempe quia calor in his, & siccitas ad hoc impellunt, vinositas enim humoris cuiusdam libido est. Itaque quemadmodum

dum pueri cum sint humidi humiditatem non appetunt, neque vinum, qui humores suggerere videtur, appetent, contra adolescentes. Quibus optimum Clemens tradit documentum his verbis. *Oportet autem quam maximè fieri potest, iuuenum appetitiones conari excindere furorem quidem Bacchicum auferentes, feruori autem contrarium medicamentum infundentes, quod etiam ardentem cohibebit animum, & membra retinebit intumescentia, & quę iam agitatur cupiditatis incitamentum sopiet.*

Vinositatem adolescentium excipit turpiloquium, & risus, non quod alia tale monstrum non comitentur vitia; sed quod hæc duo in tali adolescente præ ceteris emineant, ideo hæc sola recensemus, apud Clementem. Clemens l. 2. pad. c. 5.

Omnes autem vt vno verbo dicam stultos vinum
Et ridere iubet molle, & saltare libenter

Mores effeminatos conuertens ad mollitiem. Est autem considerandum, quomodo hinc profecta dicendi licentia, turpitudinem vsque adeo auget, & amplificat vt etiam deducat ad turpiloquium.

Edidit, & quod erat melius non dicere verbum.

Et loquitur Clemens de adolescentibus maximè, ante enim hæc verba præmiserat. *Maxime adolescentibus, & mulieribus risus est procliuis ad calumniam.* Quamobrem rectè Euripides ad iuuenem. Stob. ser. 14.

Mores lasciuos qui solum ridendo splendent
Oderis, non diu durat malę voluptatis delectatio.

SECTIO X.

DE SENVM PERTVRBATIONIBVS.

Ex Horatio, & Euripide, & alijs series officina perturbationum. Timidi ex sanguinis frigiditate hinc perturbationes aliæ. Irresoluti Auari. Ratio duplex quæ examinatur. De auaritia senum, multa. Cur senes accumulant. Cur dilatores, spe longi, inertes, cur iracundi. Senectus instar vini acescentis.

AB Horatio more nostro exordimur. Art. Poet. Senum mores, & affectus ex Horatio.

Multa senem circumueniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet vti,
Vel quod res omnes timide, gelideque ministrat
Dilator, spe, longus, iners, auidusque futuri,
Difficilis, quærulus, laudator tempori acti,
Se puero, censor, castigatorque minorum.

Rectè ergo Euripides. Cur in Stob. ser. 114.

E heu quam habet multas senectus ægritudines.

Nam ætas longa, vt idem ipse ait, *parit ægritudines infinitas*.
Ad senectutem enim velut officinam
Omnia hominum accedunt mala.

Neque mala solum, quæ corpus affligunt atteruntque, sed quæ animo etiam insideant eumque miserum in modum occupent.

Cur timidi Senectus hyems vitæ.

Præcipuè verò timidi sunt propter frigiditatem sanguinis. Quare acutè Solon, Eratostenes, & Patrocles senectutem *vitæ hyemem* appellarunt; & apud Poetas passim *frigida, & tarda senectus*. Optime Poeta noster Entellum senem sic loquentem facit.

Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu; sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effetæ in corpore vires.

Senes pusillanimes queruli, &c. contrarij moribus iuuenum.
Virgil. 12.

Hinc pusillanimes, queruli morosi, irresoluti in summa mores, & effectus omnino contrarios habent adolescentium moribus, & perturbationibus, quod Virgilius breuibus expressit in rege latino sene Turnum alloquente iuuenem,

O præstans animi iuuenis quantum ipse feroci
Virtute exuperas; tanto me impensius equum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.

Quare senes irresoluti.

Quod autem senes irresoluti sint, alia potest esse etiam caussa. Quoniam enim multorum annorum vitam duxerunt, & in pluribus decepti sunt, & errarunt; hinc est quod in sermonibus suis, neque affirment aliquid, & longe minus quam oportet, omnia putent, quin vero semper inter affirmandum, aut negandum adiungent, forsan, & fortasse, asseuerent autem nihil. hinc illud senioris Anchisæ.

Maximus vnde pater, si rite audita recordor,
Teucrus Retheas primum est aduectus in oras

Cretensis. De senibus sic habet.

Precipua senum perturbatio amor habendi.

Elias Cretensis de senibus hæc habet. *Senum cupiditates partim extinctæ sunt; partim imbecilles, atque iracundiæ celeres quidem, sed infirmæ. Eodem modo nec ad concupiscendum prompti sunt, nec quantum ad libidines attinet, actuosi, sed quantum ad quæstum. Vnde etiam temperantes esse apparent, etenim cupiditates eorum lucro cedunt, ac seruiunt*.

Teren. in adelphis

Itaque præcipua in senibus perturbatio est amor habendi nimius, quæ affectio ceteras ita sopit, vt pœne virtutes esse videantur, cum minimè sint, sic apud Terentium.

Senes attentiores ad rem omnes vt sint, quam Sat est, facit Senectus.

Ratio huius.

L. 2. Rhet. Ab Arist. duplex offertur.

Quamobrem verò tam auaræ sunt conditionis ij, qui senio premuntur, vt iam iamque morituri omniaque, vel inuiti relicturi? Aristoteles duas videtur afferre caussas, quia pecuniæ in his numerantur, quæ sunt ad vitam necessaria; simul etiam quia longo vsu didicerunt, quam difficile sit pecuniã acquirere, quamq; facile eam-

camdem amittere. At Cicero caussam se huiusce rei nescire planè confitetur. *Auaritia vero senilis quid sibi velit non intelligo; potest enim quidpiam esse absurdius, quam quò minus vitæ restat, eo plus viatici quærere.* *Cic. de Senect. De hac auaritia Cicero miratur, & caussam nescit*

Sed ad Philosophi rationes vt reuertamur. Prior quidem ratio consistere posse videretur, si pecunia, quam comparant ad vitæ sustentationem impenderetur; at senes plerique omnes sunt quēadmodum. *Examinantur rationes allatæ. Pecunia à senibus in nullum vsum seruatur.*

Senex auarus vix sibi credens Euclio.
Domi suæ defossam multis cum opibus
Aulam inuenit, rursumque penitus conditam
Exanguis amens seruat. *Plaut. Aulularia prologo.*

Au vt dotem filiæ curent, assignentque cum viro eam sunt collocaturi.

At qui aulæ timens
Domo sublatam varijs abstrudit locis

An vt hæreditatem superstitibus liberis defunctus vita pater relinquat?

Is quoniam moritur (ita auido ingenio fuit)
Nunquam indicare id filio voluit suo.
Inopemque optauit potius eum relinquere,
Quam vt thesaurum commonstret filio.

An vt domum ornatam, ac splendidam, & familiam bonis adopertam vestibus habeat?

Ego intus seruem? an ne quis ædes auferat?
Nam sic apud nos nihil est aliud quæsti furibus.
Ita inanijs sunt oppletæ, atque araneis.

Vel vt alijs mutuum det; aut vt aliud quidpiam commodet petentibus vicinis, amicis, familiaribus, consanguineis?

Caue quemquam in ædem alienum intromiseris
Quod quispiam ignem querat, extingui volo,
Ne caussę quid sit, quod te quisquam quæritet.
Nam si ignis viuet, tu hunc extingue extempulo.
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petat.
Cultrum, securim, pistillum, mortarium.
Quæ vtenda vasa semper vicini rogant;
Fures venisse, atque abstulisse dicito.

Si igitur hæc, vel pecuniæ, vel facultates, quas tantopere actam vehementer senectus appetit, ac requirit neque ad vitæ sustentationem commodam, neque ad ostentationem honestam, vsui sunt; quorsum aut vnde tantus amor nummi? qui tantum etiam augetur, quantum ipsa pecunia crescit. Quid enim auaro proderit si in pecunia omnia contineantur, quæ sunt ad vitam necessaria si ei. *Auaro omnia desunt.*

Tam deest quod habet, quam quod non habet.

Pecuniam in senectutem seruant. Opinor hæc omnia in tempus senectutis prouide constipant, atque coaceruant formicarum instar. Hæ autem farris coacti aceruis hieme aduentante vtuntur; at illi cum aperiantur cana niue, & bruma obrigescant, parcunt partis, & obtinent.

Nam nunquam se esse senes credunt. Quin cum prope eo sint vt deponantur, tamen se senes esse non credunt, adhuc in vegeta ætate degere se putant; etiamsi cani, casci, atque caduci sint, capulares, atque acheruntici.

Plautus Mercat. Demipho senex cum Lysimacho apud Plautum sic sermocinatur.

Quid tibi ego ætatis videor? Lysimach. *Acheruntieus*
Senex vetus, decrepitus.

Corrige pro *vetus*, Vietus. Sic sensus, & versus aptior.

Demipho. *Peruorse vides*
Puer sum, Lysimache, septuennis. Lys. *Sanum n'es?*
Qui puerum te esse dicas? Dem. *vera prædico*
Lys. *Modo Hercle in mentem venit, quid tu diceres*
Senex cum extemplo est, iam nec sentit, nec sapit.
Aiunt solere eum rursum repuerascere.
Dem. *Imo bis tanto valeo, quam valui prius.*

At hic, amabat, inquis. Vera asseris, at si Demipho senem se agnouisset, amori se ludum non fecisset. Sed quotus quisque senum est, qui se esse putet? *Cic. de senect.* Præterea nemo est tam senex, qui se annum non speret posse viuere. Ergo rei suæ parcit, ac sibi ipsam subtrahit in alterum annum, & rursum in alterum, vt seruet. *Credant tamen vere esse quadantenus.* Quod autem se senem esse non putet is, qui senex est. Id non vsquequaque est verum, nam fallere se omnino natura non potest, quadantenus potest, senectus ipsa vt cetera non circumueniant incommoda, morbus est. Itaque qui prouectioris sunt ætatis, accumulant pecunias tanquam senes, accumulatis parcunt tanquam nondum omnino senes.

Senes cur accumulant. Cur autem senes accumulant? id verò adhuc peruestigandum restat. Nam quod pecunia sit pro ceteris rebus necessarijs omnibus; hoc non senioribus tantum, sed omni etiam ætati stimulus esse potest acquirendi numi. *Ratio.* Existimo, quia senes destitui se non solum naturæ viribus, & annis: sed & amicis, sed & familiaribus, sed & omni externo subsidio vident, dolentque.

Idcircò ad eam rem maximè comparandam confugiunt, qua acquisita multum apud se subsidij esse ad senectutem reparandam sperant. Cuius quidem habitæ tenaciores fiunt, propter eam rationem, quam diximus, & simul etiam quia, vt ait Aristoteles, experientia didicerunt quam sit difficilis pecuniarum acquisitio.

Hæc autem in senibus rerum experientia mirum quam multas,

ac varias in eorum animis igeneret affectiones, perturbationesque quas ne longum faciam prætereo cum apud Aristotelem etiam facile videri queant. Stob.5.115.

Ad Horatium tantisper referamus pedem. Illud quod de sene primo habet loco *Quærit, & inuentis abstinet, &c.* Vsurpatum etiam est à Democrito, qui *Senium*, inquit, *omnimoda imperfectio est omnia habet omnibus indiget, Dilatores spe longos* senes vocat. Quod duplici ex capite oritur. Nempe quia sanguis eorum friget, ac torpescit; & quia credit sibi tempus adhuc superesse viuendi. Eurip.

Remissa quidem res est senile genus

Inertes sũt quã maximè quod & facto suo, & dicto Alexis Poeta declarasse visus est, cũ enim quidam ipsum senem ægre incedentem intuitus, quidnam ageret, interrogasset; respondit *Paulatim se per otium mori*. Querulos eos quis non experitur? duo vero queruli habent: iracundiam, & verba: in vtroque senex excellit *Senectus* inquit Isocrates *morosa, & querula est, & pro minimis rebus anxia*. Mirum autem cur frigida senectus cum sit, adeo facile exardescat in iras, & vix quemadmodum Euripides docet, *moderari se possit, quin præceps in iracundiam eat.* An ad senum iram respiciens Antiphanes acescenti eos vino comparauit.

Vita nostra persimilis est vino
Cum superest modicum, acescit.

Euripides optimè garrulitatem senum vnico verbo expressit.

Quid aliud est vir senex quam vox & vmbra.

Vmbra scilicet quia non homo, sed hominis est simulacrum. Vmbra quia mentis inops; atque inanis, & vocem solam, & questus habens, præterea nihil. Sed finis esto.

SECTIO XI.

DE VIRORVM PERTVRBATIONIBVS.

Virorum perturbationes cur moderatæ. Virilitatis commoda exemplum ex Dedalo. Virorum perturbationes propriæ ex Horatio, & Aristotele. Præcipuè amor opum, & amorum. Et hæ in politijs, & ciuitatibus. Aemulatio inter æquales, & inuidia. Remedia ad has apud diuersas Respublicas.

2.Rhet.c.4.

Legendus est Aristoteles. Virorum autem perturbationes moderatæ solent esse, & interiectæ inter eas, quæ sunt adolescentium, & senum, nam, neque valde confidunt, id enim est audaciæ: neque nimis metuunt, neque excandescunt facile, neque multum frigent, vt autem in vniuersum dicam, quæcumque sibi distribuerunt iuuentus, & senectus ex commodis, Vir commoda iuuentutis, & senectutis habet.

Non item incō-moda. dis, ea ipsi coniuncta habent, quæcumque verò excedunt, aut deficiunt; eorum quod moderatum est, & conueniens habent.

Vnde viri iure suo ad mediocritatem exhortantur. Iure suo ergo Dædalus pater virilis scilicet ætatis, Icarum filium adolescentem ad mediocritatem exhortatur.

Ouid.Met.8.

Instruit, & natum, medioque vt limite curras
Icare, ait, moneo. Ne si demissior ibis,
Vnda grauet pennas; si celsior, ignis adurat.
Inter vtrumque vola.

Sed ille.

Ceu Puer, audaci cæpit gaudere volatu,
Deseruitque ducem, cælique cupidine tractus
Altius egit iter.

Horatius de virili Aetate. Afferamus ea, quæ Horatius viris adscribit.

Conuersis studijs, ætas, animusque virilis
Quærit opes, & amicitias, inseruit honore,
Commisisse cauet, quę mox mutare laboret.

Affectiones virorum ex Arist. plures, sed omnes moderatæ. Sanè hanc ætatem ita describit Philosophus, vt omnis perturbationis vacuam, & omnia moderatè, & cum virtute gerentem. Atque ita esse vir deberet, cui scilicet virtus, non nomen solum, sed seipsam præberet, atque inderet. Poeta duas illi appingere perturbationum motiones videtur. Amoris opum, & honorum, quæ duo vix, ac ne vix, quidem moderationem vnquam suscipiunt. Horum amorum posterior in nobilitate viget, quam maximè, prior in plebe. Vterque tamen in ætate virili promiscue, & prout cuiusque conditio, ac natales ferunt. Caussa est, quoniam in ciuitatibus, quocumque tandem gubernationum genere statuuntur, sui semper magistratus, & gubernatores creandi sunt, siue annui, siue perpetui; ijque cum non omnibus semper contingant, sed aliquibus, necessario oriri videtur æmulatio honorum adipiscendorum, quæ ex amore oritur honoris, aut ipse amor est, aliturque his facultatibus, atque opibus vt patet. Cum enim omnes natura æquales sint, si non omnes regant, sed aliqui, quis non videat locum aperiri perturbationibus ambitionum, cupiditatum, inuidentiæ, spei, timoris, &c. Hi autem qui magistratibus capessendis apti iudicantur in rebus publicis non senes, aut adolescentes, sunt, sed ij, qui sicut ætate virili vigent, ita etiam iudicio prudentiaque pollent.

Inter has amor opum, & amor honorum. Quæ tam moderationem vix admittunt. Caussa cur in viris sint omnibus. Quia ciues sunt & honoribus inhiant.

Qui viri perturbentur. Quamobrem efficitur quidem vt virorum nullæ sint propriæ perturbationes, si sigillatim, & non vt ciues considerentur; neque vt communitatem quandam conflantes. Ceterum si communitates considerentur, in his, illi qui amori pecuniæ, & honorum ambitioni inuidentiæ spei subiacent magis non pueri sunt, aut adolescentes, aut grandæui, sed viri, maximè autem in Oligarchijs, Democratijs, & Aristocratijs.

Etcur.

Iam

Iam caussa propter quas hæ commotiones animorum exurgant sunt; quia Æquales æqualibus inuident, *& graculus graculo, & faber fabro*, vt est in prouerbio, nempè quia alij cum sint alijs solum secundum aliquid pares, putant se simpliciter, atque in omnibus pares esse; vel cum aliqua in re præstent, existimant se in omnibus præstare, de quibus caussis latè differitur ab Aristotele.

Aequales æqualibus inuident.

Lib.5.politic.

Ad euitandas huiusmodi perturbationes ciuium diuersæ diuersa excogitarunt remedia Ciuitates, nam frequenter in damna earum excrescunt. Syracusam Petalismum, Athænienses Ostracismum, Romani censuram.

Remedia excogitata ad euitandas in ciuitatibus perturbationes.

SECTIO XII.

DE NOBILIVM PERTVRBATIONIBVS.

Moderatio earum in nobilitate frequentior, & clarior. Sed illæ in illa frequentes primum superbia, Quid hæc? tum contemptus plebis. Obliuio propriæ humanitatis. Dauid explicatus. Exemplum ex Rege Aegypti. Ex Mezentio. Ambitio nobilium in aliorum clientela, & famulatu ex Seneca: Alexandri Seueri moderatus animus. Nobilium fores cur superbæ dicantur? Eorumdem aures clausæ veritati adulationi patentes. Senecæ locus illustratus. Ira in nobilibus frequens, & caussa in Iunone irata. Ira nobilium expreßa. Virgilius illuminatus. Despici maximè oderunt. Vir lenis laude dignus, iactabundi, non ità qui verè nobiles, Vlyssis exemplo. Virtus vera nobilitas. Phalaridis dictum. Defensio eiusdem. Nobilitas fortunæ donum. Ira in arduis propria nobilitati. In bello fortis non iracunda. exemplo Achillis, Aiacis, Turni. Virgilius Illustratus. Alexandri ira ingens oculi non pulchri, sed in bello Leonini. Marij oculi item Attilę.

VEre à Platone dictum est, *consentaneum esse meliores vt sint naturę nobili in genere quam in ignobili*. Moderatio enim animi perturbationum in viro per suos natales illustri clarior est, & ad splendorem vndequaque pariendum plus pollet, quam auorum imagines famosæ. Quamobrem Persarum mos fuit, Regem suum dum puer est, educantium, vt quatuor illi ex senioribus magistros assignarent doctrinis varijs instruendo, quæ ad moderationem animi spectabant, quemadmodum in superioribus dictum est.

Apud Stob. ser. 84.in fi.

Moderatio perturbationum in nobilibus clarior.

Exemplo Persarum.

Sectione 8.

Verum enimuerò nobilitatem perturbationes suam veluti parentem sequuntur, non paucæ: sed in primis duæ, superbia, & ira, de priore prius, posterius de posteriore, Virg. de drance.

Lege Tiraqu. de nobilit.c.13.n.3.

Quæ perturbationes nobili proprię

Ge-

Aen. 11. Superbia, & ira.

Genus huic materna superbum
Nobilitas dabat.

Quem locum imitatus Silius de Asdrubale filio dicit.

Silius 12.

Asdrubalis proles, cui vano corda tumore
Maternum implebat genus.

Quod sit superbia S. T. 1.2.q.84.ar.2. Vgol. 2. de Sacr. Salust. in Iugur.

Est autem superbia *inordinatus, idest nimius propriæ excellentiæ appetitus*, maximè proprius, & innatus nobilibus. *Metello*, inquit Salustius, *inerat contemptor animus, & superbia commune nobilitatis malum.*

Primus in nobilitate effectus superbiæ est cõtemptus aliorum vsque ad contemptum Dei.

Et sanè si non primus, certè non postremus effectus superbiæ, & nobilitatis, est aliorum esse contemptorem præsertim plebis, quod vitium eo vsque sæpè in illis progreditur, vt homines se esse obliuiscantur, & dij velint haberi, & omni humilitatis genere adorari. Demum etiam in Deum diuosque contemptus eorum redundet.

Contentorque Deum Mezentius.

Ps. 73. 23.

Paraphrasis particula laudatur.

Optimè Regius Vates *Exurge Deus*, inquit, *iudica caussam tuam, memor esto improperiorum tuorum eorum, quæ ab insipiente sunt tota die.* quasi dicat. Tua ò Deus caussa, & res agitur dum insipientes hi viri nobiles, ac potentes contra pauperes, & inopes, & contra plebem insurgunt, dumque illis ignominio se conuiciantur, eosque contemnunt; tibi inferunt iniuriam, non solum, quia tuam plebem vexant; sed quoniam à contemptu hominum deuenient in Dei ipsius contemptum; tua igitur res agitur paries dum proximus ardet. Ne ergo ò Deus, inquit Dauid, *obliuiscaris voces inimicorum tuorum, superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper.* Superbia enim potentium hoc habet proprium, vt ascendat semper, donec ad Deum ipsum perueniat, eumque vel esse non credat; vel inferiora non curare; vel se ab eo non pendere; vel quid simile indignum non modo nobili homine, sed ne homine quidem dignum cogitet; quid vocibus illis absurdius? *Meus est fluuius, & ego feci memet ipsum?* Sunt autem voces Regis Ægipti superbientis.

Eccl. 29. 3. Lib. Aeneid. 10.

Quid illa? *Dextra mihi Deus, & telum, quod missile libro.*

Sunt autem Mezentij Deum contemptoris. Hinc illæ clientum, seruorum, familiariumque ambitæ matutinis, vespertinis horis, salutationes, quas in nobilibus despicit Poeta paucis contentus.

Virg. Georg. 2. Lege Cerdam.

Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus vndam.

De benefic. l. 6. ca. 33.

Quo de more Seneca. *Consuetudo ista est*, inquit, *vetus regibus, regesque simulantibus populum amicorum describere. Est proprium superbiæ magno æstimare introitum, ac tactum sui liminis, pro honore dari, vt ostio suo propius assideas, vt gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt Ostia, quæ receptos quoque excludunt.* Hactenus Seneca, scilicet

ſcilicet hoc etiam è ſuperbia oritur, vt inter amicos gradus conſtituant, primos, ſecundos, tertios. Habent itaque Nobiles huiuſmodi amicos primos, & ſecundos, nunquam veros.

Nobiles multos amicos habent, nullos veros.
Senec.ibid.

Optimè in Alexandro ſeuero notauit Lampridius moderationis tantæ eum fuiſſe, vt amicos non ſolum primi, & ſecundi loci, ſed etiam inferiores ægrotantes viſeret. Nimirum ſtudebat ex amicis amicos veros facere.

Lamprid.in Alexand.
Alexandri Seueri ſtudium in amicos.

Sed notandus eſt titulus nobilium ædibus à Poeta poſitus non. ſuperbas appellauit, quia nimirum hæ ſua magnificentia, atque amplitudine ſuperbiam dominorum claro elogio patefaciunt. Lege Horatium. Sed illa non ſunt omittenda.

Nobilium ædes ſuperbæ cur vocantur.
L.2.od.18.

Tu ſecanda marmora
Locas ſub ipſum funus, & ſepulcri
Immmemor, ſtruis domos.
Mariſque baijs obſtrepentis vrges
Submouere littora.
Parum locuplex continente ripa.
Quid quod vſque proximos
Reuellis agri terminos? & vltra
Limites clientium
Salis auarus?

Quam ædium etiam intra mare amplificandarum inſaniam alibi mire deſcribit.

Contracta piſces æquora ſentiunt
Iactis in altum molibus, huc frequens
Cæmenta demittit Redemptor,
Cum famulis, dominuſque terræ
Faſtidioſus.

His adde ſuperbarum ædium ſuperbiſſima ornamenta nempè ex auro contexta peripetaſmata, auream argenteamque ſupellectilem: Pueros, ſeruos, ancillas, equos, currus, canes, dapes, veſtimenta, tabulas pictas, vaſa ex gemmis, annulos, torques, qua de re aliquid peculiariter dicendum poſtea. Hinc veritati obſtructæ, imò auerſæ aures nobilium, adulantibus vero patulæ, atque amicæ. *Monſtrabo tibi*, inquit Seneca, *cuius rei inopia laborent magna faſtigia; quid omnia poſſidentibus deſit*; ſcilicet, *ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine prorectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum; vendicet à conſenſu conſeſſuq; falſorum. Non vides, quemadmodum illos in preceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſeruile ſubmiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet, diſſuadetque, ſed adulandi certamen eſt.* Hæc & multa alia proſequitur in hanc rem Philoſophus.

Aures nobilium veritati clauſæ. Imo auerſæ, patentes adulatoribus.
L. 6. de beneſ.c. 30.

Alludit autem verbis ſupra allatis Seneca, ad eos, qui ſuauitate, atque concentu illecti ſyrenum conſentientium interſe,

Senec.explicatur.

atque concinentium ad perniciem eorum, qui adnauigabant, ij enim ſtupentes ad ſoni dulcedinem, ac mulcedinem eò perducebantur falſis illis illecebris, vt perirent, ad quam Senecæ alluſionem non videntur penetraſſe, qui loco falſorum aliud quidpiam ponunt. Nam falſus etiam is dicitur, qui fallit, aut ſolet fallere, non ſolum qui fallitur.

Ira nobilium. *Quare in his oriatur.* *2.Rhet.c.3.* Iam ira in viris nobilibus nota eſt. Teſte Ariſt. in his, ex eo naſcitur, quod conuenire arbitrantur ſe magni fieri ab inferioribus genere, & præcipuus mos eſt eſſe honoris cupidiores. Nobilitas enim dominationem quamdam in alios inferioris notæ honores ingenerat, & qui ſe exiſtimat eſſe indignum, qui imperet, facile iraſcitur ei, qui dignus, cui imperetur, apparet; ſi non obſecutus fuerit. Quamobrem dixit Homerus *Ira magna eſt ab Ioue natorum, Regum*, & alibi. *Conceptum tamen iram ſeruat*. Moleſtia enim magna nobiles afficiuntur propter excellentiam ſi ſe deſpici videant. *Moleſti habent deſpici.* Hæc ex Ariſtotele luculentum huius rei exemplum habes in Iunone contra Æneam, ac Troianos irata apud Homerum noſtrum. *Exemplum in Iunone.*

Aen.7.

Stetit acri fixa dolore

Tum quaſſans caput hæc effudit pectore dicta.

Virg. eleganter explicatus. *Stetit*, inquit, *quod propriè cogitantum eſt*, habet Seruius. Irati autem primò attoniti hærent, tum de vltione cogitant. Quaſſans etiam caput *in ſignum doloris* ait Hortenſius Naſcimbenius, adde etiam vindictæ, ac minarum, de hoc geſtu corporis plura lege apud Cerd. ad Virg. Iræ autem notas habes apud Senecam. *Seruius.* *Naſcimben.* *Cerdo.* *L.1.de ira c.1.*

Sed accipe iracundæ Iunonis ſermonem.

Aeneid.7. *Heu ſtirpem inuiſam, & fatis contraria noſtris*

Qui locus luculenter elucidatus. *Fata Phrygum*

A gemitu, & ſuſpirio incipit, *quod altiſſimi ſignum doloris eſt.* Donato. Gemitus autem prima iræ ſoboles eſt, & vocem anteuertit. Seneca *Gemitus, mugituſque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus*, *ſtirpem* autem *inuiſam* vocat, ideſt odioſam, deſpicabilem, indignamque videri. Hoc vero maximum eſt incitamentum iræ in nobili viro, ſi ſibi pugnandum ſit, cum ignauiſſimo, eoque deſpiciente, neque nobilitati cedente. *Et iis*, inquit Ariſtoteles, *qui in nulla ſunt exiſtimatione, ſi deſpiciunt magis iraſcuntur*. Propterea ſubditur à Poeta. *Donatus.* *Gemitus iræ ſoboles.* *Seneca.* *Ariſtot.*

Et fatis contraria noſtris

Fata Phrygum.

Opponit enim ſuis ideſt nobiliſſimis, diuiniſque, Phrygum viliſſimorum, ſcilicet hominum, & ſemiuirorum fata.

Opponit autem, & contraria facit Troianorum fata ſuis non vero ſua Troianis, quaſi hi in illam incitentur, ac ferantur

non

non illa in hos, & hoc ad inflammandam iram facit, ex Aristotele, *siue enim directe obstiterit aliquis, siue non directè; similiter idem videtur efficere, & si refragetur aliquis. & si non suffragetur, & si alia in re turbaret, sic se habentem omnibus irascitur.* Arist.

Num sygeis occumbere campis
Num capti potuere capi? num incensa cremauit
Troia viros? medias acies mediosque per ignes
Inuenere viam, &c.tum.
Optato conduntur Tybridis alueo.
Securi pelagi, atque mei.

Totus vero hic tractus mirifice facit ad ostendendum nobilium virorum impotentiam, iramque. Omnis enim felicitas inimicorum, aut eorum in quos irati sunt, & quidquid studiosè, aut prosperè agant, in malam partem accipiunt, & in sui despectum; hoc enim significat securi Pelagi, atque mei, idest contemptores, & insuper habentes me, meaque in eos immissa supplicia. *Confitentibus enim, & ijs, quos pœnitet facile*, inquit Aristoteles, *lenimur. Impœnitentes autem, & contradicentes magis castigamus.* Quid illa? in quibus nobilitatem Iuno suam cum Æneæ obiecto comparat, quam apta sunt ad iram in nobili viro excitandum.

Ast ego magna Iouis coniux nil linquere inausum,
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti.
Vincor ab Aenea.

In hunc eundem sensum ex eadem perturbatione orta verba contendens apud Ouidium Aiax protulit cum Vlysse.

Et mecum confert Vlysses

Et vice versa Vlysses

Et se mihi comparat Aiax?

Atque hæc quidem dicta sunt, de ira, quæ ea petitio est vltionis, propter apparentem contemptum sui, &c. *Efferuent nobiles quam facillimè.*

Quid illa efferuescentia sanguinis circa cor, an etiam nobilitati proprior, & facilior, quam ceteris?

Sanè ità est, nam appetitio vltionis ex appetitu oritur; appetitus autem ex efferuescentia sanguinis circa cor excitatur. Sed est alia etiam huius rei caussa. Nobiles viri vt plurimum biliosi sunt, abundantque flauabile, quæ ex delicatioribus epulis, & dulcioribus cibis facile generatur, hæc autem in nobilitate sunt frequentiora, vt non mirum sit si Achilli viro iracundissimo obiecerint, quod quasi bile innutritus à matre fuerit. *Ratio duplex.*

Hinc maxima apud omnes laude digni existimantur viri Nobiles, si moderate se, si comiter, si affabiliter, si modestè per occasiones gerant, enecant enim vitium ingens, & peculiare nobilitatis, quod est superbia, atque iactantia generis. Quo *Valde laudabiles nobiles moderati; Cur.*

Stob. ser. 83. Qui nobilium sfacilius se se iactitant.

quidem vitio quamquam nobilitas vniuersa laboret. Ei tamen illa pars succumbit in primis, quæ nihil in se seruat boni, præter genus. *Perdit me genus.* inquit nescio quis nobilis, sed audi vere nobilem.

Euripid.

Ne nomines, si me amas.
Mater ad singula genus tuum, quibus enim natura
Nullum adfuerit bonum proprium
Illi confugiunt ad monumenta,
Et genus suum, ac auos enumerant, quod habuerint

Vere nobilis non se iactat.

Argute igitur fecisse videtur Ouidius, qui in contentione de armis Achillis, Vlyssem dum orat facit quasi indignantem, suorum maiorum mentionem facere.

Ouid. Metamor. lib. 13.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco,

Et dum memorat, tum se exemplo Aiacis fecisse ostendit.

Sed enim, quia rettulit Aiax
Esse Iouis pronepos, nostri quoque sanguinis auctor
Iuppiter est totidemque gradus distamus ab illo, &c.

Phalaridis sententia. Virtus vera nobilitas.

Optime quidem in sua ad Axiochum Epistola Phalaris quam etiam Stobæus laudat. *De nobilitate*, inquit, *non minus quam de alijs bonis gloriari non indignum est. Ego autem præter virtutem nullam agnosco nobilitatem, reliqua verò cuncta fortunam existimo. Nam humili genere natus vt bonus, ita Regum, & omnium hominum nobilissimus fieri potest. Contra aliquis parentibus bonis ortus, malus euadere potest, ac tum se ipso tum vilissimis quibusque ignobilior. Glorieris igitur de laudibus animæ, non de morum nobilitate in obscuriori potestate iã extincta.* Hæc Phalaris, & optimè vt dixi, de cuius dictis, imo & de eo etiam pauca si libet eloquendum est, & primo quidem demirari me vehementer aio, quod hæc Phalarim de virtute, ac de nobilitate effantem audiam hominem apud plerosque cum Prisci tum recentis æui Scriptores, pessime audire. Sed ego cum viris nonnullis quamuis paucis sentire me fateor ingenue, Phalaridem magnis virtutibus fuisse præclarum, quod ex eius epistolis maximè constat, & ex plurimis etiam eiusdem rebus gestis.

Defensio Phalaridis.

At sæuus, & sanguinarius fuit, fuit sanè nempè vt Tyrannidem, & regnum occupatum retineret, sed sanè in ipsa crudelitate, mitis sepe, & pius, certè nunquam ita crudelis, vt contra omnino innocentes sæuierit. Philosophiam, & Philosophos, & Poetas, & viros omnes literatos adamauit, erga amicos liberalis, prouidus, amicitiæ tenax, qui in Imperio nequaquam tamdiu durasset, durauit, aut per multos annos, nisi satellitio magis virtutum, quam vitiorum suffultus fuisset, quæ de eius Antropophagia, & genere mortis narrantur fabulæ sunt. Sed de homine satis, nunc eius sententias perpendamus.

Hoc

Hoc autem maxime adolescentibus, inquit, *ex genere intumescentibus proderit ad modestiam, & moderationem; si intelligant, nisi studiosi fuerint, maculas se esse sui generis, & verrucas non hæredes nobilitatis*. Præclarè, enim vero. Cuius ea prima sententia est nobilitatem duplici ex capite deriuare nempe ex genere, & ex virtute, illud ex alijs oritur, hoc ex nobis, & genus quidem nonnullam, virtus autem multam, ac pœnè vniuersam nobilitatem præbet, & illa ipsa, quæ ex genere emicat scintilla nobilitatis, si homo vitiosus fuerit extinguetur illico. Hic est Phalaridis de nobilitate sensus, cui omnium Philosophorum astipulatur assensus. Verumtamen hac de re non nostrum est multa differere. lege Tiraquell.

Phalaridis alte sententia de nobilitate.

Declaratur.

Tirsquell. de nobil. c. 3. 4.

Iam quod modicè quispiam in loco, & tempore ex genere se suo dilaudet, non esse indecorum puto, si obseruatis Plutarchi præceptionibus fiat.

Plut. qua ratione se quispiam laudare queat.

Alterum quod habet Phalaris est nobilitatem esse fortunæ donum. Ita est. Diuitiæ, Patria, nobilitas in fortunæ donis censentur, & Mario cui nobilitatem fortuna negauerat, eadem fortuna pro opprobrio obiectabatur. Anne igitur quia à Fortuna tribuitur bonum esse definit?

Item Phalaridis. Nobilitas fortunæ donum.

Sed in præsentia quærendum est; an altera illa ira, quæ secundum Aristotelem vtilis est, ac necessaria, sine qua expugnari arduum nullum valet quæque extollit animum, & incitat; nec quicquam sine illa magnificum in bello fortitudo gerit. An inquam, huiusmodi ira nobili viro veluti propria, atque hereditaria est? ita credo, & in periculis bellorum, in obsidionibus vrbium, in castrorum aggressionibus, defensionibusque magis semper emicat virtus nobilium exardescens generosa ira, contra impetus hostiles, quam ordinariorum militum fortitudo, audi Didonem de Ænea loquentem.

An ira in arduis necessaria propria sit nobilium.

Ita est. Probatur experientia.

Auctoritate.

Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes.
Quem se se ore ferens? quam forti pectore, & armis?
Credo equidem nec vana fides genus esse Deorum.
Degeneres animos timor arguit, heu quibus ille
Iactatus fatis, quæ bella exhausta canebat?

Virg. Aen. 4.

Ab audacia scilicet in bellis, ab exhaustis, perfectisque cum magno ardore animi prælijs, nobilitatem viri, & genus arguit, si enim timidus esset degener esset, hoc est sine genere, ac nobilitate, aptissimum huic argumento est Illud Horatij.

Nobiles in bello minime timidi.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus; nec in bellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Horat.

Ita fert, inquit Venusinus, nobilitatis natura, vt à suis adolescens maioribus hauriat generositatem, & magnanimam illam

Imo fortes.

iram,

iram, adeo in omni periculo necessariam. Sed enim est quandoque, vt vitijs hæc indoles vitietur, & hebescat. Doctrina ergo, & virtute comite mirabiles edit, quæcumque se occasio porrexerit, suæ insitæ dignitatis effectus.

Præsertim si doctrina, & virtute excolantur.

Horat.

Doctrina, sed vim promouet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Vtcumque defecere mores;
Dedecorant bene nata culpæ.

Lege, quæso te, Lector integram hanc odem, quæ ad hoc scripta est, vt generosam viri nobilis in bello iram cum fortitudine coniunctam, ostendat multum valere.

Exempla fortitudinis in nobilibus Achilles.

Sed exemplis rem hanc totam illustremus, quam nobilis Achilles? huius tamen iram canit Homerus primam illam perniciosam; quæ infinitos Achiuis dolores peperit, exitium Troiæ distulit, hinc illud Horatij.

Iracunda diem proferet Ilio,
Matronisque Phrygum classis Achillei.

Qua ira, aut sedata, aut in illam vtiliorem commutata alosim tandem Priami Regno intulit.

Hom. lib. 16. Iliad.

Aiax.

Lib. 13. Metham.

Quam nobilis Aiax Thelamonius? de cuius nobilitate Ouidium adi, At quam præceps in iram?

Ibid.

Vtque erat impatiens ira Sigeia toruo
Littora conspexit, classemque in littore, vultu.

Sophocles Aiax flagellifer.

Demum adeo præferuidus ira fuit, vt hæc in insaniam versa sit. Lege Sophoclis tragediam. At quantæ hic inbellis audaciæ, & fortitudinis, & iræ illius generosæ ex eius hostium ore accipio testimonium, Mineruæ scilicet, & Vlysses.

Min. *Hoc viro enim quis prudentior?*
Aut ad res peaclare gerendas paratior inuentus est?
Vlys. *Ego quidem neminem scio.*

Turnus.

Nonne & Turnus nobilitate sua gloriatur?

Virg. 7.

Turnus auis atauisque potens; quem regia coniux
Adiungi generum miro properabat amore.

Sed adeo iracundus animo fuit, vt ei Alecto viperas inseruisse sub pectore finxerit vates.

Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit
Sæuit amor ferro, & scelerata insania belli
Ira super.

Hic idem quam præferuidus, & acer in armis en ipsum vt Troiam latinam aggreditur.

Virg. 9.

Turnus vt anteuolans tardum præcesserat agmen
Viginti lectis equitum comitatus, & vrbi
Improuisus adest, maculis quem Thracius albis
Portat equus, Cristaque tegit galea aurea rubra.

Ecquis

Etquis erit mecum, ò iuuenes qui primus in hostem?
En ait, & iaculum intorquens; emittit in auras
Principium pugnæ, & campo se se arduus infert.
Clamare incipiunt socij, fremituque sequuntur
Horrisono; Teucrum mirantur inertia corda
Non æquo dare se campo non obuia ferre
Arma viros, sed castra fouere, huc turbidus atque huc.
Lustrat equo muros, aditumque per auia quærit.

Hæc omnia quam plena sunt ira illa vtili, & in bellis nobilem animam ad egregia omnia suscitante? Sanè Virgilius cum Stoicis nequaquam sentiebat, qui Turno iram, & hanc laudabilem concedit, comparans illum fortissimo lupo, qui *asper, & improbus ira sæuit in absentes*.

Lege obsecro locum hunc Virgilij, animaduertens enim quantum in nobili pectore valeat ira hæc bellica. Illud vero minimè missum faciam in more fuisse. Imo etiam nunc esse ducibus, atque Imperatoribus secum cohortem fortissimorum iuuenum deligere ex omni nobilitate selectam, qua sua corpora stiparent, & sine qua nihil egregium aggrederentur. Ita Turnus. Ita Persarum Reges. Ita Græcorum, aut Reges, aut duces. Ita Romani Consules, atque Imperatores. **Duces soliti cohortem prætoriam ex nobilibus sibi adiungere.**

Iam Alexander Philippi Regis Macedonum, & Olympiadis Pyrrhi Regis Molossorum sororis filius, quam iracundus: de quo Valerius. *Alexandrum iracundia sua propemodum cælo deripuit. Nam quid obstitit, quo minus illuc assurgeret, nisi Lysimachus, leoni obiectus, & Clytus hasta transiectus, & Callistenes mori iussus? qui tres victorias totidem amicorum iniustis cædibus victor perdidit*, & hæc quidem iræ illius insaniæ signa manifestissima. Iam ira illa altera consideratior, in bellis adiuuans, quantum in illo posuerit, patraritque, edocebit pluribus Quintus Curtius, & Arrianus ad quos te libens lego. Illud de oculis eius tacere nequeo; ipsum quidem oculis fuisse lenibus, ac placidis; imo non admodum pulcris; si Ioanni Izeze fides astruatur. *Rex Maximus Alexander Philippi.* **Alexander Magnus.** **L. 9. c. 5. Præ ira minus clarus.** **Eius ira bellica. Alexandri oculi non pulcri.** **Izez. in Chiliad.**

Cæsium vnum oculum habuisse narratur ab omnibus
Nigrum autem alterum.

Sed in pugna leoninos semper vultus, & masculos præsetulit; & vt leoni pugnanti flammescunt oculi ita Alexandro in prælijs, nimirum tunc illa ira generosa spiritus ex oculis validissimos inimico ipsi timorem incutientes iaculatur, sic Marius in palude iacens satellitem contra se immissum oculorum acie de incepto deterruit, Attila Rex oculis scintillantibus inter pugnandum Aquileienses perterrefecit. **Sed in bello leonini.** **Marij oculi.** **Attila regis.**

(: ✱ :)

SEC-

SECTIO XIII.

DE DESIDERIO HABENDARVM IMAGINVM, GEMMARVM, ANVLORVM, AVRI, &c.

In hac superbia nobilium præcipua. Qui auri auidiores. Querendi ipsius labor. Exemplum Polymnestoris. Auri fames cur sacra? Mydæ Regis auaritia. Anulorum vsus apud nobiles. Quando apud Romanos, & quam frequens tempore Annibalis. Liuius, & Plinius de hac re collati. Iterum de anulis apud Romanos etiam in pede. Gemmarum apud nobiles vsus. Plinius explicatus. Heliogabalis Nero. Seueri frugalitas, & edictum de auro. Carinus auri appetens. Cur Rex illyrici dictus.

In hac superbia nobilium elucet.

CIrca hæc nobilitas mirum quantum præ ceteris insaniat caussa superbia est, quæ petit rara, & comparatu ardua vestigat, & peregrina, neque assueta pro suo merito sibi ornamenta deberi existimat, atque his parietum, corporumque pigmentis vndequaque comparatis, tantum supra alios excellere se putat, quantum his abundauerit, *hoc*, inquit Plinius, *argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est*.

L.33. in proem.

Nobiles auri auidiores.
Eius eruendi labor.

Iamut de auro primum. Quanta huius libido feruet in nobilibus? euisceratur tellus, & manes ipsi de sua sede deturbantur, querente aurum superbia. Plurimorum hominum ætas, & vita maceratur in tenebris, atque intra imos terræ hiatus, non intra altissimarum speluncarum ergastula, modo, sed in abditissimis montium visceribus tanquam tumulis viuentes animas includunt, & pertinacissimo labori addicunt, vt vnius hominis oculus, cupiditasque satietur. Satietur? mentior quis enim finis auri desiderandi.

Virg. Aen.l. 3.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames. Dixit Vates

Polymnestor.

Latinus, & de nobilissimo ditissimoque Thraciæ Rege Polymnestori dixit, quem coegerat aurum vt post habitis veteribus amicis Troianis, perfidus Græcis antea hostibus suis adhæreret, filium Priami Polydorum per pessimam proditionem cæde infanda perimeret, & eius opes immensas sibi attraheret, se vero ipsum scelere immanissimo fœdaret, neque tamen illum saties auri explerat, sed adhuc vrgebat illum fames vere sacra, idest execrabilis, vel deuota, vel scelesta, vel sacrilega, vel execrationibus, ac maledictis excipienda, hæc enim omnia vocabulum illud significat, sed præcipue vltimum ex Seruio, & alijs, quod videtur etiam Plinio placuisse cum dixit *Vtinamq; posset è vita in totum abdicari aurum, sacra fames, vt celeberrimi auctores dixere proscissum conuitijs ab optimis quibusque.*

Auri fames cur sacra.

Plin.l.33. c. 1.

Ego

Ego sacram famem vocatam esse existimo quia inextinguibilis sit morbus, qui sacer ignis dicitur ideò sacer est, quia insanabilis tracta forte etiam comparatione ab igne sacro vestali, qui nunquam deficeret.

Myda Rex.

Mydam alioqui nobilissimum Regem tam acriter hæc habendi rabies auri vexauit, vt quicquid attingeret, in aurum illico conuerti cupijsset. Lege fabulam apud Sulmonensem Poetam.

Lib.11. Met.

Sed Regum, aliorumque auri cupientissimorum virorum historias apud alios facile reperias. Modum verò pecuniæ, ac rei nummariæ faciendæ, quo vsi sunt varij Reges, Magistratusue, & Tyranni, quodque maximæ auaritiæ, signum est, habes apud Aristotelem, ad vsum anulorum gemmarumque veniamus.

Occon. l. 2.

Anulum ex auro gestare nobilium mos est apud Romanos, quamquam non admodum Vetus Plinius longo certe tempore ne Senatum quidem Romanum aureos anulos habuisse testatur. *Siquidem his tantum, qui legati ad exteras gentes ituri essent, anuli publicè dabantur. Neque alijs vti mos fuit, quam qui ex ea caussa publicè accepissent.*

Anulorum vsus in nobilibus. Plin. l. 33. c. 1.

Quando apud Romanos inceperit.

Sed eius vsus frequentior in nobilitate cepit esse apud Romanos temporibus Appij Cæci. & Pyrrhi Regis, quo tempore Flauius Annij filius, & Appij scriba hoc est nullius nobilitatis homo tantum per fauorem studiumque plebis potuit, vt præter æditiam tribunitiamque dignitatem eò progressus fuerit, vt anulum aureum digito gestaret. Quamobrem Senatus vniuersus tanta indignatione exarsit, vt anulos abiecerit.

Et eo quidem tempore neque omnes Senatores anulum gestarunt aureum, *cum eorum multi ferreum etiam num gestarent, tanquam promiscui vsus anulum,* hoc est tam à plebeis, & equitibus quam nobilibus gestari solitum. *Neque enim* subdit Plinius *secundo bello punico aliter potuissent trimodia illa anulorum Cartaginem ab Annibale mitti.* Sed huic Plinij loco videtur Liuij locus aduersari. *Ad fidem,* inquit, *tam lætarum rerum effundi in vestibulo curiæ iussit anulos aureos, qui tantus aceruus fuit, vt metientibus dimidiũ super tres modios explesset,* sunt quidã auctores, fama tenuit, quæ proprior vero est, haud plus fuisse modio. Adiecit deinde verbis, quo maioris cladis indicium esset, neminem nisi Equites, atque eorum ipsorum primores id gerere insigne. Hæc Liuius, quique distinctos fuisse nobiles à plebe per anulos significat.

Plinius, & Liuius de anulis Romanorum captis ab Annibale collati dec. 3. l. 3.

Primum ergo inquo Plinio Liuius nequaquam conuenit, quodq; ad rem facit, est, quia ille ferreum videtur facere promiscui vsus inter Senatum Equites, ac plebem, hic autem aureũ, qui ex dicto Annibalis Equitibus erat in vsu, & primoribus hoc est Senatoribus.

In qribus sibi nõ conueniant.

Alterum de mensura anulorum. Florus hac de re sic habet *Modij duo anulorum Cartaginem missi, dignitasque equestris taxa-*

Florus.

ta mensura. Sed nobis sat est de anulo aureo tanquam nobilitatis insigni dixisse.

De anulis rursũ. Plin. loco cit. De anulo, & tunica.

De anulis iterum ita Plinius. *anuli distinxere alterum ordinem, à plebe, vt semel ceperant esse celebres, sicut tunica ab anulis Senatum tantum: quamquam hoc sero: vulgoque purpura. Latiore tunica vsos inuenimus etiam præcones*.

Itaque posterioribus temporibus anulus aureus à plebe secernebat alterum ordinem; in quo quidem ordine non soli Senatores, sed equites etiam continebantur, tanquam nobilitate donati. Sic Seneca eos qui anulum gestassent viros ornatos appellat *in quid*, inquit, *isti viri ornati adhibiti sunt? in quid imprimunt signa? quo loco ornati*, inquit, *Lipsius, è digniorıbus ciuium ordinis equestris, aut & Senatorij*. Et Plinius quidem ita habet *Tiberij demum Principatu nono anno in vnitatem venit equester ordo, anulorumque auctoritati forma constituta est.*

L. 2. de benef. cap. 15.

Lib. 33. c. 2.

Postea gregatim insignè id appeti cæptum, adeoque gregatim, vt passim ad ea ornamenta etiam seruitute liberati transilirent.

Gemmæ.

Sed in gemmis luxuria nobilium sese prodit, quam maximè, nam earum comparatio maxima nobilitati gratiam splendoris afferre: & vt ipsæ splendent, ita possessores earum splendidos facere videntur. Si gemmam gestent, si gemma bibant, si gemmis indormiant, & si diuis placet, si in gemma se exonerent. Audi Ciceronem de Verre loquentem *non parua procula exauro quod vt mos est Regibus, & maximè in Syria gemmis erant distincta clarissimis. Erat etiam vas vinarium ex vna gemma pergrandi, trulla excauata manubrio aureo*.

Earumque vsus apud nobiles.

L. 4. Verr.

Reges Syriæ.

En desideria libidinesque Regum impotentiorum; & hi quidem gemmatis vtebantur, at alij gemmis. Plin. *Turba gemmarum potamus, & smaragdis terimus calices, & temulentiæ caussa tenere Indiam iuuat, & aurum iam accessio est*. Nota vocabulum illud, *accessio*, eo sensu scilicet vt auro gemmea vasa, tanquam appendice, aut emblemate non aurea, gemmis ornarentur quomodo in Trulla Verris manubrium aureum. Lucanus. *Gemmæque capaces excepere merum*.

L. 33. prol. Plinius explicatum

Lucan. l. 10.

Et hæc quidem luxuria est in potu, & ferri adhuc potest, in homine per nobilitatem superbo. Quid illud de Helyogabalo Imperatore? *Habuit & in calceamentis gemmas, & quidem sculptas quod risum omnibus mouit quasi possint sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant*. O insaniam. Nam quid voluerit vti diademate gemmato; forte, si non laudabile, saltem excusabile est. Licet, & id mala fine factum fuisset, scilicet vt pulcrior, & ad fæminarum vultum quem in sano furore affectabat magis aptus videretur. Sed accipe Plinium super hoc argumento loquentem de Imagine Pompeij, ex magaritis compo-

Gemmæ in Helyogabalo.

Lamprid.

In Pompeij imagine.

posita. *Tol rabiliorem*, inquit, *fecit caussam Caij Principis, quisuper omnia muli bria socculos induebat è margaritis: & Neronis Principis, qui septa personas histrionum, & cubicula viatoria unionibus consternebat, quin imo etiam ius videmur perdidisse corripiendi gemmata potoria, ac alia supellectilis genera anulos transcuntes, quæ enim non luxuria innocentior existimari possit?* In illis Plinij verbis *septa personas histrionum, & cubicula viatoria consternebat*. Mirum quam varia, ac diuersa sit lectio, atque corruptio, quidam legunt *sceptra, & personas, & cubicula, &c.* de raro vocabulo *histrionum*; hi sensum Plinij non attingunt, qui quidpiam ineptius de Nerone indicare intendit, quam dixerat de Caio, quod non assequitur, nisi de histrionibus loquatur, tum quid illud, *Sceptra?* an sceptra omni histrioni? lege Septa, idest loca vbi histriones morabantur munita, ne eo peruadere alij possunt, alij legunt, *personis*, quod nullum habet significatum lege *personas*, hæ autem vel sunt integumenta oris in histrione, vel indumenta totius histrionis, demum quidam legunt construebat, pro quo apponitur consternebat, idest operiebat. Sed rogo te Plini, quid de Heliogabalo dixisses? audi quam sint illa fœdissima. *Onus ventris, auro excepit; in Myrrhinis, & Onychinis minxit*. Bene habet suas ipse opes, tanquam ludibriosas, tam vili seruitio addictas castigauit, & superbiæ caussam tam humiliter habuit.

In Nerone.

Quis reprehendit Plin.l.37 c.2.

Iterum de Heliogabalo. Lamprid.

Sanè si binos, aut ternos huius farinæ Imperatores Roma continenter sibi succedentes habuisset, næ orbis terrarum in supremam egestatem esset redactus. Excepit luxuriam Heliogabali frugalitas Alexandri Seueri, cuius de gemmis hoc fuit iudicium: *Gemmarum quidquid fuit vendidit. & aurum in erarium contulit, dicens gemmas viris vsui non esse; Matronas autem Regias contentas esse debere vno reticulo, atque in auribus, & bacchato monili*.

Alexandri Seueri frugalitas. Lampridius. Eius dictum de auo.


Fuit etiam Carinus Imperator, qui gemmarum cupiditate insanum in modum traheretur; nam & illas in suis etiam in calceis, vt olim ille; *& nisi gemmata fibula vsus non est; baltheum etiam sæpe gemmatum, vt Regem denique illum Illyrici plerique vocitarent*. Certe de Adriano Spartianus scripsit *sine auro baltheum sumere eum solitum, sine gemmis fibulas stringere*.

Carinus erga aurum insanus.

Spartianus de Adriano.

Sed quid est, quod Carinum plerique Regem Illyrici vocitarunt? caussa cur Regem in plano est, vt notat Casaubonus nempe luxuria, & dominatus. Cur autem illyrici non tangit? an quia Cari filius fuit, qui vel in illyrico, vel illyricianis parentibus ortus dicitur? quasi Carinus non Romano, sed Illyrico more se gereret.

Carinus cur Rex Illyrici vocatus. Vopiscus in Carino. Casaubon. in Hadriano.



SECTIO XIV.

DE EODEM DESIDERIO HABENDARVM IMAGINVM.

Ars pingendi vnde nobilis. Homo multarum Imaginum quid? Antiquitas Imaginum apud nobiles. Plinius reprehensus. Quando apud Romanos primum. Amor Imaginum. De Mummio pulcra.

HOc, nobile desiderium est. Vnde ars ipsa pingendi nobilitatem consequuta quondam, tunc enim expetebatur à Regibus, populisque: tamquam eos nobilitaret, quos esset dignata posteris tradere. Et nobilissimi quidem viri id in more habebant, vt atria ædium suarum imaginibus instruerent suorum maiorum, ita vt viri nobiles dicerentur vulgo homines multarum imaginum, increuit hæc libido, & nobilitatis debitum existimatum est, si alias etiam tabulas pietas celebrium artificum multas venarentur, peruestigatis vndique officinis, vrbibusque, & imaginum amorem immensum in nobilium animis flagrasse quondam, testes sunt Plinius. Athænæus, & Aelianus, & alij, si de Græcia gente agamus, Plinius à Troianorum vsque bellorum temporibus amorem hunc deriuare videtur, cum Græci in clypeis vultus suos appingerent, quem morem ipse laudans *origo*, inquit, *plena virtutis faciem reddi in scuto cuiusque, qui fuerit vsus illo*. Vnde, & clypeos esse dictos putat quasi glypeos à pingendo scilicet, & sanè figuratos fuisse clypeos apud Græcos ad Troiam patet ex Homero, clypeum Achillis describente, sed hæc forte pictura non est, locupletior ergo erit Homerus nobis latinus, qui picturam in templo à Didone constitutam graphicè describit, eamque facit Aeneam contemplantem.

Nobilitas artis pingendi vnde.

Homo multarum imaginum. Cic. de lege agraria.

Imaginum vsus apud nobiles.

Antiquissimus. Plin. l. 34. c. 3.

Homer. Iliad. 6.

In clypeis Græcorum ad Troiam Clypeorum etymon.

Homerus. Iliad.

Pictura in templo Didonis.

Artificumque manus inter se operumque laborum
Miratur, videt Iliacas exordine pugnas,
Bellaque iam forma totum vulgata per orbem.

Aen. I.

Et alia, quæ sequuntur demum sic concludit.

Sic ait atque animum pictura pascit inani.

Iure ergo mirari possum quod Plinius idem scripserit extremo eo capite, apparere picturam Iliacis temporibus non fuisse, nisi forte dicatur Virgilius picturæ vocabulo in latiorem sensum abusus, sed idem Plinius de antiquitate picturæ hoc alibi fert testimonium. *Gyges lydus picturam in Aegypto: in Græcia vero Euchir Dedali cognatus vt Aristoteli placet*. Lydius autem Gyges, & Dædalus ante res Iliacas vixere. Id quod ex Theoprasto addit Plinius, picturæ scili-

Falso negat Plinius picturam Iliacis temporibus fuisse. cap. 3.

Pl. l. 7. c. 56.

ſcilicet inuentorem fuiſſe Polygnotum Athænienſem, liquido falſum eſt, ex ipſo Plinij loco. Idem alio loco Polygnoti cuiuſdam meminit, ſed Thaſij, non Athænienſis quem vixiſſe ſcribit ante Olypiadem nonageſimam: qui multa ad ornatum picturas adinuenit primus. Pl.l.35.c.9.

Sed quonam tempore nobilitatem Romanam inuaſit hæc habendarum imaginum cupido? de imaginibus externis hoc eſt ab externis regionibus Romam allatis. Putat Plinius primum fuiſſe publicatam picturam à L.Mummio cognomento Achaijo propter victoriam, qua occaſione exarſit tunc Pop. Rom.in hac imaginum pictarumque tabularum cupiditatem. Et ipſe quidem Mummius quamquam deuicta Achaia tabulis, & ſignis repleuit vrbem, non tamen erat propterea earum rerum, aut appetens, aut intelligens. Et illud quidem ex eo perſpectum eſt, quod de vita *exceſſerit non relicturus filiæ dotem*. Hoc autem ex eiuſdem facto patebit. Erat inter picturas tabula Liberi patris, cuius excellentiam neque ipſe conſul ſatis admirabatur; niſi Attalus Rex illam ſub haſta poſitam ſex millibus ſextertijs emiſſet. Mummius tunc pretium miratus, ſuſpicatus eſt aliquid in ea Tabula virtutis latere, quam ipſe neſciret, emptionem reſcidit reuocauitque picturam Attalo multum querente. De hoc eodem Mummio iucundum eſt ex Velleio audire. *Mummius tam rudis fuit, vt capta Numantia, cum maximorum artificum perfectas manibus picturas, ac ſtatuas in Italiam portandas locaret, iuberet prædici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, nouas eas reddituros.*

Quando Romanos inuaſit habendarũ imaginum libido. Plinij opinio lib. 35.cap.4.

Pl.l.37.c.1.

Pl.l.34.c.7.

Pl.l.35.c.4.

De Mũmio imaginum nobilitatis ignaro. Velleius.

SECTIO XV.

DE POTENTIVM VIRORVM PERTVRBATIONIBVS.

Qui Potentes? hi ſuperbi. Mos in Triumpho ſeruatus. Seruus in triumpho cur, & quid? Honorum appetentiſſimi, & iracundi maximè qui natalium ſunt humilium. Mænas libertus. Mancipiorum potentium nomina opprobria fortunæ Plinio lux. Pallas ſeruus. Admoneri impatientes Cambyſis exemplo. Senecæ error memoriæ. Iracundia ſemper comes: non ex Ariſtotele. Potentes immites: quæ ſenſu etiam carent offendunt. Senecæ locus. Critici taxantur: ſenſus noſter auctoritate iurium firmatur: vltionem in magnis, & paruis ſumunt, & leuem ſemper putant: allatus Seneca: exemplum Adriani: de eo elegans Fauorini dictum. Metus frequens, & potens: hinc turba perturbationum. Exempla è Seneca. Volunt ſibi obſequi in omnibus; conſiliorum vis. Dubitatio ex Seneca, & reſponſio: conſilium Principi vtile. Iuſtus metu caret.

caret. Potentes timor occupat: nec iustos esse sinit. Horatij dictum egregium: Qui timet inquietus. Amore, & libidine tanguntur maxime: hinc laus si resistant. Alexandri potentia dum modica, laudabilis: immodica reprehensa.

Qui sint potentes.

PRoximè ad nobiles accedunt Potentes viri imo cum ijs suas confundunt perturbationes. Potentium vero nomine eos intelligo, qui in aliquo grauiore magistratu, aut dignitate præsertim diuturna, aut perpetua versantur, aut qui apud Reges, & Monarchas nimium præpollere sibi videntur, de quorum moribus egit Aristoteles, & nobis in præsentia aliquid differendum est.

Aristoteles. 2. Rhet.

Superbi sunt. In curru triumphantis seruus collocabatur. Cur.

Superbi autem hi sunt, cum primis, ita vt supra hominem, & fortunam esse se putent. Hinc triumphanti consuli seruus in eodem curru imponebatur veluti comes, & medicus ne nimium superbiret.

Et sibi consul
Ne placeat, seruus curru portatur eodem.

Iuuen. Sat. 10. L. 3. c. 1.

Plinius de triumphante loquens sic habet, *& cum corona ex auro hetrusco sustineretur à tergo, anulus tamen in digito ferreus erat, æque triumphantis, & serui; fortasse coronam sustinentis* Vnde apparet seruum currui triumphali superpositum, non solum superbiæ triumphantis contundendæ; sed coronæ, & sustinendæ, quæ grandis erat tantum, ait Satyricus in orbem *quanto ceruix non sufficit vlla*: Sed illud de superbia triumphantis edomanda verum fuisse testatur Suetonius, qui asserit potestatem ei seruo fuisse, iocularia, & ridicula dicendi, iubendique triumphantem ad vltimi supplicij instrumenta currui appensa; hoc est tintinabulum, & flagellum, identidem respicere. Vide Zonaram, sed hunc optime morem explicat Tertullianus, his verbis. *Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur. Suggeritur enim ei à tergo, respice te, hominem memento te, etiam vtique hoc magis gaudet tanta se gloria coruscare, vt illi admonitio conditionis suæ sit necessaria. Minor erat si tunc Deus diceretur quia non verè diceretur. Maior est qui reuocatur ne se Deum existimet*. Ex dictis ergo manifestum est potentioribus viris potentiam pro illecebra superbiæ esse. Sunt enim honorum appetentissimi, quia hos sibi debere ab omnibus putant, & nisi exhibeantur facillimè irascuntur, difficili, & obstinata iracundia, & in odium vergente, exemplum habetur luculentissimum in Amano Principe in aula Assueri potentissimo. Vide etiam Aelianum.

Iuuenalis. Seruus in curru triumphali quid ageret.

Suet. in Cæsare.

Zonara. Tertullianus. Apol. c. 33.

Ad triumphantem verba. Quid super currũ triumphalem ferebatur.

Sunt honorum appetentissimi. Irascuntur negãtibus.

Ester.

Aelian. Varr. l. 8. c. 15. & l. 9 c. 37. Maximè hi quam ex humili genere; Vt Menas libertus.

Atque hæc perturbatio, immane est, quantum eos exagitet, qui cum obscurissimo loco nati sint, eos tamen in sublime felicior fortuna sustulerit, egregie id expressum in Mena Pompei Liberto ad gradum ab Augusto tribunitiæ potestatis euecto, superbissi-

bissimo, insolentissimoque homine de quo sic Venusinus: *De quo Horatius lib. Epod. Od. 4.*

Ibericis perustè funibus latus,
Et crura dura compede,
Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Vides ne sacram metiente te viam
Cum bis ter vlnarum toga,
Vt ora vertat huc, & huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagillis hic triumuiralibus
Praconis ad fastidium.
Arat falerni mille fundi iugera
Et Appiam mannis terit.
Sedilibusque magnus in primis eques,
Othene contempto, sedet.
Quid attinet tot ora nauium graui
Rostrata duci pondere,
Contra latrones, atque seruilem manum,
Hoc hoc tribuno militum?

Hunc Menam Pompeij Sexti libertum memorat Plinius, additque aliorum nomina mancipiorum scilicet Chrisogonum Syllæ, Amphionem Quinti Catuli, Heronem Lucij Luculi, Demetrium Pompeij, Augem Demetrij, Hipparcum M. Antonij, Menam, & Menecratem Sexti Pompeij, è sanguine Quiritum, & proscriptionum licentia ditatos. *Hoc est* deinde inquit Plinius *insigne venalitijs gregibus opprobriumque in solentis fortunæ : quod & nos adeo potiri rerum vidimus vt Prætoria quoque ornamenta decerni à Senatu, iubente Agrippina Claudij Cæsaris viderimus libertis : tantumque non cum laureatis fascibus remitti illò vnde cretatis pedibus aduenissent.* *Alia mancipia facta potentia.* *Opprobria insolentis fortunæ. Pl. l. 35. c. 18.* *Plin. explicatur.*

In eo autem quod hoc vltimo loco Plinius dicit, de Prætorianis ornamentis, tangit Pallantem seruum, de quo legendus Tacitus, & Plinius iunior. Habuit autem, & hic fratrem, cui nomen Felix, Præpositum Iudeæ de quo etiam Tacitus. *Sic Felix per omnem sæuitiam, ac libidinem ius regium seruili ingenio exercuit.* Hic est, credo, Felix ille, qui vt refertur, audiens Apostolum Paulum de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro loquentem, tremefactus quidem primo est. Sed statim ad ingenium suum rediens. *Quod nunc attinet*, inquit, *vadè; tempore autem opportuno accersam te. Simul & sperans, quod pecunia ei daretur à Paulo, propter quod, & frequenter accersens eum loquebatur cum eo.* *Tacitus l. 5. hist. Plinius iun. l. 6. Pallas Seruus.* *Tacitus in annal. lib. & historia.* *Omnibus potentibus ira familiaris dum admonentur.*

Et quidem in vniuersum omnibus potentibus ira etiam familiaris est, cum suorum vitiorum admonentur. Exardent enim ilico, & beneficium illud collatum veritatis cognoscendæ, in contumeliam accipiunt, habes in Seneca exemplum Cambysis Persarum, *Exēplū Cāby sis.*

Senec. l. 3. de ira cap. 14. Herodotus l. 3.

Regis coram patre filium sagitta traijcientis; ob id vnum, quia à Præxaspe patre eius familiariter admonitus fuisset, parcius vt biberet. Accessit ergo Præxaspes ad numerum eorum, qui magnis cladibus ostenderunt, quanti constarent Regum amicis bona consilia, addit autem Seneca *non dubito, quin Arpagus quoque tale aliquid Regi suo Persarum persuaserit; quo offensus liberos illi epulandos apposuit*; fallus est in caussa huius exempli Seneca, quod & aduertit Lipsius, nam Astiages fuit ille Thiestes, non quia monitus, sed quia non auditus fuit, exarsit. Præceperat enim Arpago infantem Cyrum, vt occideret, quod ille non præstitit.

Memoria fallit Senecam.

Lipsius in Senec.

Lege Herodotum lib. 1.

Ex ira oritur perturbatio iracundiæ

Verum ex hoc etiam capite perturbatio iracundiæ non cuiusuis, sed in misericordis, & immanis in potentioribus eminet, si scilicet ijs non obaudiatur, si eorum imperia non excipiantur, quamuis intolerabilia, si sibi suisque cupidinibus, vel minimum obstetur, vel non velocissimè pareatur, pete quæso te ab Seneca, & alijs rerum harum exempla. Ego caussam huius tam præcipitis excandescentiæ affero ex Aristotele, *Qui se*, inquit, *beatos, ac fortunatos supra modum putant, nequaquam aliorum miserentur, sed contra contumelijs afficiunt calamitosos, huiusmodi enim Potentes cunctis se bonis abundare cum credant, hoc inter bona enumerant nunquam se à sua felicitate casuros propterea non compatiuntur. Obstare ergo suæ beatitudini arbitrantur si quid sibi obstare audeat, quamobrem etiam insensatis sæpè rebus irascuntur*: vt Cyrus Gindi flumini, quam Tibullus Cyri dementiam vocat, Xerses Athomonti, & Pelago. C. Cæsar Villæ. Sed libet verba Senecæ ascribere de Cyro loquentis, vt illa à Censoribus criticis vindicemus, & sensum ipsorum eliciamus. *Huc deinde omnem transtulit belli apparatum, & tandiu assedit operi, donec centum, & octoginta cuniculis diuisum alueum in trecentos, & sexaginta riuos dispergeret, & siccum relinqueret in diuersum fluentibus aquis*, super illo verbo Cuniculis haberent Critici, & quia hoc vocabulum non nisi subterranea foramina ad insidias significare ex Festo Pompeio putarunt; illud commutare ausi sunt hoc loco, & pro eo supponere Canaliculis, Canalibus, Funiculis; quasi vero hæc nomina non etiam aliud significare possint, ac significet, potius quam id quod intendit Seneca. Aio igitur scriptum à Seneca fuisse Cuniculis, eo significatu, quod dictum est *Cuniculum agere* l. 1. ff. de aquis, & aqua pluuiali; item *Cuniculo aquam auocare* l. 26. ff. de damno infecto, *& Cuniculis defossis in altum, alienarum ædium fundamenta labefactare* l. 6. C. de metallor. l. 11. vide Brissonum.

Ratio. Arist. l. 2. rhet. c. 8

Potentes non compatiuntur.

Iis etiam, quæ sensu carent, irascuntur.

Senecæ locus examinatur.

Cuniculi quid.

Ex Festo. Taxantur critici expositores.

Senecæ sensus.

Brissonus de verborum signific. Corn. alapid. Perer.

Hanc de Ginde diuisio historiam narrat etiam Herodotus. Cui tamen vt assentiar, vix adducor. Nam expugnatio Babylonis initio Monarchiæ Cyri accidit, quo tempore prudentissimè se Cyrus gerebat. Vnde ergo illi tanta insania? captam ab eo fuisse Babylonem, diuiso in cuniculos Euphrate, qui Babylonem permeabat, refe-

referunt ipsi Herodot. Xenophon. & alij recentiores ex his. An quod in Euphrate factum prudentissimè fuit, id referunt ad Gindē tāquā insaniæ furorem? lege scriptores super Danielē, & alios alibi.

Ad rem reuertor, vere dictum est ab Aristotele *Potentes si iniuriam faciunt, non in paruis iniuriosi sunt, sed in magnis.* Quin vero etiam cum in paruis lædunt, præludunt sane iræ; & ad magna, quæ cogitarunt, properant, alioquin non conquieturi. Ad quæ antequam peruenerint, etiam si maximas contumelias intulerint, leuia tamen se perpetrasse existimant; audi illam, quæ immissis per pueros suos muneribus ad Creusam, & Creontem totam igni nefando regiam regesque in cinerem redegerat, audi inquam Medeam.

Potentes proni ad lædendum in magnis.

Et semper leue quid perpetrare existimant.

Seneca in Medea.

Vindicta leuis est, quam ferunt paruæ manus.
Incumbe in iras, teque languentem excita.
Penitusque veteres pectore ex imo impetus
Violentus hauri: quidquid admissum est adhuc.
Pietas vocetur, hoc age, & faxo, sciant.
Quam leuia fuerint, quamquam vulgaris notæ
Quæ commodaui, scelera, prætulit dolor
Per ista noster, & quæ consequenter.

Quid quod non in paruis, sed pro minimis etiam facillimè irascuntur? Adrianus Imperator vir prudente animo, ac moderato, & in omni bona arte, ac scientia eruditissimus excandescebat ilico, si quis illi etiam super vno vocabulo se opponeret. Iucundum est id, quod in hanc rem Fauorinus dixit. Huius cum verbum quoddam ab Adriano reprehensū esset, atq; ille tuēs cessisset; arguētibus dū illū amicis, quod male cederet Adriano, de verbo, quod idonei auctores vsurpassēt, risū iucūdissimū mouit, aitq; *nō rectè suadetis familiares, qui nō patimini me illū doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.*

Aliquando pro re minima irasciītur.

Exemplum de Adriano.

Spartianus in Adriano.

Fauorini dictum de Adriano.

Alia potentium perturbatio maxima metus est, ne de potentia excidat; hinc suspitio de inimicis, de amicis, de consanguineis, de filijs, & de omnibus; hinc cædes innocentium; hinc inconstantia, & immoderatio in animo, eiusque affectionibus: quæ omnia expressa habes apud Senecam Tragnedum, dum iracundum Neronem facit loquentem, à quo pauca delibo.

Metus potentissima potētium perturbatio.

Ex quo quamplurimæ.

Senec. in Octauia.

Perage mandata.

Imperiose semper iubent, & obsequium omnino amant; neque quid imperent attendant, nū facile, aut arduum, aut periculosū ministris sciet, quidquid iubetur, peragendum est. Quid autem iubet?

Exempla è Seneca petita.

Sibi volunt obsequi in omnibus.

Seneca in Octauia.

Imperata perfacile executioni

Mitte qui Plauti mihi,
Sullæque cæsi referat abscißum caput,

Exiguum est quod petitur; duo scilicet clarissimorum capita virorum, e quibus sibi insidias, sed falsò, timebat; quid autem illi Præfectus respondet?

Quid ministri.

Iussa haud morabor, castra confestim petam

 Diui-

D.O.M. bos perdat. Diuite perdant quisquis es perfectè, pessimo viro pessima imperanti, pessimè obsequentem. Non ita Seneca Neronis præceptor.

Aliter Seneca Neronis præceptor. *Nihil in propinquos*, inquit, *temere constitui decet*.

Idem. Sanum consilium Regi, sed insano datum, nam Regibus nihil temere statuendum circa supplicia. Accipe de hac re Senecæ nostri; L. Senecam Patrem. *Quare id fulmen, quod solus Iuppiter mittit, placabile est; perniciosum id, de quo deliberauit, & quod alijs quoque Dijs auctoribus misit. Quia Iouem, idest, Regem prodesse etiam solum oportet, nocere non nisi cum pluribus visum est. Discant hoc ij quicumque magnam potētiam inter homines adepti sunt, sine consilio, ne fulmen quidem mitti aduocent; considerent multorum sententias, placita tēperent, & hoc sibi proponant vbi aliquid percuti debet, ne Ioui quidem suum satis esse Consilium*, quid autem Nero?

Dubium. Seneca qq. naturalium l. 3.

Responsio. Documētū gr̄ade Principibus. Ne noceant soli. Sed cum consilio praeunte, & considerante.

Iustus metu caret. Nam iustum esse, facile est, cui vacat pectus metu, scilicet facile est iustum esse ei qui à nemine sibi timeat. Potenti viro vndequaque timor ingruit, neque sinit esse iustum, & quietum, stultissimo sapiens dictum excidit.

Potentes timor semper occupat. nec iustum esse sinit.

Horat. l. 3. Od. 1. Eggregium dictum.

Districtus ensis, cui super impia
Ceruice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborarunt saporem
Non auium cytheræque cantus.
Somnum reducent.

Potenti enim, qui ab omnibus timet, nulla res quietem parit. Alludit autem Venusinus ad Syracusanum Tyrannum, de quo in Tusculanis. Cicero. Sed tu, & Ciceronem de Dionysio, & ipsum Senecam adi de Nerone, & cum Nerone loquentem; nos ijs relictis ad alia properamus.

Qui timet vsquequaque inquietus est. Vide Ciceronem. Et Senecam.

Demum expositi sunt potentes viri perturbationibus immoderati amoris, ac libidinis, dum enim fortuna illis blandior cuncta promittit, & ipsi quodlibet sibi licere, atque etiam decere putant, facile in hoc delabuntur, vt ijs.

Amor, & libido immoderata etiam eos tangunt.

Turpi libido Venere dominetur potens..

Senec. in Octauiā. Mentior, nisi me adiuuant innumerabilia huiusmodi exempla; tum Regum, Tyrannorumque apud exteras nationes, tum Imperatorum apud Romanos, quin etiam eorum de quibus in sacris litteris clara extat mentio.

Hinc illæ laudes, & encomia; si quis potentium horum aliquid aliquando pudicè, & castè egerit; vt Scipionis Africani puellam pulcherrimam æque, ac nobilissimam in Hispania captiuam suo patri, & sponso restituentis, Alexandri Magni pudicissimè vxorem, & filias Darij, & nobilissimè tractantis, de qua re temperare mihi non possum, quin verba Q. Curtij recitem. *Equidem hac continentia animi, si ad vltimum vitæ diem perseuerare potuisset feliciorem fuisse crederē, quā visus est esse cum liberi patris imitaretur triūphū, vsq; ab Hellesponto ad Oceanū omnes gētes victoria emensus: si vicissent profectò superbiā, atq; iram,*

Hinc magnis ipsis laus si resistāt.

Q. Curt. Profectò magna si aliæ etiam virtutes consiessent.

mala

mala inuicta, si abstinuisset inter epulas cædibus amicorum egregiosque bello viros, & tot gentium secum domitores in dicta caussa veritus esset occidere. Sed nondum fortuna se animo eius superfuderat, itaque orientem eam moderatè, & prudenter tulit, ad vltimum, magnitudinem eius non cepit. Tum quidem ita se gessit, vt omnes ante eum reges, & continentia, & clementia vinceret, Virgines, reginas excellentis formæ tam sanctè habuit, quasi si eodem, quo ipse, parente genitæ forent coniugem eiusdem quam nulla ætatis suæ pulcritudine corporis vicit, adeo ipse non violauit, vt summa adhibuerit curam, ne quis captiuo corpori illuderet. Hæc Curtius, & alibi dum virtutes eiusdem Regis enumerat. *Modus*, inquit, *immodicarum cupiditatum, Veneris intra naturale desiderium vsus: nec vlla nisi ex permisso voluptas in gentes profecto dotes erant.* Hæc olim quidem. Quid cum potentia magis quam vino ebrius factus est? De die inibat conuiuia, quibus fæminæ intererant non quidem, quas violare nefas esset; quippe pellices licentius quam decebat, cum armato viuere assuetæ. Lege Athæneum.

Alexandri fortuna, & potentia. Primum quidem eã moderata valde laudabilis. Castitas.

Curtius l. 10.

Demũ insolescit. Idem l. 5.

Athæneus l. 13.

SECTIO XVI.

DE DIVITVM PERTVRBATIONIBVS.

Dites noui, qui in pecunia habent cuncta. Pecunia Regina est. Horum timor amittendi. Huic Comes auaritia. Huic cura ex Plauto. Item amor diuitiarum in dies augescens. Diuitum vota. Bella contra aurum alienum. Hi fures sunt honorati. Salomonis cupiditas. Classis ad aurum conquirendum. Subditorum vexatio. Auaritia inexplebilis, infinita. Hodierna nauigatio in oras Peruanas. Auri conquisitio, aurifodinarum, & ibi operarum descriptio. Argenti viui cum auro vnio. Eius vis. Venenum. Vsus ad aurum purgandum.

Diuites omnes, sed præsertim noui, quibus opes à maioribus partas, longa hæredum sequentium senes, quasi per manus dedit nullas; sed quas ipsi sibi, vel ad summum parentes illis summo labore pepererunt, hi, inquam, iisdem perturbationum motibus agitari fermè solent, quibus, & nobiles, & potentes viri. *Quasi enim habeant omnia, sic affecti sunt*, inquit Aristoteles. *Nam diuitiæ tanquam pretium quoddam sunt æstimationis aliorum. Quare videntur omnia esse venalia ipsarum*, vt verè dixerit Poeta.

Ducentem ad se cuncta pecuniam,

Et alius.

Quisquis habet nummos, fælici nauigat aura
Fortunamque suo temperat arbitrio.

Et Horatius Reginam alibi appellauerit omnia possessori do-

Diuites noui qui.

Effectus primus ex diuitiis. Omnia se posse putent. Diuitiarũ pretiũ. Arist. 2. Rhet. ca. 16.

Horat. l. 4. ode 5.

Petronius arbiter

Horatius

nantem.

Scilicet vxorem cum dote, fidemque, & amicos
Et genus, & formam Regina pecunia donat.

Secundus timor amittendi. Cur comes habēdi amor.

Quid igitur mirum, si dites omnium prædictorum, perturbationibus infestetur? At verò præcipuus fluctus, est timor perdendarum opum, cui Comes assiduus, auaritia.

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumque fames.

Cura auari.

Plenus autem est hic Poeta sententiarum exprimentium sollicitudinem, metum, curasque pecuniosorum hominum; quas volens prætermissas facio. Lege Aulularium Plauti, vbi Euclio diues repente factus, repente mirum in modum sollicitus, atque etiam à sua sibi vetula ancilla timens, cauensque inducitur, in exemplum ingenij virique opulenti.

Plautus Aulul.

Plautus.

Oculos Hercle; ego improba effodiam tibi,
Ne me obseruare possis, quid rerum geram.
Abscede etiam nunc, etiam nunc, etiam ohe nunc.
Istic adesto, si Hercle, tu ex isto loco
Digitum transuersum, aut vnguem latum excesseris,
Aut si respexeris, donicum ego te iussero
Continuo ego, Hercle, te dedam discipulam Cruci.

L. 1. pertur. pa. 2. sect. 6.

Metuebat scilicet ne ancilla, vel oculis aurum suffuraretur, vt alibi in aliam rem tactam à nobis est.

Et ditem magis conficit cura pecuniarum Comes, quam opes reficiunt.

Augmentum curæ habendi.

Altera diuitum perturbatio est maximus, atque in dies crescens amor diuitiarum.

Ouidius.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit;
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Vota diuitum. Vnde pallor auro

Et quamquam plurimi sunt, qui post aurum abeant; & illud, vel intra telluris viscera peruestigent; vnde auro pallor veluti metuenti, vt sapienter dixit Diogenes: Diuitum tamen in hoc desideria irrequieta, & continua sunt.

Iuuenalis sect. 10. Vota aperta, & occulta. Pers. sat. 2.

Prima fere vota, & cunctis notissima templis
Diuitiæ vt crescant, vt opes, vt maxima toto
Nostra sit arca foro.

Neque solum prima, sed sola, & frequentia, & secreta vota. Quæ sequentibus describit Persius.

Non tu preces poscis emaci
Quæ nisi seductis nequeas committere diuis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cui vis promptum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto.
Mens bona fama, fides, hæc clare, & vt audiat hospes.

Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat ô si
Ebullet patrui praeclarum funus, & ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule, pupillumue vtinam, quem proximus haeres
Impello, expungam.

Duo vt ait Persius veterum genera sunt apud homines, quaedam aperta, & manifesta, quae palam proferre non pudeat, & haec paucorum sunt hominum. Alia occulta tacita intra pectus, quae seductis diuis, & in partem secretam adductis concreduntur, & haec sunt Procerum nobilium, & praediuitum virorum vota valde frequentia quibus nempe diuitias exoptant, & petant.

Neque in solis haeretur votis. Indicitur vndique bellum auro, & tanquam hostis publicus toto terrarum orbe terra, marique conquiritur. Romani olim, vbi aurum esse sentiebant, illuc Aquilas suas cum legionibus immittebant, & Cyro, & Alexandro, & alijs Imperatoribus id vitij à plerisque obiectum est. Scitumque illud nescio cuius, Macedoni illum per opprobrium appellanti latronem; *rectè* inquit, Ego quia solus in aliena inuolo, fur audio, tu qui cum copijs ingentibus militum regnis te exteris ignotisque infers Imperatoris nomine donaris. Itaque opulentiores viri hoc à furibus distant, quod hi clanculo, soli, & exiguum quid venentur, illis palam, cum comitatu, & satellitio, & exercitu, atque in thesauros, & in omnes aliorum facultates est potentia, & impetus.

Bellum contra aurum.

Facetum dictum. Q. Curtius.

Discrimen opulentiorum, & furis.

Salamon Rex Israel, cui Dominus Deus, & sapientiam plurimam largitus, & diuitias, ac gloriam, vt nemo similis illi fuerit in regibus ex cunctis retro diebus, imo nec in sequentibus. Hic Rex, qui argentum, & aurum praebuit in Hierusalem, quasi lapides, & cedros; quasi sicomoros, quae nascuntur in campestribus multitudine magna, cui ingentia vectigalia, & tributa auri, argentique afferebantur. Hic, his non contentus, abijt in Asiongaber, & in Aijlat ad oram maris rubri, quae est in terra Edon, quo naues sibi instrueret, quas ad aurum expiscandum in longinquas oras transmitteret. *Misit autem ei Rex Hiram per manus seruorum suorum naues, & nautas gnaros maris, & abierunt cum seruis Salamonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri; & attulerunt ad Regem Salamonem. Haec summa 450. talentorum conficit summam aureorum vulgo scutorum quinque milionum, & quatercentum millium.*

3. Reg. 9.
Salomon opulentissimus.

Classem in Indias mittit.

Aurum reportat.

Singula autem talenta hebraica aureorum duodenis millibus constabant, vt hinc summam vniuersam conficere possis. Sed an haec tamen, ac tam ingens opulentia releuandis populorum vectigalibus profuit? minimè vero, quid enim in sacris habetur historijs, cum populus Israeliticus in augurando Regi Roboamo Salomo-

Nec tamen satiatur.

Venatur adhuc subditis vectigalia.

monis filio conuenisset? Pater, inquiunt, tuus, durissimum iugum imposuit nobis; tum itaque nunc minue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo quod imposuit nobis. Itane Salamone imperante vectigalibus improbissimis populus Dei pessundatur? Sapientissimo viro, patrijs opibus, & proprijs, & ipsi subiectorum tributo, mirum in modum amplificatis opulentissimo, tam graue pondus Israeli incubuit, vt ingemerent, ac succumberent? Ita est, Et Auaritia tantum in animo diuitis etiam sapientissimi valet, polletque. Iure Plinio *Inexplebilis cupiditas*; Prophetæ *infinita acquisitio* nuncupatur.

Regum 3. c. 12.

Quam pollet auaritia.

Baruc.

Quid de Priscis, proximique æui viris loquar? Mediterraneum Phænicibus, atque internum mare angustius fuit, quam quo eorum cupiditas inhiaret. Gades præteruecti in Atlanticum se Oceanum demisere, hoc est extra orbem terrarum, mercimonij faciundi caussa, & pecuniarum cogendarum. An his minus audaces nostrates mercatores? Sanè vt non minor auri cupido sic minor audacia, peruaserunt orbis occidua, & in ignotas Peruanorum, Mexicanorum Brasiliensium, Philippinarum plagas irruerunt, auaritia cupiditateque ductoribus. Infinitas illinc opes hausere. Sed an potuit his expleri cupiditas? nisi Danaidum dolij carentis fundo similis esset expleri fortasse potuisset. Sed inexplebilis est.

Nec tamen saturatur cupiditas.

Itum est in viscera terræ.

Aurifodinæ conquisitæ.

Et fastidito quid apparebat auro argentoque ad irrepertum, & pœnè in Tartari finibus situm, per cuneos, per fossas, per mortes descensum est, tam altè, vt ad descensum non vnus, aut alter dies sit satis, sed multi sint eo in itinere consumendi, & multo plures inter redeundum, nam & ascensus per se ipse arduus, ac difficilis est, & baiulis metallo onustis difficilior; subinde autem interdiu, dum per scalas ex loris bubalinis consutas iter faciunt ad tabernas conquiescendi caussa deflectunt, hoc est in cauernas ad latera montis exesi excauatas se de scalis immittunt; tanta autem difficultate hæc itinera peraguntur, vt non pauci desperatione adacti se de ipsis scalis præcipitarint, minus laboriosum arbitrati semel mori, quam sæpius tot cum periculis viuentem conflictari.

Labor operarum.

Et sæpe desperatio.

Neque id satis. Nam cum ad aureas illas scatebras diuina Maiestas argenti, quod viuum vocant riuulos venasque proprius admouisset; quo mortales ab illis inuestigandis auerteret; venenum enim id est rerum omnium, in cuius effossione multi repente præfocati vitam abijciunt, vlciscente se eo nec impune se inueniri patiente tum obstinata cupido est, & ingeniosa, nam & nare obturata suffodiunt, & eo vti, tamen didicere ad conquirendum magis magisque veluti incentiuo. Nam per argenti viui vsum glebas auri impuras, & saxo, alijsque permistas sordibus expurgant, supernatantibus his argento, & velut expulsis, admisso intra se, & con-

Argenti viui cū auro vnio.

Eusdem vis.

Venenum.

Plin. 33. c. 6.

Vsus ad aurum purgandum.

conglobato auro, atque complexo. Ita de venenis etiam lucra, & emolumenta conuenatur auarus, cupidusque.

SECTIO XVII.

DE MVLIERVM PERTVRBATIONIBVS.

De hoc argumento multi. Mulier malis rebus peior. Euripides explicatus, Torrentis descriptio ex Horatio. Meticulosa Zelotipa. Et ex hoc in illa exercitus perturbationum. Mulier irascens Medea. De hac Seneca. Aristoteles de mulierum perturbationibus. Quæ vehementissimæ. Hæ septem vitijs capitalibus multum subditæ, ex quorum singulis proles perturbationum numero ingentes. Duæ ex his chorum ducunt. Amor ornatus, & æmulatio. Primus non semper malus, frequentissimus cuique etiam egenti. Locus ex sacris litteris illustratus. Varia ad vngendum olea ex Stromateo. Quare permittantur vngi fœminæ. Suauis odor illicium amoris, & libidinis. Valer. Max. & Tiraquellus leniter reprehensi. Lacedemonum mos laudatus. Mulier ornata, impudica ornamenta Veneris vincula; Mundus muliebris quotuplex ex Tertulliano. Instrumenta vtriusque ex Isaia. Exordia ornatus belli Troiani tempore. Etiam ante Paridis, & Phrygum ornatus. Etiam ante Catachysmum Dæmonum inuentum. Caussa diluuij. Locus Geneseos explicatur. Impendia in ornatum numerata à Tertulliano. Zelotipia ægritudo sed quæ? Chrisippus in metu ponit. Alij in inuidentia neutri assentior. Ad tristitiam refero. Vehemens est in muliere, pellit timorem amor verus. Multo magis sæuus, improbus. Effecta Zelotipiæ ex Virgilio, & Seneca de Medea agentibus.

MVlti circa incudem hanc versati sunt. Tiraquellus in primis, vir eruditione plurima, ac profunda. Nos paucas cum multis conferemus symbolas. *Multi hoc de argumento.*

Et illud initio proponendum ex Euripide. *Apud Stob. serm. 71.*

Dira quidem vis est marinorum fluctuum
Et vehemens fluuij feruentis, & ignis impetus
Est dira paupertas, & alia innumera, *Mulier malis rebus peior.*
Sed nullum immanius est muliere
Neque huiusmodi malum, aut scribi potest,
Aut verbis exprimi.

Et Euripides quidem videtur iracundas facere mulieres quas nunc mari comparat tumultuoso, nunc fluminis facit similes. *Explicatur euripides. Fluuij furentis descriptio.*

Lapides adesos

Stir-

Horat.l.3. od.29.

Stirpesque raptas, & pecus, & domos
Volentis vna, non sine montium
Clamore vicinæque siluæ;
Quum fera diluuies quietos
Irritat amnes.

Apud Stob. ibid. Mulier meticulosa.

Sed & eodem teste Euripide meticulosæ sunt, ac timidæ: & cum offensa fuerit in re Matrimonij non est alia mens crudelior muliebri. Itaque cum tumida sit summum in modum, si perturbatio Zelotipiæ accessit, dici vix potest quantus, & quam vehemens aliarum perturbationum exercitus mulierem inuadat, ira duce, odium, crudelitas, audacia, desiderium, & aliæ plurimæ. Audi Senecam, & contemplare in Mædæa furente mulierem æmulantem. Mulier enim omnis in amore læso Mædæa est.

Virg. 5. Notum enim furens quid fœmina possit. Mulier irascens.

Ex Seneca in Medæa.

Flammata facies, spiritum ex alto citat,
Proclamat, oculos vberi fletu rigat,
Renidet, omnis specimen affectus capit
Hæret, minatur, æstuat, queritur, gemit.

Ex Aristotele. De hist. anim. lib. 9. c. 1.

Mores mulierũ.

Illud Aristotelis hoc est loco notandum. *Malitiosiores, astutiosiores, insidiosiores fœminæ sunt, atque in enutrienda prole sollicitiores. Mares contra animosiores, ferociores, simpliciores, minusque insidiosi. Quorum vestigia morum cum in omnibus ferè insunt tum vel maxime in perfectioribus, vt præcipuè in homine hic enim natura perfectissima est: & ob eam rem habitus isti perspectiores in eo ipso continentur, ita quod mulier misericors magis, & ad lacrimas propensior, quàm vir, inuidia item magis, & querula, & maledicentior, & mordacior, præterea anxia, & desperans magis, quam mas: atque impudentior, & mendacior, quin etiam facilior decipi, meminisseque aptior, ad hæc vigilantior, segnior, immobilior, denique est, & minus cibi appetens.* Hæc à Philosopho.

Mulier vehementissime perturbatur.

Perturbationum verò si qua mulierem occupauerit; quando autem non vlla occupat? ea semper ardentissima, & summa est. Siue enim oderint siue ament; id vehementissimè præstant.

Plaut. in Trinũ.

Male, quod mulier incepit, nisi efficere perpetrat
Id illi morbo, id illi senio est; ea illi miseræ
Miseria est.

Septem vitijs capitalibus subiecta

Iam verò septem illis generalibus vitiorum, seu nequitiarum capitibus subiectas apprime esse mulieres, ex quamplurimis antiquorum scriptorum auctoritatibus quas habes apud Tiraquellum, ita constat, vt nostræ prolationis haud quaquam egeat.

Menander. Superbia.

Nam superba res est pulcra mulier.

Auaritia.

Quæ autem esse se pulcram non æstimet? Et de auaritia extat illud apud Ciceronem.

Cic. de inue. l. 1.

Mulierum genus auarum

Libidini.

De libidine autem.

Hic genus infidum nuptarum hic nulla puella est.

Nec

Nec fida euadere, nec pia Penelope. [Prop.l.3.]

De Ira. Seneca. [Ira.]

Ira inquit vitium muliebre est.

Gulæ seruas esse mulieres, vel prima omnium mater edocuit, [Senec.l.1.de ira. Genes.3. Gulæ.] cuius quamquam gula non primum peccatum fuit, fuit tamen inter cetera maximum peccandi incentiuum, vt Patres asserunt.

Iam de inuidia illud extat. [Inuidia.]

Muliebris mens inuidiosa res est. [Eurip. in Androm.]

Quemadmodum de desidia illud Plauti. [Accidia. Plaut. in milite.]

Mulier professò nata est ex ipsa mora

Nam quæuis alia quæ mora est, atque mora

Minor ea videtur quam quæ propter mulierem est.

Ex horum fontium singulis, quæ non effluunt perturbationes? En, Superbia parturit ingrati animi vitium; Hypocrisis superstitionem, loquacitatem, curiositatem, ambitionem, inanem gloriam, iactantiam, Pertinaciam, contentionem, libertatis amorem, impatientiam, contemptum aliorum, Contumeliam impœnitentiam. [Superbiæ filiæ.]

Auaritiam autem sequuntur fraus, fallacia, perfidia, periurium, mendacium, inquietudo, violentia, obduratio, & alia, quæ ab Aristot. enumerantur. [Auaritiæ filiæ.]

Impudicitiæ liberi sunt præcipitatio, inconstantia, varietas, leuitas vagatio, mobilitas, instabilitas, mutabilitas, amor inordinatus, incestus, fædus: hunc ambiunt zelus, & æmulatio, & omnia illa, quæ apud Plaut. recensentur varijs locis de quibus sermo nobis erit altera in parte operis huius. [L.4.eccl.ca.1.ad fin. Luxuriæ filiæ.]

Ab ira clamores, rixe, contumeliæ, crudelitates, vltiones, minæ, furores, tumor mentis, blasphemiæ, iurgia, contentiones, dolores. [2.2.q.157 art.7. Iræ filiæ.]

Gulæ seruiunt inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis, ebrietas, impudentia, crapula, prodigalitas libido. Hebetudo, abiectio animi. [57.2.2.q.149.ar.6. Gulæ filiæ.]

Ad inuidiam spectant odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis, afflictio in prosperis, tristitia, discordia, inimicitiæ, tabes animi, curiositas, insomnia. [Inuidiæ filiæ.]

Desidiæ siue comites, siue filiæ sunt malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, euagatio mentis, ignorantia, somnolentia, verbositas, stupor. [22.q.35.art.4. Desidiæ filiæ.]

Ex hoc ingenti vitiorum numero, quibus aut omnes, aut pœne omnes esse subiectas mulieres in confesso est apud Scriptores; videre facile est, quibus illæ sint animi perturbationibus obnoxiæ; quibusque agitentur frequentissimè. Mihi non est animus ad singularia descendere. Itaque postquam de duabus aliquid attigero sectioni simul, & libro modum faciam. Hæc sunt amor, & propen- [Hinc innumeræ in mulieribus perturbationes.]

ſio ad ornatum ſui, & Zelotipia in amore.

Hieron. ad gaudentium. Et de amore erga ornatum ſcribit Hieronymus *Philocoſmon id eſt ſtudioſum amanſque ornatus, genus fœmineum eſt;* multaſque inſignis pudicitiæ fœminas, quamuis nulli virorum, tamen ſcimus ſibi libenter ornari. Idem ad Demetriadem de virginitate ſeruanda, ſcribit ad corporis ornatum cultumque ardere, & inſanire ſtudia matronarum. Multa etiam alia ſcriptorum teſtimonia à Tiraquello recitata, quæ poſthabeo, ſolum hoc addens, cum multas habeamus in ſacris litteris, chriſtianiſque codicibus mulieres ſanctitate vitæ, morum commendatione, & caſtitatis laude præcellentes, mundo tamen muliebri cum moderatione vſas eſſe, quamobrem non continuo condemnandas eſſe eas omnes fœminas, quas non nihil, ſupra natiuam formam, aſcititiæ formæ ſibi aduocare conſpicimus. Inclementerque ab ijs agi, qui grauiter delinquere autument, ſi qua, quid ſibi aſciuerit exotici ornamenti. In hac re tota, modus ornamenti, & intentio, & cauſſa percenſenda eſt antequam iudicium, ac ſententia pronuncietur.

Amor mulierum erga ornatum.

An ſemper malus?

Nequaquam.

Quia poteſt eſſe cū modo, & cauſſa.

Ceterum hæc tam vehemens ad ornatum inclinatio conſpici aliqua ex parte poteſt, à mulieris illius verbo vno, de qua in ſacris litteris ſcriptum eſt. Nam cum hæc Eliſæum Prophetam conueniſſet auxilium petitura ſuper ære alieno per virum ſuum iam demortuum contracto, quid, inquit, Eliſæus habes in domo tua? reſpondet illa, *non habeo ancilla tua quicquam in domo mea niſi parum olei quo vngar*. Per Deum immortalem quid hoc inſaniæ eſt? hæc alioqui pia, ac timens Deum, honeſtis, pudiciſque moribus mulier, cum domi ſuæ nihil reliqui eſſet præter filios duos cariſſimos, quorum corpora in ſeruitutem iam iam traditura erat creditori, ad æs à marito conflatum compenſandum, oleum tamen, quo ſe ipſa perungeret, intactum aſſeruabat, & aſſeruari volebat. Quod autem illam quidam excuſet, oleumque aſſerat eo fine reconditum, vt ſe recrearet pulmento aliquo condiendo, fruſtra eſt, ipſamet fœmina reclamante, *quo*, inquit, *vngar*, quin imo hæc, quæ extrema in ſua, ſuæque familiæ penuria oleum, tamen vnctui aſſeruat; docere facile poteſt, alteram illam, quæ, cum quidpiam ab ea Eliſæi magiſter Elias ad ſe ſe, vtcumque refocillandum peteret; reſpondit ſibi præter farinulæ pugillum, & olei parum in lecytho, nihil ſupereſſe, ſuadebit, inquam oleum illud, etiam ad ſuas delitias, ornatumque recondidiſſe. Adeò vitam potius inſuper habeant mulieres; quam quæ ad mundum ſpectant muliebrem. Sed hæc ſane ferri in muliere poſſunt, neque enim oleo, aut vnguento vtebantur alio præter naturale, quod è baccis olearum trapetis contritarum efflueret; de quo Clemens. *Sufficit ipſum oleum, & ad ſuperficiem cutis pinguefaciendam, neruoſque relaxandos; & ad corporis grauiorem odorem* repri-

Frequentiſſimus eſt fœminis.

Regum l. 4. c. 4.

Etiam egenis.

Quod ex ſacris litteris probatur.

Reg. l. 3. c. 17.

Clem. l. 2. Pedag.

Varia vnguentorum genera.

reprimendum; si etiam oleo ad hoc opus habeamus. Quid illa Brenthia, Megalina, Regia Plangonia, & Psagda Aegyptia? quid illa ex bacchare, & lilijs, ex ligustris, ex rosa, ex nardo, quæ Clemens recenset, & pauca quidem ex plurimis enumerans: eaque suo, vel tempore exoleta, neque mihi animus alia percensere plurima, legantur Athæneus, Plinius, Discorides.

L.2.pedag.c.8.

L.15.c.14.15.
L.23.c.15.
L.10.c.5.

Et horum etiam quidpiam ferri patienter potest, vnguentorum, oleorumque in fœminis, ne quemadmodum vultures, ab vnguentis abhorrere videamur, aut Scarabæis similes simus, quos oleum è Rosa enecare dicitur; dummodo, & paucorum electio fiat, & ea mente ne venenum, ac torporem inducant maritis, quemadmodum ait Clemens. Ceterum suauis odoris nimium studium, est esca otij, & mollitiei, quæ ad libidinosam, & intemperantem cupiditatem paulatim impellit, non olentes solum, sed olfacientes. *Nam sicut boues annulis per nares insertis, ita intemperans attrahitur odoribus*. An vero minorem habeat attrahendi vim ornatus, quam odor? minimè quidem. *Nam oculi sunt in amore Duces*, vt mirer Valerium ausum dicere à Romanis uiris olim, eam ob caussam suis vxoribus concessum fuisse auri, purpuræque vsum, quo castiores redderent, sibique inclinatiores. *Neque vero ea tempestate periculum fuisse ait, vt qui aspiceret ornatas in amorem incestum conflagraret nulli enim tunc subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur. Sed pariter, & videre sanctè, & aspici mutuo pudore custodiebantur*. Miror magis hanc Valerij caussam non displicuisse Tiraquello, in Cælum Romanos efferenti, *qui cum alias*, inquit, *prudentissimi existere, nulla alia re magis, quam auro, argento, purpura, & cetero ornatu vxores in suam ipsorum sententiam traducere, sicque abstemias efficere potuerint. Vino enim si indulsissent periculum erat ne in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus à libero patre intemperantiæ, gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit*. Quasi vero Mundus muliebris, absque temeto, non in rabiem mulieres impellat, vt ament, & amentur, vt se ostentare gaudeant, & gaudeant videri. Fateor si Bacchum fœminæ ebibant, & cultum simul inducant; hisce quasi alis duabus inductis, perniciter in omne nefas deuolaturas. Sed mirum quantum pollet ad libidinem, querendam inueniendamque nimius ornatus. Nam ebrietas, & verbositas odio est, ornatus nonnisi amabilis.

Quare debemus ungi mulieres.

Suauis odor esca luxuriæ, & amorum illicium.

De ornatu.
Valerius maximus reprehensus.
L.2.1.3.c.2.

Item Tiraquellus de legib. Connub.

Ridiculus mihi sanè Valerius sæpè est; dum tam frequenter illum ansas vndequaque captantem video Romanorum laudandorum. Quod si mulieres, quamuis ornatu in maximo conspicerentur, tamen neque impudicè aspicere, neque aspici inceste poterant, iniuria sanè ab illis potus vini arcessebatur, sed neque tam sancti, quocumque æuo fuere Romani, vt non malè semper audierint. Adi historicos, & Romanorum originem, incrementa,

Gg 2 casus-

Lacedæmonum mos laudatus. casusque cognosce. Mihi vt fatear prudentius fecisse Lacedæmones videntur, qui ornatum à fœminis suis omnem arcuerunt, vini mediocrem vsum non negarunt, & rectè Menander fœminam

Mulier ornata, impudica. exculrtam domo eijcit tanquam impudicam.

Menand. apud Stob.

At nunc recede ab his ædibus, nam fæminam
Pudicam non decet facere flauos pilos.
Sed neque genas fucare: nec oculos depingere.

Vincula Veneris ornamenta sunt. Præclarè Clemens cum ostenderet aurea hæc in fœminis ornamenta libidinum esse illicia; exemplum intulit Veneris cum Marte adultero, vt Homerus ait, deprehensæ, in aureis vinculis, quo

Odyss. 9. Clem. l. 2. Ped. scilicet ostenderet nihil aliud esse hæc ornamenta, quam vincula adulteriorum signa.

Tertull. de cultu mulier. Iam vero, quod ex Tertulliano habemus. *Fœminarum habitus*

Mundus muliebris quotuplex. *duplici versatur in materia, cultu, & ornatu. Cultum dicimus, quem*

Cultus. *mundum muliebrem vocant. Ornatum; quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur.*

Ornatus. *Iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis.* Vtriusque partis supellectilem, instrumenta, materiam, Tiraquellus

Instrumenta vtriusque. per distincta vocabula affert; & omnium, ac singulatum veluti

In scriptoribus. A Tiraq collecta nomenclatorem, secundum elementorum ordinem conficit, quæ omnia apud illum vide, collecta ex Polluce, Clemente Alexand. & alijs quos ipse in fine sui catalogi laudat.

Ex Isaia. Sed locum Sancti Vatis Isaiæ aptissimum, mihi in animo est, describere; quo appareat non in Romanis solum fœminis, & Græ-

C. 3. cis; sed & in Barbaris, exarsisse hanc sui ornandi cacoethem. Ait ergo. *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & in aures, & annulos, & gemmas, in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra, & erit pro suaui odore fætor, & pro zona funiculus, & pro crispante crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Vides quam copiosus sit vates in recensendis fœminarum hebræarum superuacaneis ornatibus? Ad quæ subdit Alexandriæ Archiepiscopus Cyrillus. *Vnde videre est quam insatiabiliter elegantiæ, & ornandi se; imo magis iam scortandi studio ardeant.*

In multis autem versio Isaiæ vulgatæ differt, ab ea, quæ septuaginta interpetrum extat, quam tamen vtramque, & declarare Gaspar Sancius, & conciliare erudite nititur, quem tu consule.

Quando incepit hic ornatus. Illa autem quæstio non parum habet curiositatis, quam scilicet antiquus est mundus hic muliebris, aut ex quo tempore cœpisse in fœminis cognoscitur hæc sui comendi, ornandi, expoliendi insana consuetudo. Ex antiquissimo animum, qui apud Græcos scripserint,

ſerint, quorum; ſcripta extent, Homero, conſtat Troiani belli tẽporibus viguiſſe, laudatur enim carmen à Clemẽte Homeri cũ tale. *Tempore belli Troiani fuit.*

Quique aurum geſtans in bellum vt ſtulta puella
Ibat

Vbi & aureus ornatus in viro præſertim bellicoſo damnatur, & pariter in fœmina oſtenditur extitiſſe. Sed & Troia adhuc florente, floruiſſe ante bellum manifeſtum eſt ex his. *Ante bellum.*

Et phrygibus ille cura appuliſſet qui Deas
Dijudicauit, Graia vt inquit fabula,
Lacedæmona, cultu diſcolore veſtium
Et Barbarorum textu, & auro ſplendidus.

Paridis ornatus. Apud Clem. Ped. lib. 3.

Quæ carmina à Clemente adducuntur, oſtendunt autem Paridem multo auro, gemmiſque ornatum, vt mos erat Phrygibus, adijſſe ſpartam; atque oculos Helenæ eo ornatu inretijſſe. Sed vero in Phrygia non viri ſolum, multo autem magis fœminæ ornabantur, quod eo Virgilij patet. *Phrygiorum ornatus.* *Lib. 9.*

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges, &c.

Et adeò vero hiſce in argumentis, atque inuentis proceſſere; vt multa veſtimentorum, ornatuumque genera apud illos excogitata fuiſſe perhibeantur. Sed ne in externis immoremur, ad noſtros reditus nobis parandus eſt. Tertullianus Muliebris mundi excogitationem, atque copiam antiquiorem facit vniuerſali terræ cathachyſmo. Docetque à Dæmonibus mulieres edoctas, ſe ſe varijs pigmentis, veſtimentorumque generibus colere, atque exornare, eius verba hæc ſunt *Illi Sanctiſſimi Angeli, qui ad filias hominum de cælo ruerunt, proprie, & quaſi peculiariter fæminis inſtrumentum iſtud muliebris gloriæ contulerunt, Lumina lapillorum, quibus monilia variantur, & circulos ex auro, quibus brachia artantur, & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur, & illum ipſum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur.* Hæc ille, cuius opinionem de Angelorum in fœminas amore ſupra reiecimus, neque tamen propterea ſententiam de æuo ornamentorum muliebrium non laudamus. Exiſtimo enimuero malos illos Spiritus, quemadmodum, & alia multa docuerant viros, fœminaſque, quibus in peſſima detruderent ſcelera, ita & hanc, ſeſe fucandi artem oſtendiſſe. Vnde irritatus Deus, poſt mille quingentos ſexaginta quinque annos, quam hominem condidit, *tactus dolore cordis intrinſecus*, & quod *omnis caro ſuam viam*, hoc eſt rectè viuendi rationem *corrupiſſet* vniuerſali, altiſſimaque aquarum inundatione eumdem hominem cum ſua omni ſupellectile, atque ornatu demerſit. *Ante Catachyſmum.* *Dæmonum eſt inuentum.* *Tertull. de cultu fœm.* *Cauſa diluuij.* *Ex ornatu.*

Noſtræ ſententiæ ſacra ſcriptura vnico illo verbo aſtipulatur. *Videntes*, inquit *Filij Dei filias hominum. quod eſſent Pulcræ*, neque enim pulcritudinem illam innuit, quæ naturalis erat, & cuique ſemper conſpicua, atque obuia, ſed eam, quam nouam, & aſcititiam *Confirmatur ex ſacris litteris.*

titiam excogitarant *filiæ hominum*, ideſt malæ, atque impudentes ex ſemine Cain deriuatæ, quæ præter morem, & modum pulcriores oculis *filiorum Dei* hoc eſt potentium virorum, atque inſignium; qui de ſtirpe Sethi fuerant, quibus tanquam à Deo, & Adamo benedictis dominandi facultas, ac poteſtas erat. Tertulliani dictis aſſentitur Cyprianus tanquam diſcipulus magiſtro, cuius verba habes in libro de habitu virginum.

Cyprian. de habitu Virg.

Antiquitas itaque mundi muliebris, incredibilem oſtendit mulierum ſui concinnandi libidinem. hæc autem multas in earumdem animam excitat perturbationum multarum moleſtias, quæ à Tertulliano in poſtrema ſui opuſculi parte breuiter recenſentur, cuius etiam verbis huic ſectioni, & libro coronidem addo. Nam tanto maior fit concupiſcentia, quanto magni fecit, quod concupiuit. *Breuiſſimis loculis patrimonium grande profertur. Vno lino decies ſeſtertium inſeritur. Saltus, & inſulas tenera ceruix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & in ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis. Tantarum vſurarum ſubſtantiam vno, & muliebri corpuſculo baiulare.* Super quibus omnibus Tertulliani locis legendi ſunt Rexanus, & Pamelius.

Tertull. de hab. mulier.

Impendia ad ornatum.

Nunc aliquid circa Zelotipiam ediſſerendum. Ea apud Stoicos dicitur ægritudo, ex hoc quod alter potiatur eo, quod quis concupiſcit. Sed cum ægritudinis nomen omni conueniat perturbationi, adhuc quæri poteſt, quænam ægritudo ſit Zelotipia. Chryſippus Stoicorum inter numerum non vltimus, ad metum refert, ne quis habeat commune, quod tuum eſſe cupis, alij inuidentiæ adiungunt. Sed neutri aſſentior. Chryſippo, quia metus eſt de re pendente, futura, quæ diſpliceat, at æmulatio de qua oratio nobis eſt, etiam exiſtit præſente eo, quod nobis moleſtiam talem affert. Inuidentia autem proprie, & frequenter, oritur, quando tu ea re cares, qua alterum potiri videas, at Zelotipia haberi non poteſt, niſi id tu etiam poſſideas, quod ab altero poſſideri nolles. Refertur ergo ad triſtitiam, ſeu diſplicentiam, quam ſubeunt eorum animi, qui erga eos, quos amant ardentius afficiuntur, & eoſdem ab alijs amari, aut haberi vident.

Zelotipia mulierum.

Quæ ægritudo ſit. An metus?

An inuidentia?

Neutrum.

Triſtitia eſt.

Ariſt. 2. Met. c. 11.

Hanc autem ægritudinem, quam maximè in fœminis dominatum ſuum explicare docet Galenus, alijque, quæ audaces illas facit expulſo ab ijs naturali metu.

Pollet in fœminis

Amor timere neminem verus poteſt

Amor timorem pellit. Senec. Met.

Sed amor huiuſmodi non ſolum verus, ſed ſæuus, ſed crudelis, improbus, accipe ex Mantuano.

Sæuus amor docuit natorum ſanguine matrem
Commaculare manus: crudelis tu quoque mater,
Crudelis mater magis an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater,

Zelotipia crudelis.

Eccl. 8.

Medæam

Medæam autem innuit æmulatione sæuiſſima æſtuantem pro Iaſone Marito in alterius amores propendente, atque eunte. *Senec. Med.* *Zeloupiæ effectus*

Nulla uis flamma tumidique Venti
Tanta, nec teli metuenda torti
Quanta cum coniux viduata tædis *In Medea.*
Ardet, & odit.

Et alia multa, quæ ſequuntur apud Tragedum. Verum quid furens fœmina poſſit, & audeat explicat in Mædea idem.

Si viuis anime, ſi quid antiqui ſibi
Remanet vigoris; pelle fœmineos metus,
Inhoſpitalem caucaſum mente indue.
Quodcumque vidit Phaſis, aut Pontus nephas;
Videbit Iſthmos; effera, ignota, horrida,
Tremenda cælo pariter, ac terris mala.
Mens intus agitat vulnera, & cædem, & vagum
Funus per artus, &c.

Atque hæc de ſubiectis variarum perturbationum varijs, ad quæ alia quidem adiungere potuiſſemus multa, promiſcuè, & humilia quidem quæ innumerabilia cum ſint nemini facile fuiſſet Enumerare. Ad ſublimia autem, ſicuti Regnorum ſunt, Imperiorumque ac mundi capita ingentia (hic ſane fuerat nobiliſſimus ſtudiorum noſtrorum curſus ad has metas deſinens, ac conquieſcens) attingenda quis vires ferat, aut alas? Hi intra ſolam diuinitatem morantur, & ſoli cum ſint ſolis inſtar habent; vt cum turbata omnia trãquillẽt, obſcura illuſtrẽt omnia, perturbationũ tamẽ nutibus ipſi nequaquã cõtabeſcãt. Hos Sũmus Cęli terręq, dominator, aut viciniora quędã numina, aut certe aſpectui populorũ magis obuia propoſuit nobis exẽpla moderationis, & maturitatis grãdia. Ceterum Mundo altiora cum ſint venerationum tura, pro tributo, poſcunt. Acies noſtræ ſi ad intendendum nimis audeant ad eorum lumina hebetantur, & ingenia hebeſcunt, quod ſi quid primo intuitu perturbatum in ſpeciem in illis apparet, illud non perturbate, non inconſiderate peractum, ſed occultarum rerum ſignum, atque iudicium exiſtimato. Non turbantur ſumma illa aſtrorum regna, ſi nouis ſiderum crinitorum phenomenis agitari videantur. portendunt, minantur, edocent, magiſterio tranquillo, ſed inſolente, in illis nil niſi tranquillitas, ſupra omne perturbationis genus eminens. Infra Olympum turbines fremunt, tonitrua tumultuantur. In ſummis quies. Hæc itaque Philippe Rex Maximè tuo nomine inchoata, ac numini conſecrata humanitate tua, ac lumine illuſtra, tege, vt quæ Maieſtati tuæ ex debito tanquam gratiarum habendarum tabellam votiuam, & grati animi indicium ſuſpendimus, eadem à te beneuole ſuſcepta Mundus intelligat.

Imprimatur *Imprimatur*
D. Aloyſius Vic. Gen. D. Ignatius de Amico pro Illuſ. Præſ. Dente.

INDEX RERVM.

§:*:§

A



INDEX RERVM

§ : ✻ : §

A

Amor

Appe-

rum,

B

D

Dæ-

H

Ho-

L

Lar-

M

Mo-

O

Per-

Per-

Po-

Q

Sa-

Stoi-

